


Jean Polmann, chan. de Cambrai
† 1649
Hurter III, 956

BREVIARIVM THEOLOGICVM.

CONTINENS

DEFINITIONES, DESCRIPTIONES, ET EXPLICATIONES TERMINORVM THEOLOGICORVM.

Authore IOANNE POLMANNO *Tubiziano, Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis Canonico, Theologo, ac Pœnitentiario.*

Editio vltima Aucta, & à mendis Expurgata.



PARISIIS,
Apud GEORGIVM IOSSE, viâ Iacobæâ, sub signo Coronæ Spineæ.

M. DC. LIX.

Cum Approbatione & Priuilegio Regis.



Lectori beneuolo.



MICE LECTOR, En tertiam Breuiarij nostri Theologici editionem, auctam & correctam: quam opto studiis tuis vtilem; quibus promouendis recusa est. Tyrocinium hoc scribitur Tyronibus, non emeritis Veteranis, aut Magistris nostris. Licet enim à duodetriginta annis; omnium scientiarum principem Theologiam profitear; tamen non sum de magna professis: sed hæreo ferè in Definitionibus, Descriptionibus, explicationibus, & eiusmodi Rudimentis Theologicis. Sicubi assurgo, tantùm summa sequor fastigia rerum.

Cæterùm protestor me viuere, & mori velle in obedientia Fidei Catholicæ, Sedisque Apostolicæ: & illibatas tenere illius Decisiones, Constitutionésque antiquas, & nuperas *Pij V. Gregorij XIII. Vrbani VIII. & Innocentij X.* Quapropter omnia animi mei sensa, & calami scripta, censuræ veritatis, eiusque depositariæ Ecclesiæ Romanæ iudicio subiecta sunto.

IOAN. POLMAN.

APPROBATIO

TErtia hæc Breviarii Theologici pars non minùs vtiliter imprimetur quàm aliæ partes præcedentes. Exeat igitur beneficio præli in lucem,

Aspiciatque suos, positos ex ordine fratres:
Quos studium vigilans euigilauit idem.

Ita censebam Duaci 14. Augusti 1654.

Theodorvs Van Covverden.

S. Theol. Doctor ac Professor Primarius, Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Canonicus & Præpositus, Vniuersitatis Duacensis Cancellarius, Librorumque Visitator & Censor.

BReviarivm hoc Theologicvm, ab Authore recognitum, & multis in locis auctum, vtiliter denuò excudi poterit. Ita censui Duaci 18. Augusti 1654.

Martinvs Denys.

S. Theol. Doctor, eiusdemque Regius & Ordinarius Professor.

BReviarivm Theologicvm Reuerendi admodùm Domini D. Ioannis Polman, Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis Canonici, nuper impressum; nunc iterùm, non sine maximo vtilitatis fœnore, in lucem emittitur, pluribus auctùm, meliore formâ concinnatum: vt author non eundem, sed nouum veluti partum epiti videatur; ac (si dicere licet) superfœtat. Ita sentio, & censeo Acquicincti 26. Ianuarij 1655.

Ioannes d'Espieres,

Sacræ Theologiæ Doctor, & Monasterij Aquicinctini magnus Prior, necnon librorum Censor.



BREVIARII THEOLOGICI

PARS PRIMA.

1. TYMOLOGICE *Theologia est de Deo sermo.* Propriè, & in genere.

2. *Theologia est Dei, rerúmque diuinarum scientia.* DEI, tanquam Theologiæ obiecti primarij: cuius cognitio principaliter in ea intẽditur: & ad cuius cognitionem referuntur cætera, quæ in ea tractantur. RERVMQVE DIVINARVM, extrinsecâ denominatione talium: tanquam Theologiæ obiecti secundarij. Nam eiusmodi res diuinæ, in Theologia tractantur, non causâ sui; sed obiecti primarij, Dei: ad quem reducuntur, tanquam ad principium, finem, causam, creatorem, gubernatorem, legislatorem, iustificatorem, saluatorem, iudicem, &c. Res autem diuinæ, intrinsecâ denominatione tales (vti essentia, natura, persona, intellectus, voluntas, sapientia, potentia, & cætera attributa diuina) comprehenduntur in objecto primario, quia sunt Deus ipse. SCIENTIA, cognitio certa, & firma. Theologia potest diuidi in Theologiam viæ, & patriæ.

3. *Theologia via est Dei, rerúmque diuinarum obscura cognitio*, per lumen naturæ, vel Fidei.

4. *Theologia patria est Dei, rerúmque diuinarum intuitiua cognitio*, per clarum lumen gloriæ.

5. *Theologia naturalis est Dei, rerúmque diuinarum cognitio*, per lumen naturæ.

6. *Theologia supernaturalis est Dei, rerúmque diuinarum cognitio, per Fidei lumen mediatum.*

7. Siue: *est scientia de Deo, rebúsque diuinis, per reuelationem mediatè accepta.* * EST SCIENTIA, quia Theologia talis est, testimonio Spiritûs sancti, Sapientiæ 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum*. Lucæ 1. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius.* 1. Cor. 12. *Alij per Spiritum datur sermo scientiæ.* Confirmatur ratione, quia iuxta Aristot. 1. Topic. 1. & 1. Post. 2. demonstrationis conclusio, siue cognitio accepta per ratiocinationem procedentem ex primò veris, est scientia, atqui Theologiæ cognitio est talis: ergo est scientia. Subsumptum probatur: quia cognitio Theologica, virtute continetur in articulis Fidei; & per bonam ratiocinationem educitur ex illis, tanquam primò veris, à prima veritate reuelatis. Vnde affirmante Apostolo Heb. 11. *Fides est argumentum*, elenchus, ostensio, & demonstratio *non apparentium*, eorum, quæ nec sensu, nec ratione comprehenduntur.

8. Nec refert, quòd Theologiæ assensus non sit euidens: quia ad assensum, habitúmque scientificum sufficit, quòd cognitio sit certa, & firma. Et euidentia tunc demùm requiritur; quandò non potest haberi certitudo, & firmitas assensûs, nisi per euidentiam; vti contingit in scientiis humanis: quarum principia si non sint euidentia, sed tantùm probabilia; generabunt duntaxat assensum opinatiuum, & relinquent formidinem de opposito. In Theologia autem certitudo, & firmitas assensûs aliundè habetur: scilicet ex reuelatione diuina: quæ licet ineuidens, tamen est infallibilis. DE DEO, REBVSQVE DIVINIS: quia (vt dictum est) Theologiæ obiectum primarium, est Deus; secundarium, sunt res diuinæ, extrinsecâ denominatione tales: quæ videlicet reducuntur ad Deum, tanquam principium, finem, &c. PER REVELATIONEM, MEDIATE ACCEPTA: quia scientia Theologica habetur mediantibus articulis Fidei, à Deo reuelatis immediatè, & expressè.

5. *Theologia naturalis est Dei, rerúmque diuinarum cognitio*, per lumen naturæ.

6. *Theologia supernaturalis est Dei, rerúmque diuinarum cognitio, per Fidei lumen mediatum.*

7. Siue: *est scientia de Deo, rebúsque diuinis, per reuelationem mediatè accepta.* * EST SCIENTIA, quia Theologia talis est, testimonio Spiritûs sancti, Sapientiæ 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum.* Lucæ 1. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius.* 1. Cor. 12. *Alij per Spiritum datur sermo scientiæ.* Confirmatur ratione, quia iuxta Aristot. 1. Topic. 1. & 1. Post. 2. demonstrationis conclusio, siue cognitio accepta per ratiocinationem procedentem ex primò veris, est scientia, atqui Theologiæ cognitio est talis: ergo est scientia. Subsumptum probatur: quia cognitio Theologica, virtute continetur in articulis Fidei; & per bonam ratiocinationem educitur ex illis, tanquam primò veris, à prima veritate reuelatis. Vnde affirmante Apostolo Heb. 11. *Fides est argumentum*, elenchus, ostensio, & demonstratio *non apparentium*, eorum, quæ nec sensu, nec ratione comprehenduntur.

8. Nec refert, quòd Theologiæ assensus non sit euidens: quia ad assensum, habitúmque scientificum sufficit, quòd cognitio sit certa, & firma. Et euidentia tunc demùm requiritur; quandò non potest haberi certitudo, & firmitas assensûs, nisi per euidentiam; vti contingit in scientiis humanis: quarum principia si non sint euidentia, sed tantùm probabilia; generabunt duntaxat assensum opinatiuum, & relinquent formidinem de opposito. In Theologia autem certitudo, & firmitas assensûs aliundè habetur: scilicet ex reuelatione diuina: quæ licet ineuidens, tamen est infallibilis. DE DEO, REBVSQVE DIVINIS: quia (vt dictum est) Theologiæ obiectum primarium, est Deus; secundarium, sunt res diuinæ, extrinsecâ denominatione tales; quæ videlicet reducuntur ad Deum, tanquam principium, finem, &c. PER REVELATIONEM, MEDIATE ACCEPTA: quia scientia Theologica habetur mediantibus articulis Fidei, à Deo reuelatis immediatè, & expressè.

Theologia viæ est aliquatenus subalterna Theologiæ patriæ.

9. *Subalternatio scientiarum est inferioris scientiæ, ad superiorem subordinatio* : ratione obiecti, principiorum, aut finis. Ratione obiecti, quandò subalterna habet subalternantis obiectum, additione restrictum. Ratione principiorum, quandò illorum euidentiam sumit subalterna à subalternante. Ratione finis, quandò subalternæ finis subordinatur fini subalternantis. Horum trium ratione, Theologia viæ est subalterna Theologiæ patriæ; quadantenùs saltem. Ratione obiecti, quia illa habet huius obiectum, cum additione restrictum: scilicet Deum, obscurè reuelatum. Ratione principiorum, quæ in illa obscura, in hac sunt euidentia. Ratione finis, qui in illa est cognitio, dilectióque Dei, subordinata huius fini; scilicet visioni intuitiuæ, & beatitudini æternæ.

Supernaturalis Theologia viæ potest subdiuidi in Theologiam mysticam, positiuam, moralem, & scholasticam.

10 *Theologia mystica est Dei, rerúmque diuinarum cognitio infusa, mentem sapidè afficiens, eámque intimè Deo coniungens*. COGNITIO INFVSA: licet enim alia viæ Theologia, sit acquisita; hæc tamen est diuinitùs infusa, lumine supernaturali mirabiliter illustrans intellectum. MENTEM SAPIDE AFFICIENS: excitans in voluntate gustum rerum spiritualium, sapidúmque affectum. EAMQVE mentem, ab omni inordinatione puram, INTIME DEO CONIVNGENS.

11. *Theologia positiua est Scripturæ sacræ cognitio, rerumque diuinarum explicatio, sine argumentatione operosa*. Ponendo sensum Scripturæ, & theses, conclusionésque Theologicas, sine argumentis conuincentibus.

12. *Theologia moralis est rerum diuinarum, mores concernentium, cognitio*, tradita minùs accuratis argumentationibus. RERVM DIVINARVM, extrinsecâ denominatione talium. CONCERNENTIVM, MORES, actus humanos, conformes aut difformes rectæ rationi, & legi æternæ. Sumta huius moralis Theologiæ

considerationem, posita est tota prima pars, & initium finísque tertiæ partis.

13. *Theologia scholastica est scientia, ex principiis Fidei, educens demonstratiuè conclusiones de Deo, rebusque diuinis.* Ex principiis Fidei, ex articulis Fidei, veritatibúsque à Deo immediatè reuelatis. Edvcens &c. per modum demonstrationis, & per bonam argumentationem, colligens posteriores propositiones, ex anterioribus.

14. Theologiæ scholasticæ obiectum est Deus: qui est *alpha & omega, principium & finis*, Apoc. 1. 21. & 22. Et quidem in prima parte, Deus trinus, & vnus, vt principium ad intrà personarum diuinarum; ad extrà, Angelorum, hominum, mundi: vt prædestinator, prouisor, & gubernator omnium. In prima secundæ, vt finis creaturæ intellectualis, acquirendus per iustificationem, gratiam, merita, actus humanos, leges, virtutes, fugámque peccatorum. In secunda secundæ, itidem vt finis, acquirendus per virtutes Theologicas, Cardinales, Religionem, sacrificium, contractus legitimos. In tertia parte, vt incarnatus, passus, saluator, Sacramentorum institutor, iudex mundi, præmiator, & vindex.

15. Ex præmissis colligi potest, quòd Theologiæ scholasticæ obiectum adæquatum sit *Ens diuinum, reuelatione mediatâ cognitum.* Obiectum, inquam, adæquatum: quod scilicet sub vna ratione communi comprehendit obiectum primarium, & secundarium: atque adeò omnia, quæ in Theologia tractantur. Ens divinvm, intrinsecè & extrinsecè habens diuini rationem. Revelatione, obscuræ veritatis intimatione. Quâ parte, scholastica differt à Theologia naturali viæ, & supernaturali patriæ: quia obiectum illius, est cognitum euidentiâ luminis naturalis rationis; huius, euidentiâ luminis gloriæ. Non immediatâ, sed Mediata reuelatione; mediantibus principiis Fidei, existente in conclusionibus, inde eductis, Cognitvm certò, firmiter, & demonstratiuè.

16. Theologia est omnium scientiarum excellentis-

ſima, ratione obiecti, principiorum, finis, certitudinis & firmitatis, éſtque ſcientia ſpeculatiua, ſimul & practica.

17. *Scientia ſpeculatiua eſt habitualis, certa, & firma cognitio rei, non operabilis* à cognoſcente: habens pro fine ſuo intrinſeco, nudam veritatis contemplationem; & non operationis directionem. EST HABITVALIS, per modum qualitatis permanentis, difficulter à ſubiecto amouibilis. CERTA, verſans circa obiectum indubiæ veritatis. FIRMA, cum aſſenſu perfecto, & conſtante; excludente omnem formidinem de oppoſito. COGNITIO, obiecti ſcibilis, per intellectum apprehenſio. REI NON OPERABILIS, quæ à ſciente non eſt factibilis: vel ſaltem non eſt facienda, actione immanente, vel tranſeunte: nec eſt acquiſibilis, tanquam finis, per media propriarum ſcientis operationum. HABENS PRO FINE INTRINSECO, pro obiecto, quod eſt finis intrinſecus operis. NVDAM VERITATIS CONTEMPLATIONEM, meram conſiderationem naturæ & proprietatum obiecti cogniti; conformem ad illud. ET NON OPERATIONIS DIRECTIONEM: non præſcriptum operis, rectè faciendi.

18. *Scientia practica eſt habitualis, certa, & firma cognitio obiecti, à cognoſcente operabilis*: habens pro fine ſuo intrinſeco, & vltimo, operationis directionem. OBIECTI OPERABILIS, rei, quæ ſuapte naturâ talis eſt, vt poſſit à ſciente fieri; vel tanquam finis acquiri. Quo modo Deus, qui non eſt à nobis factibilis; eſt tamen tanquam finis vltimus acquiſibilis, per operationes noſtras, tanquam media. HABENS PRO FINE INTRINSECO, pro obiecto cognitionis. ET VLTIMO fine, ad quem naturâ ſuâ tendit cognitio, & in quo terminatur: quamvis ſciens, pro fine ſuo extrinſeco, poſſit habere meram obiecti conſiderationem, ibíque ſiſtere. OPERATIONIS DIRECTIONEM, regulationem operis rectè faciendi: id eſt, conformiter ad præſcriptum rectæ rationis, vel artis.

19. Theologia eſt Sapientia, 1. Cor. 12. *Alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ.* Subinde accipitur Sapien-

tia pro perfecta cognitione omnium ſcibilium, & conſecutione omnium ſcientiarum: vti iuſtitia pro aggregatione omnium virtutum. Quo ſenſu videtur dixiſſe Cicero 4. Tuſcul. & 2. Offic. *Sapientia eſt rerum diuinarum, atque humanarum, cauſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientia.* Aliàs accipitur pro particulari ſcientia vnius generis, aliquatenùs tamen vniuerſali, quæ ſic poteſt definiri.

20. *Sapientia eſt rerum altiorum perfectiſſima cognitio.* RERVM diuinarum, & humanarum, ſupernaturalium, & naturalium, & quadantenùs omnium ſcibilium humanitùs. ALTIORVM, non obuiarum rerum, communium, & triuialium: ſed reconditarum, eminentium, & à ſenſibus remotiorum, PERFECTISSIMA, certiſſima, & firmiſſima COGNITIO: éaque propter ſe appetibilis: ad quam aliæ cognitiones ordinantur, & ipſa ad nullam aliam ſuperiorem. Cognitio, inquam, rerum; per omnes earum cauſas, (ſi quas habent) eáſque altiſſimas, & ſupremas. Cauſas autem, realiter influentes eſſe in res, tanquam in effectus: vel cauſas latè dictas, quæ ſcilicet ſunt cauſæ cognoſcendi res à priori, ſúntque rationes attributorum, quæ de ſubiecto ſcibili demonſtrantur. Eiuſmodi Sapientia, eſt Theologia: quia *eſt cognitio perfectiſſima*, fundata in reuelatione diuina. Eſtque *rerum altiorum*, diuinarum, & humanarum: imò omnium ſcibilium eminenter, & virtualiter: hoc ipſo, quo tractat de Deo, omnium rerum ſupremâ cauſâ efficiente, & finali. Quin & omnium ſcibilium in particulari, quantùm humanitùs fieri poteſt. Eſt enim cognitio Theologica propter ſe appetibilis, ad quam aliæ cognitiones, tanquam ad ſupremam ordinantur.

Quia verò Theologia ſcholaſtica, ex principiis Fidei, per modum demonſtrationis educit concluſiones Theologicas, ideò videndum eſt, quid ſit demonſtratio, & concluſio Theologica.

21. Demonſtratio eſt ratiocinatio, procedens ex primò veris, immediatè, vel mediatè. Siue, *eſt argumentatio ex primò veris: aut iis, quæ per primò vera, ſua cogni-*

stionis principium sumpserunt. Quæ scilicet possunt demonstrari per propositiones primò veras.

22. *Primo vera sunt ea, quæ non per alia, sed per seipsa fidem habent.* SVNT EA, scilicet propositiones necessariæ, in quibus est intrinseca & immutabilis connexio prædicati cum subiecto. NON PER ALIA, natura priora in eadem scientia, eodémque genere causæ. SED PER SEIPSA, ratione sui, & connexionis terminorum suorum. FIDEM HABENT, obiectiuè: nam intellectis primò verorum terminis, iisdem immediatè assentitur intellectus, & adhibet *fidem*, assensum

23. certum, firmum, & euidentem. * *Assensum*, inquam, id est, intellectûs adhæsionem ad obiectum cognitum. *Certum*, versantem circa obiectum indubitæ veritatis. *Firmum*, constantem, expulsâ omni hæsitatione, & oppositi formidine. *Euidentem*, circa obiectum clarè visum in se, vel in suis principiis. Quamvis autem euidentia hæc requiratur ad ordinarium assensum demonstratiuum, non tamen ad Theologicum, vti notauimus n. 8.

24. *Conclusio est propositio, per bonum discursum, illata ex aliis premissis.*

25. *Conclusio Theologica est propositio, per bonum discursum, illata ex præmissis reuelatis*, fidéque creditis; vtrisque, vel alterutrâ. Si præmissarum vtraque sit de Fide, conclusio erit in rigore Theologica: Si vna tantùm sit de Fide, & altera euidenter nota; conclusio erit necessaria & infallibilis. Si autem altera, tantùm sit probabilis, conclusio erit itidem duntaxat probabilis: quia conclusio, tanquam effectus, sequitur debiliorem partem antecedentis veri, tanquam causæ suæ.

26. Conclusio Theologica, quâ talis, est inferioris certitudinis, quàm præmissæ reuelatæ: quia conclusio nititur discursu intellectûs creati, qui in suâ operatione falli potest.

27. Secundùm Ciceronem, *Locus topicus est sedes argumenti.* Vel iuxtà Boëtium, *Est commune promptuarium ex quo ad propositam quæstionem, conueniens ducitur argumentum.* Quemadmodum enim in loco physico corpus

continetur; ita in loco topico argumentum, quod inde depromitur. Argumentum, inquam, siue propositio, apta nata inferre aliam propositionem, & generare assensum. Vnde hic.

28. *Argumentum est legitima argumentationis antecedens* solum.

29. *Locus Theologicus est sedes argumenti, apti inferre consequens Theologicum*, per legitimam argumentationem. Siue, *est commune promptuarium, continens principia elicitiua conclusionum Theologicarum.*

Locus Theologicus est proprius, vel improprius: necessarius, vel non necessarius: internus, vel externus.

30. *Locus proprius est sedes argumenti, ad controuersiam Theologicam proximè & per se pertinentis.*

31. *Locus improprius est sedes argumenti, ad controuersiam Theologicam remotè & per accidens pertinentis.*

32. *Locus necessarius est is, vnde depromitur necessarium argumentum*, siue antecedens, ex quo per legitimam argumentationem, necessariò sequitur consequens Theologicum, propter intrinsecam connexionem huius cum illo.

33. *Locus non necessarius est is, vnde depromitur argumentum probabile tantùm*, siue antecedens, non habens necessariam connexionem cum consequente Theologico illato.

34. *Locus internus est is, vnde depromitur argumentum internum*, siue propositio inferens, intrinseca illatæ Theologicæ; id est, spectans ad essentiam illius.

35. *Locus externus est is, vnde depromitur argumentum externum*, siue propositio inferens, extrinseca illatæ Theologicæ, & nullatenus spectans ad essentiam illius.

36. Possunt assignari vniuersim tredecim loci Theologici. 1. Verbum Dei scriptum. 2. Verbum Dei traditum. 3. Miracula, in attestationem diuinæ veritatis patrata. 4. Apostolicæ Sedis definitio, in rebus, concernentibus Fidem, & mores. 5. Definitio Concilij, à Sede Apostolica approbati. 6. Consensus Ecclesiæ vniuersalis. 7. Vnanimis sensus Patrum, & Doctorum Ecclesiæ. 8. Authoritas Conciliorum, non ap-

probatorum, nec reprobatorum à Sede Apostolica. 9. Authoritas quorundam Patrum, & Doctorum Ecclesiæ. 10. Authoritas Scholasticorum, & Canonistarum. 11. Authoritas Iurisperitorum, Medicorum, & Philosophorum. 12. Authoritas Historicorum. 13. Ratio naturalis.

37. Ex antedictis locis Theologicis, duo primi sunt in rigore tales, proprij & necessarij: vtpotè sedes, & promptuaria continentia veritates, à Deo immediatè reuelatas: quæ sunt potissima principia ellicitiua argumentationum, & conclusionum Theologicarum. Ad eosdem reducuntur quinque loci sequentes, vsque ad septimum inclusiuè, quando affirmant aliquid esse reuelatum à Deo immediatè: vel esse de Fide. Verùm subindè continent tantùm explicationes, eductas è veritatibus reuelatis. Insequentium locorum quidam sunt non necessarij, externi, & improprij.

38. *Scriptura sacra est verborum, sententiarumque contextus, à Deo dictatus: & ab authore hagiographo, litteris consignatus.* SCRIPTVRA SACRA, sic dicta ab authore sacro, principali, & secundario. EST VERBORVM singulorum, SENTENTIARVMQVE, ex eiusmodi verbis compositarum CONTEXTVS, series deducta ab initio, vsque ad finem. A DEO inspirante, & interiùs loquente DICTATVS. ET AB AVTHORE HAGIOGRAPHO, sancto scriptore; per se, vel per amanuensem, LITERIS veteris, nouique Testamenti, CONSIGNATVS.

39. *Author hagiographus est sanctus scriptor: cuius scripta sunt relata in canonem Scripturæ sacræ.* SANCTVS SCRIPTOR, qui Spiritu sancto inspirante est locutus 2. Petri 1. cuius lingua fuit calamus scribæ, velociter scribentis, Psal. 44. IN CANONEM, in catalogum, & indicem, continentem genuinos Scripturæ sacræ libros: qui habetur in Concil. Trid. Sess. 4.

40. *Scipturæ sacræ sensus est verborum illius immediata, mediatáve significatio:* intenta à Deo, eóque inspirante, ab authore hagiographo. IMMEDIATA significatio: qualis est in sensu literali MEDIATAVE, mediantibus

rebus, per verba significatis: qualis est in sensu mystico. INTENTA A DEO, tanquam authore principali. EOQVE INSPIRANTE, non proprio iudicio suggerente: vti contigit Ionæ, & Caiphæ, in suis Prophetiis. AB AVTHORE HAGIOGRAPHO, eidem intenta significatio.

41. Scripturæ sacræ sensus est duplex: *Literalis, quo verba significant res*: & *mysticus, quo res verbis significatæ, aliud vlterius significant*. Nam sacræ Scripturæ liber, est scriptus intùs, & foris. Ezech. 2. & Apoc. 5. *Intùs*, ratione sensûs mystici, interioris, & reconditi: *Foris*, ratione sensûs literalis, exterioris & expositi. Scripturæ sensus historicus, siue,

42. *Sensus literalis est verborum Scripturæ, propriè, figuratéve acceptorum, immediata significatio*: intenta à Deo, eóque inspirante, ab authore hagiographo. Hic sensus literalis est duplex, vti innuit definitio: scilicet proprius, & figuratiuus.

43. *Sensus literalis proprius est Scripturæ verborum, propriè acceptorum, immediata significatio.* Qualis est in his, & similibus sententiis: *Non mœchaberis: Non furtum facies, &c.*

44. *Sensus literalis metaphoricus est Scripturæ verborum, figuratè acceptorum immediata significatio.* Qualis est in his, & similibus sententiis: *Habitabit lupus, cum agno: & pardus, cum hœdo accubabit.* Isaiæ 11. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Matth. 5.

45. Verba Scripturæ semper sunt accipienda in propria significatione, quotiescumque non ingerunt sensum absurdum: quem si ingerant, recurrendum est ad metaphoram, & sensum figuratiuum.

46. Omnis scriptura habet verum sensum literalem; non semper mysticum: quem non habet ea scriptura, quæ immediatè agit de naturali lege charitatis, de morum instructione, & beatitudine æterna. Exempli causa: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo: & proximum tuum, sicut teipsum. Non falsum testimonium dicas. Videbimus eum, sicuti est. Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum.* Quandò autem

Patres dicunt, quasdam scripturas non habere sensum literalem, sed tantùm mysticum; per literalem intelligunt proprium literalem: & per mysticum intelligunt metaphoricum literalem.

47. Vna & eadem Scriptura subinde habet plures sensus literales, immediatè per verba, propriè, figuratève accepta, intentos. Exempli gratiâ, locus Psalmi 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, intelligitur literaliter ab Apostolo Heb. 1. de æterna & temporali Christi generatione: & ab eodem Act. 13. de eiusdem Christi resurrectione. Locus Oseæ 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, intelligitur literaliter de populo Israëlitico, & Christo Domino. Eiusmodi etiam est locus Scripturæ, complectens typum & antitypum. Exempli gratiâ, Isaiæ 14. vbi ad literam describitur casus Luciferi, & regis Babylonis. Ezechielis 28. casus Cherub, & regis Tyri. Genesis 3. vbi Deus maledicit serpenti, & diabolo in eo latenti.

48. *Sensus mysticus est rerum Scriptura verbis significatarum, vlterior significatio. Siue, est rei secundæ significatio per primam, Scriptura verbis significatam.* Vnde res illa, secunda, immediatè significatur per primam, Scripturæ verbis significatam: mediatè autem per verba, Idque ex intentione Dei; & authoris hagiographi, ab eo inspirati.

49. Sensus mysticus est triplex: allegoricus, tropologicus, & anagogicus. Quemadmodum enim Scripturæ verba, propriè, figuratève accepta, immediatè significant res, sensu literali; ita eædem res significant aliquandò aliud, ad Fidem & Ecclesiam militantem pertinens: & sic habetur sensus allegoricus. Vel significant aliud, ad morum instructionem, & officia charitatis pertinens: & sic habetur sensus tropologicus. Vel significant aliud, pertinens ad Ecclesiam triumphantem, & spei nostræ consummationem, & sic habetur sensus anagogicus,

50. *Sensus allegoricus est rei, ad Ecclesiam militantem pertinentis significatio, per aliam rem, Scripturæ verbis immediatè significatam.* Rei, inquam, intentæ à Spiritu

sancto, eôque inspirante, ab authore hagiographo.

51. *Sensus tropologicus est rei, ad morum instructionem pertinentis significatio, per aliam rem, Scripturæ verbis immediatè significatam.*

Tropologicus, siue moralis mysticus differt à morali literali: quia in hoc mores instruuntur immediatè per verba: in illo, per res gestas, verbis expressas.

52. *Sensus anagogicus est rei, ad Ecclesiam triumphantem pertinentis significatio, per aliam rem, Scripturæ verbis immediatè significatam.*

53. Quatuor Scripturæ sensus comprehenduntur his versiculis:

Litera gesta docet, quid credas allegoria:
Moralis quid agas, quid speres anagogia.

54. Iidem quatuor sensus significantur ab Apostolo Galat. 4. *Abraham*, inquit, *duos filios habuit: vnum* Ismaëlem *de ancilla* Agar: & *vnum de libera* Sara. En sensus historicus, & literalis. *Quæ sunt per allegoriam dicta: Hæc enim sunt duo Testamenta.* En sensus allegoricus, quo per Abrahamum significatur Deus: per duas vxores, Agar & Saram, significantur duo Testamenta, vetus & nouum: per Ismaëlem & Isaacum significantur duo populi; Iudaïcus Deum colens, sub seruitute Legis, & cum timore pœnæ: Christianus, sub libertate gratiæ & Spiritûs, virtutis amore. *Illa autem quæ sursùm est Ierusalem, libera est: quæ est mater nostra.* En sensus anagogicus, quo per Ierusalem terrenam, significatur cœlestis, & Ecclesia triumphans. *Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm Spiritum; ita & nunc.* En sensus tropologicus, quo per Isaaci persecutionem, ab Ismaële factam, significatur persecutio Christianorum, per Iudæos, expellendos tandem è domo Dei: Ecclesiâ scilicet militante & triumphante: dum interim illis exclusis, Christiani patientes, hæredes erunt Dei, cohæredes autem Christi.

Subinde vnum & idem Scripturæ verbum habet præfatos quatuor sensus. Exempli gratiâ *Ierusalem* literaliter significat ciuitatem Iudææ: allegoricè Ecclesiam militantem: tropologicè animam fidelem: anagogicè

patriam

patriam cœlestem. Similiter quando Genesis 1. dicitur *Fiat lux*, significatur litteraliter lux corporalis, allegoricè Christus; tropologicè gratia, anagogicè lumen gloriæ, generaliter sumptum.

55. *Attributum diuinum est nomen de Deo propriè prædicabile.* Attributum sic dictum; quia Deo non metaphoricè, sed verè attribuitur: & de eo propriè prædicatur. Eiusmodi attributum est *ens, essentia, substantia, spiritus*, & quodcumque simile nomen, etiam quidditatiuum; id est, diuinæ essentiæ constitutiuum.

Hoc generali modo acceptum attributum diuinum, vnum est positiuum, aliud negatiuum: vnum absolutum, aliud relatiuum. Affirmatiuum, siue.

56. *Positiuum attributum est nomen, significans formaliter realem perfectionem, de Deo affirmabilem.* Vti *iustus, sanctus*, &c.

57. *Negatiuum attributum est nomen, significans formaliter negationem, & remouens à Deo imperfectionem.* Vti, *increatus, immensus, &c.* Hoc attributum negatiuum connotat in Deo perfectionem: quia imperfectionis exclusio, est perfectio.

58. *Attributum absolutum est nomen, de Deo prædicabile, sine habitudine ad aliud suppositum.* Vti, *bonus, sapiens, &c.*

59. *Attributum relatiuum est nomen, de Deo prædicabile, cum habitudine ad aliud suppositum.* Habitudine, inquam, siue relatione, reali ad intrà, vti *Pater, Filius, Spirans*: vel rationis, ad extrà, vti *Dominus, creator, prima causa*, &c.

Propriè, & strictè sumptum.

60. *Attributum diuinum est nomen essentiale, positiuum, absolutum, de Deo propriè prædicabile, tanquam proprietas.* NOMEN, prædicatum, quod de Deo verè dici potest. Id nomen, quod moderni Theologi vocant attributum diuinum; Dionysius, & veteres vocarunt nomen diuinum. ESSENTIALE, competens essentiæ diuinæ, & commune tribus personis: non tamen essentiæ diuinæ constitutiuum. POSITIVVM, & affirmatiuum, significans formaliter realem perfectionem, id

Deo existentem; non autem imperfectionis remotionem. ABSOLVTVM, non dicens habitudinem ad aliud suppositum: siue relationem realem ad intrà; aut rationis, ad extrà. DE DEO, de essentiâ diuinâ, & tribus personis. PROPRIE, non metaphoricè, neque figuratiuè. PRÆDICABILE, quod potest de Deo prædicari. TANQVAM PROPRIETAS & perfectio, profluens ex essentiâ diuinâ, eique necessario competens, non eam constituens, sed ei constitutæ (nostro concipiendi modo) superueniens.

61. Itaque à definitione attributi diuini, strictè dicti, excluditur, primò nomen personale, & notionale: vti, *Pater innascibilis*, &c. 2. Nomen negatiuum, remouens imperfectionem: vti, *increatus*, *infinitus*, &c. 3. Nomen relatiuum ad intrà, & extrà: vti, *spirans*, *Dominus*, &c. 4. Nomen metaphoricum: vti, *leo*, *agricola*, *Zelotes*, &c. 5. Nomen quidditatiuum, & essentiæ diuinæ constitutiuum: vti, *spiritus*, *substantia*, &c.

62. Strictè dicta attributa diuina non distinguũtur realiter ab essentiâ diuinâ, 1. nec inter se, 2. Distinguntur tamen ratione ratiocinatâ, ab eâdem essentiâ, 3. Et inter se, 4. Primi membri ratio est, quia est de fide, quòd in diuinis omnia sunt vnum: vbi non obuiat relationis oppositio. Sed inter essentiam diuinam, & attributa, non obuiat oppositio: ergò essentia diuina, & attributa sunt vnum: & consequenter non distinguntur realiter. Confirmatur, quia Deus prædicatur non tantum iustus, bonus, &c. sed etiam in abstracto iustitia, bonitas, &c. Quæ autem distinguntur realiter, non possunt de se inuicem, in abstracto prædicari. Secundi ratio est, quia essentia diuina est omninò simplex: ergò attributa illius, non sunt inter se realiter distincta. Aliàs essentia diuina non foret simplex, sed composita ex pluribus attributis, realiter inter se distinctis. Tertij, & quarti ratio est, quia licet in Deo essentia, & attributa, sint vna simplex & indistincta entitas; tamen intellectus humanus non potest illam adæquatè concipere, vnico conceptu formali: sed eget multis conceptibus inadæquatis: quorum vno

concipit essentiam, altero potentiam, misericordiam, &c. idque cum fundamento in re: quia hæc omnia sunt in Deo, secundum verissimam sui rationem: & ratio essentiæ, non est ratio potentiæ, misericordiæ, &c. Atque adeò sunt distincta ratione. non tantum ex parte rationis ratiocinantis, sed ipsius rei ratiocinatæ.

63. Attributa diuina generaliter dicta, varia sunt: vti cæpimus dicere suprà n. 55. Quædam enim sunt positiua, vt *iustus*, *sanctus*: alia negatiua, vt *immortalis*, *incorporeus*. Quædam sunt absoluta, vt *potens*, *sapiens*: alia relatiua, vt *pater*, *dominus*. Quædam sunt propria, vt *bonus*, *verus*: alia metaphorica, vt *vitis*, *petra*. Quædam sunt concreta, vt *viuens*, *clemens*: alia abstracta, vt *veritas*, *vita*. Quædam conueniunt ab æterno, vt *vnus*, *trinus*: alia ex tempore, vt *creator*, *redemptor*. Cæterùm quodcunque tandem attributum, & nomen vsurpemus, Deum adæquatè nominare non possumus, neque eum definire.

64. *Nominare Deum est ei imponere nomen, adæquatè exprimens naturam diuinam.* Quod vt fiat, nominans debet essentiam diuinam comprehensiuè intellectu concipere, illiusque similitudinem adæquatam formare, & verbo mentis exprimere.

65. *Definire Deum est explicare naturam Dei, per essentialia illius.* Nam,

66. *Definitio est oratio, naturam rei explicans, per essentialia definiti.* Qualia sunt, genus & differentia, tanquam partes essentiales logicæ, vel metaphysicæ: item materia & forma, tanquam partes essentiales physicæ. Cùm ergò viator non cognoscat Deum quidditatiuè, & ne quidem comprehensor, illum adæquatè comprehendat; non potest illum adæquatè nominare, neque definire.

Interim potest Deus aliquatenùs describi, per imitationem generis, & differentiæ: siue per prædicatum commune, & proprium; dicendo quòd.

67. *Deus est ens, quod est. Est ens independens, à quo omne aliud est dependens.* ENS, iuxta illud Exodi 3.

Ego sum, qui sum. Sic dices Filijs Israel: Qui est, misit me ad vos. Et Iob 14. *Tu, qui solus es.* & 23. *Ipse enim solus est*, quia solus est ens necessarium: solus est ens, cuius essentia est esse, siue existentia. Solus est ens à se: non positiuè, quasi Deus sit suiipsius causa: sed negatiuè, quia non est ab alio ente dependens, tanquam causâ efficiente. Vel potiùs, *Ens à se*, id est, Ens habens esse, vi solius essentiæ suæ. Vnde ineffabile Dei nomen est *Iehouah*, id est, Ens fons essendi, principium omnis entis. Itaque Deus est ens per essentiam, alia sunt entia per participationem.

68. *Ens per essentiam est ens, vi essentia sua habens existentiam*, non aliunde communicatam.

69. *Ens per participationem est ens habens existentiam, aliundè communicatam*, & non ab essentiâ suâ.

70. Deus est vnus affirmatiuè, siue indiuisus in se: est etiam vnus exclusiuè, id est vnicus & singularis, excludens sui similium pluralitatem. Patet ex Deutero. 6. *Dominus Deus noster, Deus vnus est.* 1. Cor. 1. *Nullus est Deus, nisi vnus.* 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.*

71. *Vnum affirmatiuè est ens, in seipso indiuisum.* Siue, *est ens simplex, aut vnicum*; ens absque partibus, sui constitutiuis; aut cum illis realiter vnitis, & à se indiuisis. Priori modo Deus est vnus affirmatiuè, vti patebit ex attributo simplicitatis.

72. *Vnitas affirmatiua est entis simplicitas.* Siue, *est indiuisio entis in seipso*: vel, *est entitas in se indiuisa*, id est, omninò simplex: vel constituta ex pluribus, realiter vnitis. Vnde Vnitas dicit negationem compositionis, vel indiuisionem partium componentium: ita vt illæ constituant ens vnum, & non entia.

73. *Vnum exclusiuè est ens vnicum, excludens sui similium pluralitatem.* Sic est vnus Deus. Deutero. 32. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus, præter me.* Vnde tres personæ diuinæ, non possunt dici tres dij: sicut tres personæ humanæ, sunt tres homines: quia natura humana communicatur cum sui multi-

plicatione indiuiduali: diuina autem, eadem numero & indiuiduo communicatur tribus personis diuinis.

74. *Vnitas exclusiua est entis singularitas, excludens sui similium pluralitatem.* Eiusmodi est vnitas solis, mundi, & Dei. Quando autem Apostolus 1. Cor. 8. dicit quòd *sint dij multi, & Domini multi*, intelligit (innuente contextu) de idololatris, qui admittebant multos Deos. Quando etiam Exodi 7. 22. & 28. Psalmo 21. & Ioan 10. homines quidam vocantur dij; hoc dicitur impropriè, propter diuinæ potestatis, & dignitatis participationem.

75. Deus est actus purus. *Actus*, ens actu existens. *Purus*, sine admixtione potentialitatis, siue potentiæ obiectiuæ, & subiectiuæ. Itaque Deus est *actus purus*, quia est ens necessarium, non habens existendi potentialitatem, sed necessariò actualem existentiam. Est insuper *purus*, quia est ens perfectissimum, non habens potentiam subiectiuam, neque capacitatem perfectionis adiectiuæ.

76. *Potentia obiectiva est possibilitas existendi.* Siue, *non repugnantia ad existendum*, antecedenter ad existentiam actualem. Vocatur obiectiua, quia ens potentiale est obiectum potentiæ realis, per quam potest poni in existentia actuali. Ab hac potentiâ obiectiuâ dicitur ens potentiale, & possibile, distinctum contra ens actuale.

77. *Potentia subiectiua est capacitas recipiendæ perfectionis.* Siue, aptitudo ad recipiendum aliquid, tanquam sui perfectiuum. Hæc potentia inuoluit imperfectionem, vtpote negationem perfectionis, receptu possibilis.

78. Deus est simplex: id est, ens habens essentiam non adunatam ex pluribus extremis, se constituentibus.

79. *Ens simplex est ens, habens essentiam non compositam* ex pluribus partibus, se componentibus. Formaliter.

80. *Simplicitas est negatio compositionis.* Materialiter

connotat independentiam entis, à partibus se constituentibus: & consequenter connotat modum essendi perfectum: quo ens habet totam suam essentiam, sine plurium adunatione: sed in simplici entitate, quæ est totum quod est.

81. *Ens compositum est ens, habens essentiam adunatam ex partibus, se constituentibus.*

82. *Compositio est plurium vnio, ex quibus vnum resultat.*

83. Deus est sanctus, & per essentiam sanctus. Patet ex Isaiæ 6. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus.* Et Exodi 15. *Magnificus in sanctitate.* Secundum Dionisium l. de diuinis nom. c. 12.

84. *Sanctitas est perfecta puritas à peccato*, tanquam immunditia spirituali. Sanctitas diuina est eiusmodi puritas per essentiam: beatorum per participationem, ab omni peccato, etiam veniali: viatorum ordinaria, à mortali.

85. *Sanctum per essentiam est suppositum, habens à se, vi solius essentia, perfectam puritatem spiritualem.* EST SVPPOSITVM intellectuale. HABENS A SE, independenter ab alio, tanquam causa efficiente. VI SOLIVS ESSENTIÆ, ita vt ea, à quibus denominatur sanctum, sint illius nuda essentia; non autem accidentia, superaddita essentiæ. HABENS PERFECTAM PVRITATEM, omnimodam mundiciam à peccato, etiam minimo.

86. *Sanctum per participationem est suppositum, habens sanctitatem, essentiæ superadditam, à Deo acceptam.*

87. *Sanctitas per essentiam est suppositi independentis puritas perfecta, vt, solius eßentia.* Hæc soli Deo competit, enti independenti, perfectissimo, simplicissimo, & actui puro.

88. *Sanctitas per participationem est puritas, essentiæ superaddita, & à Deo accepta.* Est essentiæ creatæ aduentitia, & accidentaria.

89. Creaturæ sunt sanctæ, per participationem sanctitatis diuinæ: non quòd sint formaliter sanctæ, per

sanctitatem diuinam, tanquam formam, ipsis inhæ-
rentem: sed quia intrinsecam suam sanctitatem habent participatam, & causatam à Deo, tanquam causâ efficiente. Idem esto iudicium de bonitate participatâ, iustitiâ, &c.

90. Quomodo locuti sumus de sancto & sanctitate per essentiam; ita ratiocinandum est de sapiente & sapientiâ per essentiam, cæterisque attributis diuinis, tam concretis, quàm abstractis; vt scilicet sapiens, iustus, &c. per essentiam; habeat essentiam suam à se, independenter ab alio, tamquam causâ efficiente: & attributi plenitudinem habeat vi solius essentiæ, absque vllo superaddito.

91. Deus est bonus, & per essentiam bonus. Patet ex Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Quem locum Patres, & scripturæ interpretes intelligunt de bono per essentiam. Quando autem dicitur solus Deus esse bonus, &c. per essentiam; additio illa *per essentiam*, afficit subiectum *Deus:* qui solus, sine vllo superaddito, vi nudæ essentiæ suæ, est bonus. Afficit insuper prædicatum *bonus*, quia solus Deus habet bonitatem non participatam, sed essentialem: quæ est plenitudo, & origo omnis bonitatis.

92. *Bonum est ens conueniens* sibi, alteriue. Vnde est duplex bonum; vnum bonum sibi, aliud bonum alteri. Et vtrumque est bonum, quia est conueniens: est autem conueniens sibi, quia perfectum; alteri, quia perfectionem ei adfert. Itaque bonum in se, siue

93. *Bonum sibi, est ens, habens perfectionem sibi debitam. & conuenientem natura sua*; & appetitui proprio, naturali, sensitiuo, vel rationali.

94. *Bonum alteri est ens, adferens perfectionem, conuenientem natura alterius*; & conformem appetitui alieno.

95. *Conueniens est quid, perfectionem adferens.* Siue, *est quod conforme natura rei, cui conuenire dicitur.* Vnde licet BONVM & PERFECTVM, sæpe sumantur vt synonima; illud tamen est subsequum ad

hoc. Nam ideo aliquid est bonum, & conueniens, quia est perfectum, omnibusque requisitis completum. Ideoque.

96. *Bonitas est perfectio, sibi alterive conueniens:* Vel potiùs, *est conuenientia, resultans ex perfectione rei,* & complemento requisitorum.

97. *Bonum per essentiam est ens independens, habens plenitudinem bonitatis, vi solius essentiæ suæ.* INDEPENDENS ab alio, tanquam causâ efficiente. HABENS PLENITVDINEM BONITATIS, totam & plenam suam perfectionem, & conuenientiam. VI SOLIVS ESSENTIÆ, sine vllâ aduentitiâ bonitate, superadditâ essentiæ.

98. *Bonum per participationem est ens dependens, habens bonitatem, non ab essentiâ suâ totam:* sed partim ab eâ, partim ab ei superadditâ perfectione.

99. *Bonitas per essentiam est perfectio & conuenientia independens, ab essentia sola prouenient:* tota substantialis, & nullatenùs accidentaria.

100. *Bonitas per participationem est perfectio & conuenientia dependens; ab accidente superaddito essentiæ, prouenient.*

Bonitas creata est participata à bonitate diuina, tanquam causâ efficiente, exemplari, & finali. Efficiente, quia Deus effectiuè producit bonitatem creatam; exemplari, quia bonitas diuina est idæa & exemplar bonitatis creatæ: finali, quia bonitas diuina, tanquam finis vltimus mouet creaturam ad sui amorem & assecutionem.

101. Deus est perfectus. Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Confirmatur ratione, quia Deus continet in se omnes perfectiones, creatas & increatas. Creatas, quia illarum est causa efficiens: increatas, quia cum illæ sint infinitæ, non possunt esse, nisi in ente infinito. Deus est absolutè perfectus per essentiam, quia habet omnem omnino perfectionem, vi solius essentiæ suæ.

102. Etymologicè *perfectum est ens totaliter factum:* cuius potentia est totaliter reducta ad actum. Sic acce

prium perfectum non competit Deo, vtpote non facto, & actui puro.

103. *Perfectum positiuè, est ens, habens omnia requisita ad sui complementum.*

104. *Perfectum negatiuè, est ens, cui nihil perfectionis deest; iuxta naturæ suæ exigentiam.*

105. *Perfectum priuatiuè, est ens, cui nihil deest perfectionis, debita inesse.*

106. *Perfectum secundùm quid, est ens, habens in certo ordine limitato, omnia requisita ad sui complementum.*

107. *Perfectum absolutè est ens, ad cuius complementum omnis omninò perfectio est requisita, & habita.* Siue, *est ens, habens omnem omninò perfectionem:* ita vt nulla desit, nec deesse possit.

108. *Perfectum per essentiam est ens, à se habens omnimodam perfectionem, cui solus essentia sua:* sine vllâ aliundè superadditâ.

109. *Perfectio, est complementum requisitorum ad rei integritatem.* Item, *est entitas conueniens naturæ rei,* propriæ vel alienæ.

Perfectio vna est simpliciter talis, alia secundùm quid.

110. *Perfectio simpliciter, est ea, quæ nullam imperfectionem habet, nec oppositionem cum alia perfectione, æ*quali, vel maiore. Siue, iuxta Anselmum Monologij c. 14. *est ea, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa.* Id est, quæ in vnoquoque, considerato in ratione entis, melior est ipsa, quàm incompossibile ipsius. Eiusmodi est *intellectuale, voluntas, iustitia,* &c. Dixi, *considerato in ratione entis,* quia v.g. Leoni considerato vt leoni, licet non sit melius *intellectuale* (vtpote destructiuum naturæ leoninæ) quàm *irrationale*; tamen eidem leoni, considerato vt enti, melius est *intellectuale* quàm quæuis alia perfectio incompossibilis, ipsique repugnans. Non simpliciter, sed.

111. *Perfectio secundùm quid, est ea, quæ mixtam imperfectionem habet, vel oppositionem cum alia perfectione,* æquali, vel maiore. Id est, quid conueniens naturæ rei, ita vt in formali suo conceptu inuoluat imper-

fectionem. v. g. *irrationale* inuoluit rationis priuationem: vel repugnantiam cum perfectione æquali, v. g. *frigus* cum calore: vel cum maiore, v. g. *Corporeum* cum spirituali. Item secundùm præfatum Anselmum,

112. *Perfectio secundùm quid, est ea, qua non est melior ipsa, quàm non ipsa*, v. g. *calor, inanime*, &c.

113. Perfectiones simpliciter continentur in Deo formaliter, eximio & excellentissimo modo, excludente omnem

114. Creatarum perfectionum imperfectionem. * *Formaliter*, inquam, *id est secundum essentiam, & rationem suam formalem.* Nam tota essentia; & ratio formalis eiusmodi perfectionum reperitur in Deo. Secus est de perfectionibus non simpliciter, quæ non continentur in Deo formaliter: quia de se inuoluunt imperfectionem, quæ à Deo excludenda est. Aliàs forent in Deo opposita, vt *calor, frigus*, &c. Nihilominùs eædem perfectiones non simpliciter, continentur in

115. Deo * *eminenter, id est in entitate eminentiore. causâ*

116. *que efficiente.* Insuper * *virtualiter id est, in virtute & efficacia se solo præstandi omnia, qua per illas præstari possunt.* Continentur etiam in Deo obiectiuè, vt in intelligente: & repræsentatiuè, vt in idæâ, & exemplari. Et sic habent in Deo quadruplex esse. primum eminens, secundum virtuale, tertium intelligibile, quartum ideale.

117. Ratione huius continentiæ eminentialis & virtualis, Deus Exodi 33. vocatur *omne bonum*: Sapientiæ 1. dicitur *quod continet omnia.* Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Coloss. 1. *In ipso condita sunt vniuersa, & omnia in ipso constant.*

118. Propriè loquendo, non sunt in Deo diuersæ perfectiones: sed est vnica simplicissima entitas (quæ est omnis perfectio possibilis) ab intellectu nostro concepta inadæquatis conceptibus, sub ratione potentiæ, sapientiæ, iustitiæ, &c. Deus est infinitus, & im-

mensus. Baruch. 5. *Magnus est, & non habet finem: excelsus, & immensus.*

119. *Infinitum est ens illimitatæ perfectionis, absque fine graduum intensionis.*

120. Infinitas diuina accipitur duobus modis: primò pro illimitatione intensiuâ omnis perfectionis diuinæ: secundò pro speciali attributo. Primo modo sumpta.

121. *Infinitas est perfectionum diuinarum illimitata intensio, absque termino & fine.* Est, inquam, modus infinitus omnium attributorum diuinorum, sapientiæ, bonitatis, &c. Secundo modo sumpta.

122. *Infinitas est essentiæ diuinæ entitatiua intensio illimitata, absque termino & fine.*

123. Prout est particulare attributum diuinum *Infinitas*, formaliter dicit negationem termini, in perfectione essentiali. fundamentaliter autem supponit continentiam formalem, eminentialem, aut virtualem omnis perfectionis cogitabilis.

124. Infinitas, & immensitas sunt duo distincta attributa diuina: infinitas enim negat finem & terminum perfectionis essentialis Dei: immensitas negat mensuram essentialis præsentialitatis Dei, qui non potest terminari vllis locis. Hæc diuina

125. *Immensitas est illimitata diffusio substantiæ diuinæ:* & aptitudo coëxistendi infinitis rebus, locis, & spacijs; nec contineri illis, vel concludi.

126. *Vbiquitas est actualis præsentia Dei, in omnibus rebus, ac locis.*

127. Immensitas habet se per modum aptitudinis. Vbiquitas per modum actûs: illa est Dei attributum æternum & necessarium: hæc est ei conueniens ex tempore, & liberè.

128. Immensitas diuina est attributum negatiuum, dicitque negationem mensurabilitatis à spatio: fundamentaliter dicit infinitam extensionem substantiæ Dei, aptæ coëxistere infinitis rebus, locis, & spacijs; nec concludi illis.

129. Ex immensitate, vbiquitate, & spiritualitate

Dei, sequitur quòd sit in omni re, & loco repletiuè; in nullo autem circumscriptiuè, aut definitiuè.

130. Itaque Deus est in omni loco *repletiuè*, spirituali repletione: id est, essentiâ suâ totus existit in toto loco; & totus in singulis loci partibus; non excludens inde corpus. Non est autem *circumscriptiuè* in loco, quia est substantia spiritualis, & indiuisibilis; non habens molem quantitatiuam, neque partes adæquatas partibus loci. Nam

131. *Esse circumscriptiuè in loco est circumcircà ambiri loco*; ita vt totum locatum commensuretur toti loco; & diuersæ partes illius, diuersis partibus loci.

Non est etiam definitiuè in loco, quia nullus locus finit, aut terminat præsentiam illius. Nam

132. *Esse definitiuè in loco, est habere præsentiam loco finitam, & limitatam*: ita vt existentia locati, non excedat locum; etiam si non habeat partium extensionem.

Locus est duplex: vnus locato intrinsecus, siue internus: alter extrinsecus.

133. *Locus intrinsecus est spacium corpore repletum*, & à locato occupatum interuallum. Vocatur etiam *Vbi*: quod vbi habet cœlum empyreum, quamuis non habeat extrinsecam superficiem concauam, circumscribentem se, siue locum extrinsecum. Locus extrinsecus, siue

134. *Locus externus est superficies concaua corporis, locatum circumscribentis*. Vel iuxta Aristotelem

135. *Locus est finis continentis, immobilis, primus.*

Locvs circumscriptiuus, externus, & extrinsecus locato. Est finis, extrema superficies concaua Continentis, corporis actu ambientis circumscriptiuè aliud. Immobilis, finis non mutabilis; manente naturâ eiusdem loci, non potens mutare distantiam, quàm habet ad quinque immobilia puncta mundi, orientem, occidentem, meridiem, septentrionem, & centrum vniuersi. Primvs, finis proximè contingens corpus locatum, & immediatè ambiens illud.

Aristoteles idem 4. Phisic. c. 6. dicens, *Vacuum ne-*

cuisse est esse locum carentem corpore, præiuit philosophis definientibus

136. *Vacuum est locus carens corpore*, aptus illud continere. Vbi *locus* per adiunctum *carens*, alienatur à suâ ordinariâ significatione: quâ significat continentiam actualem, non solam aptitudinalem; siue continendi capacitatem. Interim meliùs poterit definiri sic:

137. *Vacuum est spacium carens corpore, eodem aptum repleri*: siue, *est superficies concaua corporis contentiui, priuata contento*. CONTENTIVI, apti continere, non actu continentis. PRIVATA, quia vacuum est quid priuatiuum, non merè negatiuum. CONTENTO, corpore reali, apto nato contineri.

138. *Corpus reale est substantia prædita mole quantitatiuâ*, trinæ dimensionis. Quæ *moles quantitatiua est magnitudo longa, lata, & profunda; cuius partes superficie copulantur.*

139. *Vacuitas est priuatio corporis in loco* aptitudinali: Secundùm Philoponum.

140. *Spacium est trinæ dimensionis quantitas immaterialis, admittens secum corpus, sibi adæquatum*. Secundùm alios.

141. *Spacium est aptitudo capiendi corporis*. Siue; *est capiendi corporis non repugnantia ei commensurata.*

142. *Spacium reale est interuallum, repletum corpore*. Item

143. *Spacium reale est superficies concaua corporis continentis aliud.*

144. *Superficies est magnitudo longa, & lata, non profunda; cuius partes lineâ copulantur.*

145. *Spacium imaginarium est vacuitas, concepta per modum loci, apti repleri corpore reali.*

146. Scripturæ loca Iob. 11. & 3. Regum 8. & Baruch. 3. & alia, exigunt vt Deus, ratione immensitatis, & infinitatis suæ, sit realiter non tantum in spacijs realibus, sed etiam in imaginarijs: ibidem per intrinsecam, & realem præsentiam, existens in seipso; sed sine reali habitudine ad spacium. Eodem planè modo, quo ante mundi constitutionem, fuit realiter in spacijs ima-

ginatiis: quibus nunc respondent spacia mundi realia: iuxta versiculum:

Dic vbi tunc esset, cùm præter eum nihil esset?
Tunc, vbi nunc, in se: quoniam sibi sufficit ipse.

147. Deus est vbique, in omnibus rebus, & locis; per essentiam, præsentiam, & potentiam.

148. *Per essentiam*, quia essentia diuina est indistans ab omnibus rebus; imò intima entitati illarum.

149. *Per præsentiam*, quia Deus habet clarissimam inspectionem, & intuitiuam visionem omnium rerum, actu existentium.

150. *Per potentiam*, quia Deus habet virtutem actiuam, omnia producentem, & conseruantem Quamuis autem potentia Dei, sit essentia ipsius; tamen Deum esse vbique, in omnibus locis, & rebus *per essentiam* significat immediationem suppositi: *per potentiam*, immediationem virtutis.

Deus est immutabilis. Malachiæ 3. *Ego Deus, & non mutor*. Psal. 108 *Mutabuntur, tu autem idem ipse es.*
Immutabilitas formaliter dicit negationem mutationis. Hæc autem

151. *Mutatio est transitus entis, ab vno termino, ad alium, Siue, est transitus à priuatione ad formam, vel à formâ ad priuationem intrinsecam mobili.*

152. Omnis mutatio imaginabilis abest à Deo: primò *mutatio substantialis*, quâ ens transit à non esse, ad esse: vel ab esse, ad non esse. Item à priuatione formæ substantialis, ad illius introductionem: & è diuerso. 2. accidentalis quâ acquiritur accidens, prius non habitum: aut amittitur habitum 3. *Localis*. 4. *Corporalis*. 5. *Intellectûs*. 6. *Voluntatis*. Immutabilitatis primæ ratio est, Dei in existendo necessitas. Secundæ, Dei simplicitas. Tertiæ, Dei immensitas, & vbiquitas. Quartæ, Dei spiritualitas. Quintæ, Dei omni scientia. Sextæ, Dei sapientia in decernendo.

153. *Immutabilitas diuina est modus essendi Dei, quo necessariò existit, & in omnimodâ perfectione suâ stabilis perseuerat.*

Deus est æternus. Deutero. 32. *Viuo ego in æternum.*

154. *Æternum est ens carens initio, & fine durationis suæ.* Duratio rei est duplex: vna interna, altera externa.

155. *Duratio interna est rei existentia perseuerans.*

156. *Duratio externa est mensura perseuerantis existentiæ rei.* MENSVRA per motum primi mobilis.

157. *Tempus continuum est numerus motus, per ipsum prius posteriusue.* Id est, duratio motûs continui successiui, secundùm partes, priùs & posteriùs succedentes. Vel conformiter ad textum Aristotelis, Tempus est ipse primi mobilis motus numeratus, secundùm partes suas in successione priores & posteriores.

158. *Tempus discretum est duratio plurium partialium durationum*, mensurantium res instantaneas, non continuatas; vel res permanentes non successiuas, Æuum, siue

159. *Æuiternitas est duratio, tota simul existens, rei habentis initium, & non habitura finem.* TOTA SIMVL EXISTENS, permanens, & non successiua.

160. *Sempiternitas est duratio tota simul existens, carens initio & fine actuali*, non tamen possibili.

161. *Æternitas participata est inuariabilis duratio creata visionis beatificæ.* Sic dicta, quia æternitatem absolutam participat excellentiori modo, quàm cœli, angeli, animæ rationales: quæ commensurantur æuo. Nam perfectiori ratione participat inuariabilitatem diuinam: quia visio beatifica est inuariabilis, & in eâ non sunt volubiles cogitationes. Vnde æternitas participata est media inter æternitatem absolutam, & æuum.

Itaque tempus est duratio successiua, & habens initium, & finem: æuum est duratio permanens, habens initium, & fine carens: æternitas est duratio permanens, carens initio, & fine. Tempus est duratio rei variabilis substantialiter, & accidentaliter: æuum est duratio rei inuariabilis substantialiter, & variabilis accidentaliter: æternitas est duratio rei existentis omninò inuariabiliter. Iuxta Boëtium l. 5. de consol. prosâ 6.

162. *Æternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.* INTERMINABILIS, quæ non potest terminari termino à quo, nec ad quem; initio, nec fine. VITÆ, existentiæ viuentis TOTA SIMVL, indiuisibilis non successiua substantialiter, aut accidentaliter. Duratio non habens præteritum, nec futurum; sed præsens perpetuum, coëxistens omnibus differentiis temporis. Ideò Deus æternus, Apoc. 1. dicitur *qui est, qui erat, & qui venturus est.* ET PERFECTA, excludens omnem imperfectionem, & consequenter dependentiam ab alio: imperfectionem etiam momenti, cuius duratio licet sit tota simul, partibus successiuis carens; tamen esse ipsius est imperfectum, & statim euanescens. POSSESSIO, quieta ac firma insistentia & permanentia. Itaque præfatæ definitionis hic est sensus.

163. *Æternitas est indiuisibilis, interminabilis, & independens duratio viuentis.* Siue, *est independens interna duratio viuentis, inuariabiliter persistentis, carente initio fineque, actuali & potentiali.*

164. *Æternitas diuina est independens, interminabilis, & indiuisibilis existentia Dei.*

Deus est viuens, & vita. Apoc. 5. *Adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum.* Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Itaque Deus est viuens intellectualis, & vita per essentiam.

165. *Viuens est suppositum, producens operationem vitalem.* v. g. vegetationem, sensationem, generationem, &c.

166. *Viuens intellectuale est suppositum, producens operationem vitalem intellectualem*, scilicet volitionem, & intellectionem. Generaliter sumptus

167. *Intellectiuus est intelligens sine discursu, vel cum eo.* SINE DISCVRSV, vti Deus & angelus. CVM DISCVRSV, vt homo. Strictè sumptus, & contra rationalem distinctus.

168. *Intellectiuus est intelligens vnico simplici intuitu,* absque discursu colligente ex vno aliud.

169. *Intellectualis viuens per essentiam est suppositum,*

tum, habens vitalem actualitatem intellectualem, vi essentia sua independentis, sine alio superaddito principio quo, & sine operatione accidentariâ.
Deus est *vita*, eaque prima, & substantialis: quia est natura producens operationem vitalem, scilicet intellectionem, & volitionem. *Est vita per essentiam*, quia vi solius suæ essentiæ independentis habet totam vitalem actualitatem, sine superaddito alio principio quo, & sine accidentariâ operatione.

170. *Vita Dei est natura diuina, productiua actuum vitalium.* Est fons omnis vitæ participatæ. Item

171. *Vita Dei est ipsius viuentis existentia interminabilis*, absque initio, & fine.

172. *Vita per essentiam est natura independens, vi sua habens totam vitalem actualitatem*: sine superaddito alio principio quo, & sine accidentariâ operatione. Siue, *est essentia independens, se solâ habens plenitudinem vitæ*, primæ & secundæ; substantialis, & actualis.

173. *Vita prima est natura, sui motrix.* Siue, *est natura seipsum mouens; vel intrinsecum principium quo motionis.* NATVRA, id est, essentia, vnde nascitur operatio. Natura inquam, in suo statu naturali posita. Qualis non est natura lapidis, deorsùm moti, per intrinsecam grauitatem: quia existens in loco naturali, non mouetur à principio intrinseco. SEIPSAM MOVENS, producens operationem vitalem, tanquam principium quod, mediante principio quo intrinseco. VEL INTRINSECVM, primum & formale PRINCIPIVM QVO MOTIONIS, operationis vitalis. Cuiusmodi principium in corporalibus est *Anima quâ viuimus*, vegetamur, *sentimus, & intelligimus primò*, tanquam intrinseco principio.

174. Vita prima & substantialis est duplex: scilicet operationis vitalis principium quod, & quo: siue, natura se mouens, & naturæ forma; siue anima. Imò in viuentibus corporalibus, huius formæ substantialis vnio cum materiâ, animæ scilicet cum corpore, vocatur vita; separatio eiusdem, mors. Vniuersim etiam cuiuscunique viuentis existentia, & duratio interna, vocatur

vita illius, existentiæ desitio, mors.

175. *Vita secunda est operatio vitalis.* Eadem vocatur vita actualis; & accidentaria.

176. *Operatio vitalis est operatio procedens à naturâ se mouente*, eiusve principio intrinseco. v. g. vegetatio, sensatio, intellectio, volitio, generatio, progressio, &c.

. Deus est verus, & veritas per essentiam 1. Thess. 1. *Seruire Deo viuo, & vero.* Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.*

177. Deus est verus, non fictus nec falsus; sed verè & propriè dictus Deus: habens omnia requisita ad essentiam diuinam. Et consequenter est conformis conceptui intellectûs, repræsentanti Deum, vt in se est. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* Ioan. 17. *Dominus autem, Deus verus est.* Ierem. 10.

178. Deus est etiam verax, & determinatur ad semper dicendum verum. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Rom. 3. Vnde verbum Dei, vocatur *verbum veritatis*, Ephes. 1. imò *veritas*, Galat. 5. & Ioan. 18.

179. Deus est verus, & veritas per essentiam: quia plenitudinem veritatis habet, vi solius essentiæ suæ, absque vllâ aduentitiâ veritate superadditâ. In genere

180. *Verum est ens adæquatum mensuræ suæ*: scilicet intellectui diuino, tanquam ideæ, mensuræque suæ. Siue, *est ens, conforme intellectui*, concipienti & repræsentanti illud, vt in se est.

181. *Verum in essendo est ens, completum essentialibus suis*, conforme conceptui illud repræsentanti vt in se est. COMPLETVM, habens omnia requisita ad essentiæ suæ complementum: scilicet principia essentialia, quibus intrinsecè constare exigit. CONFORME, vel conformabile intellectui, illud concipienti & repræsentanti, vt est à parte rei.

182. *Verum in cognoscendo, est assensus, vel dissensus conformis rei intellectæ.*

183. *Verum in enuntiando, est propositio conformis rei enuntiatæ.*

184. *Verum in loquendo, est dictum, conforme menti loquentis.*

185. *Verum in exequendo, est factum, conforme dicto.*

186. *Veritas est adæquatio rei ad mensuram suam*, scilicet ad sui idæam, existentem in mente diuinâ. Siue, *est conformitas rei ad intellectum*, diuinum, vel illum, repræsentantem eam, vt in se est.

187. *Veritas in essendo, est entis, essentialiter completi conformitas ad intellectum*, illud repræsentantem, vt in se est. Siue, *est entitas essentialiter completa, conformis intellectui*, eam repræsentanti, vt est à parte rei.

188. *Veritas in cognoscendo est conformitas intellectûs, ad rem intellectam.*

189. *Veritas in enuntiando, est conformitas propositionis, ad rem enuntiatam.*

190. *Veritas in loquendo, est conformitas linguæ, ad mentem loquentis*: siue dicti, ad mentem dicentis.

191. *Veritas executionis, est conformitas facti, ad dictum.*

192. *Veritas moralis, siue veracitas, est virtus, inclinans ad semper dicendum verum.* Hæc veracitas non tantùm inclinat Deum, sed determinat quoad specificationem, ad semper dicendum verum: vt diximus n. 178.

Est in Deo amor. 1. Ioan. 4. *Ipse prior dilexit nos. Deus charitas est.*

193. *Amor est vnio appetitûs ad aliquid conueniens.* Siue, *est boni volitio*, in se, vel alicui supposito. Prior volitio terminatur ad bonum per se, quod appetitur: posterior ad suppositum amans, vel amatum, cui bonum appetitur.

194. *Amare est velle bonum*, in se, vel supposito alicui; amanti scilicet, vel amato.

195. *Amor complacentiæ est volitio boni in se*, Siue, *est vnio appetitûs ad bonum per se*, quod sui, non alterius gratiâ appetitur.

196. *Amor concupiscentiæ est volitio boni, in commodum amantis.*

197. *Amor beneuolentiæ est volitio boni, in commodum amati.* Hic amor beneuolentiæ potest tripliciter subdiuidi; ita vt vnus sit beneuolentiæ simplicis, alius perfectæ, & tertius amicitiæ.

198. *Amor simplicis beneuolentiæ est volitio boni, in commodum amati, non potentis eo liberè vti.* Hoc amore, Deus amat creaturas irrationales; dando, & conseruando illis esse.

199. *Amor perfectæ beneuolentiæ est volitio boni, in commodum amati, potentis eo liberè vti.*

200. *Amor amicitiæ est volitio boni, in commodum amati, redamantis.*

201. *Amor diuinus est essentia diuina, concepta per modum volitionis boni.* Siue, *est actus diuinæ voluntatis, quo tres personæ volunt bonum,* in se, alicuive supposito. Hic amor diuinus, est essentialis, condistinctus contrà notionalem, & personalem: de quibus infrà n. 440 & 441.

Est in Deo odium: nam *odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Sapientiæ 14.

202. *Odium est fuga mali.* Siue, *est actus appetitûs, disconueniens aut fantis* Appetitûs inquam, tam naturalis, quàm sensitiui, & rationalis.

203. *Odium abominationis est actus appetitûs, auersantis malum proprium, vel amati.*

204. *Odium inimicitiæ est auersio à personâ, imprecatione mali, vt ei malè sit.*

Odium abominationis est propriè in Deo: quia reuerà abominatur peccatum, tanquam malum, suæ bonitati contrarium, suæque creaturæ noxium. Odium autem inimicitiæ est in Deo, tantùm metaphoricè; tum respectu peccati, cui malum optari non potest: tum respectu peccatoris, cui non vult malum, sub ratione mali, sed iusti.

205. Est in Deo iustitia. *Iustus Dominus, & iustitias dilexit.* Psal. 10. Est inquam propriè in Deo iusti-

tia: seclusis tamen omnibus imperfectionibus iustitiæ creatæ: quæ (vti & aliæ virtutes creatæ) est dependens, finita, accidentaria, &c.

206. Iustitia commutatiua est in Deo, quia retribuit adæquatum merito præmium, aut supplicium, cuique priuato, sine comparatione ad alios: seruando proportionem arithmeticam, & æqualitatem rei ad rem: scilicet præmij ad meritum; & supplicij ad demeritum. Est etiam in Deo iustitia distributiua, quia communia præmia, & supplicia omnibus partitur, cum comparatione ad alios, tanquam partes eiusdem communitatis; seruando proportionem geometricam, & æqualitatem vnius proportionis, ad aliam: ita vt sit eadem proportio præmij ad præmium, quæ est meriti, ad meritum. Iustitia quoque vindicatiua, quia Deus damnatis rependit malum pœnæ, adæquatum malo culpæ.

Est in Deo misericordia. *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* Psal. 50.

207. *Misericordia est virtus inclinans voluntatem, ad aliena miseria subleuationem.* Misericordia in hominibus dicit aliquid materiale, quod non est in Deo: scilicet tristitiam, compassionem, & cordis constrictionem.

Est in Deo scientia. *Deus scientiarum, dominus est.* 1. Reg. 2. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Rom. 11.

208. *Scientia est cognitio rei, per causas*, realiter influentes esse, in rem, tanquam effectum: vel causas, latè dictas: quæ scilicet sunt causæ cognoscendi rem à priori; suntque rationes attributorum, quæ de subiecto scibili demonstrantur.

209. *Scientia diuina est omnis obiecti scibilis clara, certa, & perfecta cognitio.* Hæc vnica est, quia est ipsamet essentia diuina, concepta per modum cognitionis scientificæ: tamen ratione obiectorum, ad quæ terminatur, vna est scientia visionis, altera simplicis intelligentiæ, &c.

210. *Diuina scientia visionis est cognitio rerum, in ali-*

quâ temporis differentiâ existentium. Diuina

211. *Scientia simplicis intelligentiæ est cognitio rerum possibilium, quâ talium*, abstrahendo ab existentiâ illarum, in quâcunque differentiâ temporis præteriti, præsentis, & futuri. Et ab hac abstractione, vocatur scientia *abstractiua*. Hîc autem

212. *Simplex intelligentia est cognitio obiecti, non coëxistentis existentiæ cognitionis*. Similiter

213. *Visio est cognitio obiecti, coëxistentis existentiæ cognitionis*. Coëxistentis inquam in æternitate, tanquam in mensurâ altiore: sed & in aliquâ differentiâ temporis. Diuina.

214. *Scientia necessaria est cognitio obiecti independentis à decretis Dei liberis*. Vocatur aliàs naturalis. Et hæc Diuina

215. *Scientia naturalis est cognitio omnium possibilium, præueniens liberum decretum voluntatis diuinæ*, nostro modo concipiendi.

216. *Scientia libera est cognitio obiecti, pendentis à decretis Dei liberis*. Siue, *est cognitio rerum futurarum, absolutè vel conditionatè; sequens liberum decretum voluntatis diuinæ*; nostro modo concipiendi.

217. *Scientia conditionalium est cognitio obiecti possibilis, ex hypothesi futuri*: quâ Deus ab æterno præscit quid causæ liberæ & necessariæ facturæ sint, si cum certis circumstantiis, in certo rerum ordine collocarentur. Hæc spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ, & fundatur in scripturâ. 1. Regum 23. *Si tradent me viri Ceilæ? tradent.* Et Matth. 11. *Si in Tyro, & Sidone facta fuissent virtutes, pænitentiam egissent.* Itaque futura conditionata nouit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, non per scientiam mediam, antecedentem liberum decretum voluntatis diuinæ. Nam si factæ fuissent virtutes in Tyro & Sidone, ciues illarum pœnitentiam egissent: quia Deus decreuerat eis dare fidem, & pœnitentiam. Et sic nostro modo concipiendi, scientia futuri conditionati, est subsequa decreto diuino. Diuina

218. *Scientia approbationis est cognitio obiecti, quod*

Deus approbat vt bonum, & in eo sibi complacet. Diuina

219. *Scientia speculatiua est cognitio obiecti, à Deo non operabilis.*

220. *Scientia practica est cognitio obiecti, à Deo operabilis.*

221. Scientia vel præscientia diuina non imponit rebus præcognitis necessitatem: quia illa est vnicus simplex intuitus, quo Deus præsentialiter videt omnia præterita, præsentia, & futura: relinquens illa naturali suæ conditioni, vt eueniant necessariò, vel contingenter, aut liberè; secundùm varietatem causarum secundarum. Nam diuina præscientia, non est solùm de euentu rerum, sed etiam de modo euentûs.

222. Cæterùm, quod est à Deo præscitum, euenit necessariò, necessitate consequentiæ: sed non necessitate consequentis. Et non potest non euenire, in sensu composito: potest tamen non euenire, in sensu diuiso.

223. *Necessitas consequentiæ est cohærentia propositionum inter se talis, vt vnâ positâ, necessariò consequatur altera.* Etiamsi propositiones sint contingentes, aut impossibiles. Exempli gratiâ: *Si Ioannes currit; ergò necessariò mouetur. Si lapis loquitur; ergò necessariò viuit.* Hæc necessitas consequentiæ, vocatur etiam necessitas ex suppositione, ex hypothesi, hypothetica, & conditionata. Cùm hac necessitate consequentiæ, potest manere contingentia consequentis.

224. *Necessitas consequentis est absoluta connexio terminorum propositionis; ita vt subiecto posito, prædicatum sequatur necessariò.* v. g. *Si Ioannes est homo, necessariò est animal rationale.*

Iuxta Aristotelem. 1. Elench c. 5. aliàs 3.

225. *Propositionis sensus compositus, est is, quo formale significatum prædicati, applicatur formali significato subiecti.* Siue, *quo duæ formæ, per vtrumque extremum significatæ, simul componuntur in eodem subiecto* denominationis; v. g. huius propositionis, *Possibile est stantem sedere*, sensus compositus est, *Possibile est, stantem manentem stantem, sedere.* Siue, *Possibile est, quòd statio & sessio sint simul in eodem.*

226. *Sensus diuisus est is, quo formale significatum prædicati, applicatur materiali significato subiecti.* Siue, *quo duæ formæ, per vtrumque extremum significata, non componuntur simul in eodem subiecto:* sed cum vnâ formâ, significatur inesse potentia, ad aliam. Vnde in allegatâ propositione, sensus diuisus est: *Stans, dum est stans, habet facultatem ad sedendum.* Non est autem sensus diuisus hic: *fieri potest, quòd stans, relictâ statione, sedeat.* Neque hic: *Poßibile est, quod statio & seßio, succeßiue sint in eodem.*

In Deo sunt idææ rerum. Heb. 11. *Fide credimus aptata esse sæcula Verbo Dei, vt ex inuisibilibus, visibilia fierent,* scilicet, vt ex inuisibilibus idæis eorum, in mente diuinâ existentibus, ad extrà hæc visibilia fierent.

227. *Idea est species intelligibilis expressa.* Siue, *est actualis similitudo rei intellectæ.* Verùm hic accipiunt magis restrictè, vt pertinens ad scientiam practicam; & sic

228. *Idæa est conceptus intellectûs, & interna similitudo effectûs producendi:* ad cuius inspectionem agens producit illum. Siue, *est rei factibilis exemplar expressum in intellectu artificis; quod intuens operatur.* Diuina

229. *Idæa est rei factibilis expressa similitudo, in intellectu diuino existens; ad cuius inspectionem ea producitur,* aut producibilis est. Hæc idæa est ipsamet essentia diuina, concepta per modum exemplaris; ad cuius instar, creaturæ producuntur.

Est in Deo intellectus. Iob. 12. *Ipse habet consilium, & intelligentiam.*

230. *Intellectus diuinus est essentia diuina, concepta per modum facultatis intellectiuæ:* id est, potentiæ cognoscitiuæ rationalis; assentientis vero, & dissentientis falso

Est in Deo voluntas. Matth. 6 *Fiat voluntas tua.*

231. *Voluntas diuina est essentia diuina, concepta per modum facultatis appetitiuæ rationalis:* id est potentiæ prosequentis bonum, & fugientis malum, secundùm directionem intellectûs. Intellectus & voluntas diuina identificatur essentiæ: angelica naturaliter fluit ab es-

sentiâ angeli: humana itidem ab essentiâ animæ rationalis, cui subiectiuè inexistit.

232. Voluntas diuina vnica est, secundùm se: quia est Deus ipse. Ex parte tamen obiecti secundarij, & sumendo illam, tam metaphoricè, quàm propriè, est multiplex. Nam vna est voluntas beneplaciti, alia signi: vna antecedens, alia consequens: vna absoluta, alia conditionata: vna efficax, alia inefficax. Metaphoricè inquam, quia à voluntate beneplaciti, condistincta voluntas signi, antecedens, conditionata, & inefficax, non est formaliter & propriè in Deo: sed tantùm eminenter, aut metaphoricè: quo modo est ira, dolor, pœnitentia. Quia scilicet Deus se habet ad modum hominis volentis, irati, dolentis, pœnitentis. Diuina

233. *Voluntas beneplaciti est internus actus voluntatis diuinæ, quo vult verè aliquid in se, eique placet.*

234. *Voluntas signi est externum signum, quo Deus internam suam voluntatem manifestat*; habetque se ad modum volentis vlteriùs aliud: quod tamen reuerâ non semper vult.

Eiusmodi externum signum est quintuplex: scilicet præceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio. Vnde est versiculus: *Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.*

235. *Præcepto* significat Deus se velle imperare, & obligare vt res præcepta fiat: non tamen semper vult absolutè vt fiat: quamuis in speciem hoc præ se ferat.

236. *Prohibitione* significat Deus se velle vetare, & obligare vt omittatur prohibitum: non tamen semper vult vt omittatur absolutè: quamuis in speciem hoc præ se ferat.

Sub præcepto & prohibitione comprehenditur comminatio diuina. Hæc autem

237. *Comminatio est conditionata pœna intentatio.* CONDITIONATA, casu quo fiat prohibitum, aut non fiat præceptum. POENÆ infligendæ.

238. *Permissione* significat Deus se velle dare concursum generalem ad effectum malum: quem nolens,

videtur velle, quum possit impedire.

239. *Consilio* significat Deus iudicium suum practicum, quo decernit suasum suum, esse factu vtile, meliusque opposito: non tamen semper cum absolutâ voluntate vt fiat: quam videtur præse ferre.

240. *Operatione* significat Deus absolutam suam voluntatem operandi bonum effectum; in speciem præ se ferens voluntatem boni vlterioris: quam tamen non semper habet.

Sic Deus operando generis humani redemptionem, iustificationem, sanctificationem, videtur habere saluandi absolutam voluntatem: quam tamen non semper habet.

241. Voluntas signi tripliciter se habet ad voluntatem beneplaciti; quædam nunquam coincidit cum hac, vti permissio peccati: quædam semper, vti operatio: quædam aliquando, vti præceptum, prohibitio, consilium.

Omnis voluntas signi, est etiam beneplaciti, respectu eius, quod intendit Deus significare: è diuerso omnis voluntas beneplaciti manifestata, est etiam signi.

Ad mentem sanctorum Ioannis Chrysostomi, & Damasceni,

242. *Voluntas antecedens est ea, quâ Deus vult aliquid ex merâ bonitate suâ:* vti saluare.

243. *Voluntas consequens est ea, quâ* Deus *vult aliquid alienum à bonitate suâ* : vti, damnare.

Vtraque passim à Theologis sic definitur:

244. *Voluntas antecedens est ea, quâ Deus vult aliquid, consideratum in se,* ante considerationem circumstantiarum, nostro modo concipiendi.

245. *Voluntas consequens est ea, quâ Deus vult aliquid, consideratum cum omnibus circumstantijs* Itaque hæc voluntas dicitur antecedens vel consequens, quia nostro modo concipiendi, antecedit vel consequitur considerationem circumstantiarum rei volitæ.

246. *Voluntas absoluta est internus actus voluntatis Dei, quo decretoriè vult aliquid esse.*

247. *Voluntas conditionata est internus actus volun-*

tatis Dei, quo aliquid vult, non absolutè, sed sub certâ conditione.

248. *Voluntas efficax est internus actus voluntatis Dei, quo vult aliquid fieri, ita vt fiat.*

249 *Voluntas inefficax est diuinæ volantatis affectus desiderij simplicis: & velleitas destituta effectu.* Hanc quidam ponunt in Deo formaliter, & propriè: & consequenter simplex desiderium salutis omnium, etiam reproborum; quasi nullam importans imperfectionem in Deo: cùm sit ex libertate, & electione; & non (vti in mercatore naufragante, & dicente vtrumque, Vellem seruare merces, & volo eas projicere) ex impotentiâ habendæ efficacis voluntatis, si luberet. Verùm quia eiusmodi desiderium inefficax inuoluit imperfectionem, non est in Deo agnoscendum, nisi eminenter & impropriè: vti diximus n. 232.

Intellectus creatus potest intuitiuè videre essentiam diuinam. 1. Ioan. 3. *Videbimus eum, sicuti est.*

250. *Visio intuitiua est, cognitio, quâ res immediatè præsens videtur, vti in se existit.*

251. *Visio Dei intuitiua est cognitio, terminata ad Dei essentiam, in se visam.* VISIO DEI, non actiua, quâ videt; sed passiua, quâ videtur. COGNITIO intellectûs creati, lumine gloriæ illustrati.

In hæc visione beatificâ datur species expressa, non impressa: quia huius vicem supplet essentia diuina, immediatè se vniens intellectui beati.

252. *Species est similitudo, repræsentatiua rei.*

253. *Species intelligibilis est similitudo repræsentatiua obiecti intellecti.* Ea est duplex, impressa & expressa.

254. *Species impressa est similitudo obiecti, illud virtualiter repræsentans intellectui.* Quando scilicet obiectum est materiale: vel immateriale quidem, sed non sufficienter præsens intellectui.

255. *Species expressa est rei intellectæ similitudo actualis, quam in se exprimit intellectus.* Est ipsum verbum mentis; & terminus intellectionis.

256. *Lumen gloriæ est qualitas supernaturalis, intellectui creato permanenter infusa, quâ proximè habilis*

redditur ad intuitiuè videndum Deum.

257. *Lux est qualitas per se visibilis, inhærens corpori suapte naturâ lucido.* PER SE VISIBILIS, visu perceptibilis, tanquam obiectum quod videtur; & quo alia videntur. INHÆRENS CORPORI splendido, fulgido per se, & SVAPTE NATVRA LVCIDO. v. g. soli, igni, &c.

258. *Lumen est actus perspicui, quâ perspicuum est*: id est, forma completiua corporis transparentis, actu illuminati. Siue,

259. *Lumen est qualitas per se visibilis, recepta in corpore diaphano*, & transparente. v. g. in aëre, vitro, &c.

260. *Radius est lumen emissum, à corpore, per se lucido,* & proprio fulgore splendente.

261. *Radius rectus est lumen, rectâ lineâ emissum à corpore, per se lucido.*

262. *Radius reflexus est lumen, à corpore opaco polito repercussum, rectà versùs originem suam.* OPACO, non transparente. POLITO, læui, terso, superficietenùs susceptiuo luminis. Cuiusmodi est speculum, argentum, stannum, &c. Idem vocatur splendor: nam

263. *Splendor est lumen reflexum à corpore ópaco polito.*

264. *Radius refractus est lumen dispersum circa opacum,* indeque vlterius transmissum.

265. *Videre aliquid in Verbo cognitione matutinâ, est videre illud in essentia diuina, secundùm esse eminens, quod in eâ habet.*

266. *Videre aliquid cognitione vespertinâ, est cognoscere illud, quoad esse suum creatum*: quod habet in se, extra essentiam diuinam.

267. *Cognitio matutina est ea, quâ beati in essentiâ diuinâ vident res; secundùm esse ideale, quod in ea habent.*

268. *Cognitio vespertina est ea, quâ beati vident res, secundùm naturam propriam, quam habent extra essentiam diuinam.* Ista dicitur matutina, ratione claritatis rerum in Verbo, tanquam sole æterno: hæc vespertina, ratione minoris claritatis.

Beati eatenùs Deum comprehendunt, quia eum ade-

ptum tenent, & possident; iuxta Apostolum 1. Cor. 9. & Philip 3. Eatenùs autem non comprehendunt; quia visione beatificâ non adæquant visibilitatem Dei: nam Deus *est incomprehensibilis cogitatu*, Ieremiæ 32. & *incomprehensibilia sunt iudicia eius*. Rom. 11.

269. *Comprehendere Deum est cognoscere illum adequatè, quantùm cognoscibilis est*. Quia autem infinitè cognoscibilis est; ideo non potest ab intellectu creato finito, ne quidem Chri-

270. sti hominis, adæquatè cognosci. * Vnde beati vident quidem Deum *totum*, id est totam simplicissimam essentiam diuinam, sicuti in se est: sed non *totaliter*, id est perfectè & adæquatè; ita vt visione suâ exhauriant totam visibilitatem Dei.

271. *Comprehensio est rei adequata cognitio*: quâ cognoscitur tantùm, quantùm est cognoscibilis.

272. Incomprehensibilitas Dei formaliter dicit negationem comprehensionis ab intellectu creato: fundamentaliter autem dicit summam perfectionem diuinam: quæ tanta est, vt comprehendi non possit ab intellectu creato, quantumuis adiuto lumine gloriæ: quia illud deberet esse infinitum: quale dari non potest.

Deus illabitur in animam, & ipse solus.

273. *Illabi in animam, est sui substantiam in eâ intimè statuere, eique perfectè dominari*: perscrutando illam, & flectendo quò libet.

274. *Illapsus in animam est sui ipsius in eâ constitutio intima, perfectumque dominium*: perscrutando omnes sinus illius, & flectendo quò libet. Raptus, siue

275. *Extasis est diuinitùs facta mentis humana eleuatio, ad supernaturalia contemplanda, cum abstractione à sensibus*.

Est in Deo potentia, imò omnipotentia: & Deus est omnipotens Psal. 105. *Quis loquetur potentias Domini?* Exodi 15. *Omnipotens nomen eius*.

Potentia diuina, vnica est in se: concipiendo tamen illam, nostro modo, per multos inadæquatos conceptus; sic est multiplex. Vnde vna est ad intrà, alia ad

extra : vna ordinaria, alia absoluta : vna creatiua, alia conseruatiua, gubernatiua, iustificatiua, &c.

276. *P[illegible]tia diuina est ipsamet essentia diuina, concepta per modum principij actius productiui.*

277. *Potentia diuina ad intrà, est principium productiuum alicuius, quod est intra essentiam diuinam, eique coëssentiale.* Hæc potentia est duplex, vna respectu actuum essentialium, scilicet intellectus & voluntas : altera respectu actuum notionalium, scilicet potentia generandi, & spirandi.

278. *Potentia diuina ad extra est principium productiuum rerum ad extra* : quæ scilicet sunt extra essentiam diuinam, & diuersæ ab eâ naturæ.

279. *Potentia Dei ordinaria est vis agendi, operans secundùm communem rerum ordinem, à voluntate suâ constitutum.*

280. *Potentia Dei absoluta est vis agendi diuina, in se considerata*, & soluta ab ordine præscripto à voluntate suâ. Siue, est essentia diuina, per se valens efficere omnia possibilia. Coincidit cum omnipotentiâ diuinâ

281. Potentia diuina est infinita intensiuè & extensiuè. Intensiuè duobus modis : primò intrinsecè, ratione entitatis suæ, quæ est essentia diuina infinita. Secundò extrinsecè, ratione actionis productiuæ, quâ producit res ità perfectè, vt possit eas semper perfectiùs producere. Extensiuè, ratione obiecti, in cuius latitudine habet infinitam extensionem: nam potest efficere omnia entia possibilia, quæ sunt infinita.

282. *Omnipotens est potens facere omnia possibilia.*

283. *Omnipotentia est omnium possibilium potentia productiua.* OMNIPOTENTIA, sic dicta non quòd sit omnis potentia (quia non obiectiua, subiectiua, passiua) sed omnium potentia. POSSIBILIVM, eorum quæ naturâ suâ talia sunt, vt fieri possint. Sicut enim scientia non est nisi scibilium; ita potentia possibilium. Vnde impossibilia non cadunt sub potentiam : & si caderent, impossibilia non essent.

Possibile & impossibile vnum est absolutum, aliud respectiuum.

284. *Poßibile absolutum est id, quod naturâ suâ tale est, vt fieri poßit.* Siue, *est id, quod esse non implicat contradictionem.*

285. *Poßibile respectiuum est id, quod fieri potest ab hac, vel illâ potentiâ*; respectu cuius dicitur possibile.

286. *Impoßibile absolutum est id, quod naturâ suâ tale est, vt fieri non poßit.*

287. *Impoßibile respectiuum est id, quod ab hac, vel illâ potentiâ fieri non potest*; respectu cuius dicitur impossibile.

288. *Implicare contradictionem est includere duo contradictoria*, immediatè, vel mediatè.

289. *Inuoluere repugnantiam est includere aliquid repugnans essentia rei.* Eiusmodi repugnantia & contradictio foret, si Deus posset mentiri, peccare, &c. nam esset Deus, & non esset Deus: Deus ex suppositione, & non Deus in rei veritate: vt pote deficiens, & imperfectus.

Omnipotentiæ creatoris, correspondet creaturæ potentia obedientialis. De quâ diuersimodè sentiunt Theologi. Nam quidam agnoscunt eam passiuam tantùm, alij insuper actiuam. Quidditatem quoque illius, nonnulli hoc modo, alij alio explicant. Primi aiunt esse nudam non resistentiam creaturæ, & secundùm eos,

290. *Potentia obedientialis est, non repugnantia creatura, quâ potest eleuari à Deo ad quidlibet agendum, vel recipiendum*, non implicans contradictionem. POTENTIA OBEDIENTIALIS, sic dicta, quia creatura perfectè subiicitur Deo, eique ad nutum obêdit in omnibus, contradictionem non implicantibus. NON REPVGNANTIA, non resistentia, mera negatio repugnantiæ. ELEVARI supra vires naturæ ordinarias.

Secundi dicunt esse ipsammet creaturæ naturam, quatenùs subiicitur, obeditque Deo in omnibus: & secundùm eos.

291. *Potentia obedientialis est creatura entitas, dicens formaliter subiectionem ad Deum, vt illi poßit & debeat parere in omnibus*, vires naturales superantibus, &

non implicantibus contradictionem.

Tertij dicunt esse entitati creaturæ superadditam qualitatem physicam: & secundùm eos,

292. *Potentia obedientialis est facultas diuinitùs indita creaturæ, ad agendum vel patiendum, supra vires naturæ ordinarias.* Siue, *est qualitas realis, à Deo superaddita creaturæ. quâ eleuatur & redditur potens ad quidlibet agendum & patiendum*, non implicans contradictionem. QVALITAS, & reale principium proximum actionis, & passionis. Qualitas inquam reducenda ad secundam speciem qualitatis. An autem hæc qualitas (quâ v. g. humanitas Christi eleuatur ad opera supernaturalia, & Sacramentum, ad gratiæ productionem, &c.) sit corporea, an spiritualis, ambigunt, qui eam adstruunt, quibusdam hoc, alijs istud statuentibus. QVA ELEVATVR à Deo, supra vires naturales.

Quarti dicunt esse motum, à Deo creaturis, tanquam instrumentis vtente, impressum: quo mediante concurrunt physicè ad productionem, vel receptionem effectuum supernaturalium. Sicuti instrumenta ab artifice mouentur ad producendum opus artificiatum, & secundùm eos,

293. *Potentia obedientialis est motio, à Deo impressa creaturæ, vt illi cooperari poßit ad omnem actionem & paßionem, non implicantem contradictionem.*

294. *Potentia obedientialis paßiua est ea, quâ creatura à Deo eleuatur, ad aliquid recipiendum, supra ordinarias naturæ vires.*

295. *Potentia obedientialis actiua est ea, quâ creatura à Deo eleuatur, ad producendos effectus, superantes ordinarias naturæ vires.* Siue, *est creaturæ entitas, ita subiecta Deo, vt realiter actiuè poßit ei cooperari in operationibus miraculosis.*

296. *Mirum est opus manifestum, habens sui caussam occultam.* Vnde admiratio exurgit, quando effectus est manifestus, & illius caussa occulta. Lato modo sumptum

297. *Miraculum est opus diuinitùs factum, supra omnem*

omnem creatam facultatem: ſed non contra ordinarium rerum curſum. Eiuſmodi latioris nomenclaturæ miraculum eſt creatio mundi, & animarum rationalium: iuſtificatio, effectus Sacramentorum: & quidquid ita excedit creatam facultatem, vt non ſit contra ordinarium rerum curſum, à Deo inſtitutum. Stricto modo ſumptum

198. *Miraculum eſt opus diuinitùs factum, ſupra omnem creatam facultatem; & contra ordinarium rerum curſum*, à Deo inſtitutum. MIRACVLVM, quia mirandum, & admiratione dignum. DIVINITVS, quia ſolus Deus propriâ poteſtate poteſt facere miraculum: creatura duntaxat inſtrumentaliter, miniſterialiter, aut impetratoriè. SVPERANS OMNEM CREATAM FACVLTATEM, excedens illam, quoad ſubſtantiam operis, in ſe conſiderati; vel in ſubiecto certo; vel quoad modum. Exemplum primi membri eſt, mundi in punctum redactio, annihilatio, ſolis noui creatio, &c. Secundi, eſt reſuſcitatio mortui, illuminatio cæci, &c. Poteſt enim creatura dare vitam homini, ſed non mortuo: poteſt itidem dare viſum, ſed non cæco. Tertij, eſt morbi, aut vulneris non lethalis curatio ſubita: poteſt enim natura eiuſmodi morbum, aut vulnus curare medicamentis, & ſensim: ſed non ſine illis, & ſubitò. CONTRA ORDINARIVM RERVM CVRSVM, ita ſcilicet, vt in ordinario curſu rerum ſit aliqua diſpoſitio, ob quam videatur res miraculoſa non debere ita fieri. Vnde miracula, quo remotiora ſunt à facultate, & curſu naturali; eò ſunt maiora.

De Prouidentia Diuina, & Prædeſtinatione.

EST in Deo prouidentia. Sapientiæ 14. *Tua autem Pater gubernat prouidentia.* Ad hanc prouidentiam diuinā pertinet gubernatio, diſpoſitio, & prædeſtinatio.

199. *Prouidentia eſt ratio ordinis rerum in finem, per media.* RATIO ORDINIS, id eſt notitia, quâ Deus ab æterno nouit media, quibus creatura poſſit ordinari

& dirigi in finem suum: cum voluntate eadem media conferendi in tempore. RERUM omnium creatarum. IN FINEM particularem cuiusque rei, & generalem omnium rerum, scilicet manifestationem gloriæ diuinæ. Et hunc generalem finem prouidentia diuina, eique subiectæ res omnes semper assequuntur: non itidem illum particularem: quia Deus vult hunc efficaciter, non semper illum.

Prouidentia diuina est ab æterno, ipsius executio est in tempore, retinetque nomen prouidentiæ: ordinariè tamen vocatur gubernatio. Quæ

300. *Gubernatio est prouidentia diuina executio.* Siue, *est actualis rerum creatarum directio in finem, per media conuenientia.* Deus res creatas inferiores gubernat per superiores, communicando causis secundis dignitatem causalitatis: ita tamen vt omnibus rebus prouideat immediatè, immediatione virtutis, & suppositi. Hæc autem

301. *Immediatio virtutis est indistantia, qua potentia diuina est intima entitati rerum omnium:* iis sese insinuando, easque sine intermedio attingendo.

302. *Immediatio suppositi est indistantia, qua essentia diuina est intima entitati rerum omnium:* ijs sese insinuando, easque penetrando, absque alio supposito mediante. Posita autem immediatione virtutis, sequitur immediatio suppositi: quia virtus & potentia diuina, est suppositum diuinum.

303. *Dispositio est diuina ordinatio, cuique creaturæ tribuens locum ordinemque conuenientem.* ORDINATIO, diuini intellectûs notitia, quâ Deus ab æterno nouit cuiusque creaturæ ordinem conuenientem, ad concinnam vniuersi proportionem: cum voluntate illum ordinem constituendi in tempore.

Temporaria autem

Dispositio, est ordo habentis partes: Id est, constitutio totius, ac veluti forma consurgens in toto, ex collocatione partium in suis locis.

Prouidentiæ diuinæ circa creaturam intellectualem, quæ sunt præcipuæ partes: scilicet prædestinatio, & reprobatio.

304. Etymologicè *Prædestinatio est prior destinatio*; præuia deputatio, ordinatio, & directio. Et *Prædestinare est animo priùs destinare id, quod postea exequendum est*: vel, ante deputare ad aliquid, ordinare, & dirigere.

Secundum Augustinum, Prosperum, Fulgentium, Anselmum, Isidorum, & Concilia Valentinum, Arausicanum, Tridentinum sess. 6. can. 17. generaliter sumpta

305. *Prædestinatio est diuina æterna destinatio creaturæ intellectualis, ad gloriam, vel ad pœnam*. Eadem tamen ordinariè sumitur tanquam condistincta contra reprobationem. & sic sumpta

306. *Prædestinatio est diuina æterna destinatio creaturæ intellectualis ad gloriam, per gratiam*. ÆTERNA, & *ante sæcula*, 1. Cor. 2. *ante tempora sæcularia*. 2. Timoth. 1. *ante mundi constitutionem*. Ephes. 1. Itaque est diuina, æterna, gratuita, & efficax *destinatio*, ordinatio, deputatio, & directio CREATVRÆ INTELLECTVALIS, angeli, & hominis. AD GLORIAM, tanquam finem supernaturalem. PER GRATIAM, tanquam medium. Vnde nostro modo concipiendi, prædestinatio ad gloriam, est prior prædestinatione ad gratiam: quia intentio finis, est prior electione mediorum: cum media non appetantur, nisi propter finem. Ideoque Apostolus Rom. 8. ait: *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit*. Quibus verbis innuit primò ordinem finis, & mediorum ad finem: secundò ordinem mediorum inter se, & ad actualem assecutionem finis.

307. In vocabulo prædestinationis, præpositio *præ* significat prioritatem, æternitatis ad tempus; & antecessionem diuinæ destinationis, ad executionem illius, actualemque transmissionem creaturæ in gloriam, per gratiam: iuxta illud Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem*: & Matth. 25. *Possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi*. Significat insuper destinationem gloriæ, ante merita præ-

uisa: & præ reprobis, electorum destinationem ad eandem gloriam. Cum præfatâ prædestinationis definitione ferè coincidunt sequentes definitiones:

308. *Prædestinatio est ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existens.* D. Thomas p. 1. q. 23. a. 2. *Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis, in vitam æternam.* Idem p. 1. q. 24. a. 1. *Est electio creaturæ intellectualis ad gratiam, & gloriam.* Scotus in 1. sentent. dist. 40. q. 1. *Est præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam.* Idem in 3. sentent. dist. 7. q. 3. *Est directio creaturæ rationalis, in vitam æternam.* Durandus in 1. sentent. dist. 41. q. 1. Alij definiunt: *Est gratiæ, & gloriæ præparatio. Est æterna præparatio gloriæ, pro gratiâ retribuendæ, intellectuali creaturæ. Est diuina destinatio creaturæ intellectualis ad gloriam, præparatioque mediorum efficacium ad illam.*

309, Cæterum quando Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum c. 10. dicit: *Prædestinatio est gratiæ præparatio*, per gratiam intelligit (vti constat ex epistolâ 105. aliisque locis) actualem, habitualem, & consummatam, siue vitam æternam. Nam Rom. 6. *gratia Dei, vita æterna.* Et Ioan. 1. *De plenitudine eius, nos omnes accepimus: & gratiam, pro gratiâ* gratiam glorificationis, pro gratiâ iustificationis.
Porrò omnes præcedentes definitiones possunt intelligi generaliter de prædestinatione angeli & hominis, ante & post lapsum. Sed idem Augustinus de bono perseuerantiæ c. 14. solius hominis lapsi, & à peccati seruitute liberandi prædestinationem definit, quando dicit:

310. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* EST PRÆSCIENTIA, intellectûs diuini prænotio eorum, quæ erat ipse facturus circa electos suos, iuxta eundem Augustinum, de prædestinatione sanctorum c. 10. Item *præscientia*, voluntatis diuinæ prædilectio electorum, iuxta Apostolum Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit:* præsciuit, id est, præ-

dilexit. Et Rom.11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* Et 1. Petri 1. *Electis.....secundùm præscientiam Dei Patris.* Et infra de persona Christi, *præcogniti ante mundi constitutionem.* ET PRÆPARATIO, ab æterno paratio: Siue, *à constitutione mundi*, Matth. 25. Siue, *ante mundi constitutionem*, Ephes. 1. BENEFICIORVM DEI, remissionis peccatorum, gratiæ, virtutum, bonorum operum, *quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, Ephes. 2. Vocationis secundùm propositum, iustificationis, & glorificationis. CERTISSIME, quia qui prædestinati sunt, infallibiliter & certissimè liberantur à seruitute peccati, per gratiam, & assequuntur gloriam. Vnde Ioan. 10. Christus ait de ouibus suis: *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu meâ.*

In hac prædestinationis materiâ,

311. *Dilectio est voluntatis diuinæ æternum beneplacitum gratuitum, quo alicui vult vitam æternam absolutè, sine comparatione ad alios.*

312. *Electio est voluntatis diuinæ beneplacitum gratuitum, quo vult vitam æternam vni, præ alio.*

313. Quamuis dilectio, siue præscientia, electio, & prædestinatio sint ab æterno; tamen nostro modo concipiendi, inter illas est hic ordo: dilectio, electio, prædestinatio. Nam prædestinatio secundùm rationem præsupponit electionem; & electio dilectionem, iuxta sensum Apostoli Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit*, &c.

314. Prædestinationis causam meritoriam non esse merita nostra præuisa, sed Christi, conforme est scripturæ, Lucæ 12. Ioan. 15. Rom. 6. 9. & 11. Ephes. 1. ad Titum 3. ad Timoth secundæ 1. Psal. 17. & alibi.

315. Prædestinationis effectus proprij sunt vocatio secundùm propositum, iustificatio, & glorificatio: vti patet ex Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Vnde D. Thomas p 1 q. 23. a. 3. ad 2. *Prædestinatio*, inquit, *est causa gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*: iuxta Psal. 83. *Gratiam, & gloriam*

dabit dominus. Gratiam autem duplicem: vnam actualem præuenientem, quæ est gratia vocationis: alteram habitualem, gratum facientem, quæ est gratia iustificationis.

316. *Prædestinationis effectus proprius est id, quod electis datur secundùm propositum Dei.* Hoc autem Dei

317. *Propositum est voluntatis diuinæ beneplacitum gratuitum saluandi aliquem.* De quò Apostolus Rom. 4, v. 5. 8. v. 28. 9. v. 11. Ephes. 1. v. 5. & 11. 2. Timoth. 1. v. 9.

318. *Vocatio secundùm propositum est gratiæ præuenientis auxilium, quo quis efficaciter, & perseueranter mouetur ad fidem, & conuersionem.* Habet propriè tantùm locum in vtentibus ratione. Poterit autem extendi ad paruulos, & amentes adultos, si describatur sic:

319. *Vocatio secundùm propositum est gratiæ diuinæ beneficium, quo quis admittitur perseueranter in corpus Christi mysticum.* GRATIÆ DIVINÆ, actualis, quoad ratione vtentes: habitualis, quoad paruulos, & amentes adultos. Verùm eatenùs spectat ad sanctificationem. IN CORPVS CHRISTI MYSTICVM, tanquam membrum viuum, non recidendum; quia PERSEVERANTER admissum.

320. *Iustificatio secundùm propositum est infusio iustitiæ, quâ quis formaliter & perseueranter iustus efficitur.* PERSEVERANTER inquam, Nam vocatio & iustificatio non censentur proprij effectus prædestinationis; nisi dentur secundùm propositum Dei, ex efficaci voluntate saluandi: & tanquam media conferant efficaciter ad gloriæ assecutionem. Si autem interrumpantur, nec reparentur per pœnitentiam; tunc non conferunt efficaciter ad gloriæ assecutionem.

321. *Glorificatio est æterna gloriæ adeptio.* Ad glorificationem reuocatur essentialis beatitudinis gradus, amor, & gaudium beatificum; aureolæ, dotes gloriosi corporis, & beatitudo accidentalis.

322. Prouidentiæ diuinæ circa creaturam intellectualem, pars opposita prædestinationi, est reprobatio;

quæ duplex est, negatiua, & positiua.

323. *Reprobatio negatiua est non electio creaturæ intellectualis, ad gloriam, per gratiam.* NON ELECTIO, negatio carentiaque efficacis electionis, absque positiuâ exclusione CREATVRÆ INTELLECTVALIS, angeli & hominis. AD GLORIAM, tanquam finem supernaturalem assequendum, PER GRATIAM finalem, tanquam medium necessarium. *Non electio*, inquam: non quòd reprobatio negatiua consistat in merâ suspensione actûs eligendi; sed quia in illo instanti æternitatis, quo Deus elegit suos ad gloriam; reliquos voluit non eligere ad eam: quâ tamen illos priuare non voluit, nisi post peccati præuisionem. Vnde pleniùs definiri potest:

324. *Reprobatio negatiua est diuinæ voluntatis actus, quo creaturam intellectualem voluit non eligere ad gloriam, per gratiam.* Huiusce negatiuæ reprobationis, non datur causa meritoria, ex parte creaturæ: vti innuit Apostolus Rom. 9. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali…non ex operibus*, &c. Et D. Thomas p. 1. q. 23. a. 5. ad 3. *Quare hos*, inquit, *elegit in gloriam, & illos reprobauit; non habet rationem, nisi diuinam voluntatem.* Ad eiusdem mentem, potest definiri

325. *Reprobatio positiua est diuinum decretum permittendæ culpæ, & pro eâ infligendæ pœnæ*, damni & sensûs. Nam citatâ q. 23. a. 3. ait: *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam, pro culpâ.* Ad eundem sensum definitur

326. *Reprobatio positiua est diuina reiectio creaturæ intellectualis à finali gratiâ, & gloriâ.* Siue, *est diuina præparatio pœnæ æternæ, ob peccata præuisa irroganda.*

Huiusce reprobationis positiuæ causa meritoria est reprobi præuisum peccatum mortale finale: vti constat ex Osee 13. *Perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum.* Et Sapientiæ 1. & 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Peccatum inquam, originale so-

lum, cumulatumve actuali; vel actuale solum.

327. Reprobationis proprius effectus, est quadruplex: permissio peccati, derelictio in peccato, exclusio à gloriâ æternâ, inflictio pœnæ sensûs. Duo priores pertinent ad reprobationem, quatenùs est reiectio à gratiâ: duo posteriores, quatenùs est reiectio à gloriâ,

328. *Reprobationis effectus proprius est* Dei *reprobantis effectus, influens in pœna æterna damnationem.* Si autem in eam non influat, non erit reprobationis proprius effectus: sed communis prouidentiæ diuinæ: vti iam dicemus. Itaque prout est proprius reprobationis effectus,

329. Permi*ßio peccati, est diuina substractio gratiæ, impeditiua peccati, causatiui damnationis æternæ.* SVBSTRACTIO, quâ Deus vult negare gratiam, & permittere peccatum. GRATIÆ actualis, quâ peccatum actuale impediretur; vel habitualis, quâ originalis peccati infectio præueniretur. IMPEDITIVÆ PECCATI, tam originalis contrahendi, quàm actualis cõmittendi; etiam primi, in quod labitur quis ex innocentiâ, vti Lucifer: vel ex reparatâ iustitiâ, vti à Baptismo relapsus reprobus. CAVSATIVI DAMNATIONIS, quia si peccatum non sit causatiuum illius, vt originale, & actuale remissum, non erit proprius effectus reprobationis. In peccato

330. *Derelictio est diuina substractio gratiæ, remißiua peccati, causatiui damnationis æternæ.* REMISSIVÆ gratiæ, quæ si daretur, peccatum originale, & actuale remitteretur.

Derelictioni synonima sunt *dimißio, desertio, despectio:* aliquid plus significat *reprobus sensus, obduratio, excæcatio, aggrauatio.*

331. *Reprobus sensus est deprauatio mentis, probanda improbantis, & improbanda probantis.* Dicentis, iuxta Isaiæ 5. *Malum bonum, & bonum malum* REPROBVS etymologicè est vilis, contemptibilis, abiectus, & reiectitius, iuxta 1. Regum 15. Ieremiæ 6. & 1. Cor. 9. & 2. 13. MENTIS comprehendentis intellectum, & voluntatem,

332. *Obduratio est substractio gratiæ, emollientis cor:* quod impœnitens, sibique relictum, ad conuersionem inflexibile redditur. Hæc obduratio ex parte Dei fit substrahendo gratiam, non impartiendo malitiam. Ex parte peccatoris,

333. *Obduratio est pertinacia voluntatis, peccato firmiter adhærentis; & gratiæ emollienti resistentis.*

334. *Excæcatio est substractio gratiæ illuminatiuæ intellectûs:* qui obscuratus, in peccatorum foueam cadit, voluntatemque secum trahit. Ex parte peccatoris,

335. *Excæcatio est voluntaria diuinæ claritatis priuatio,* & spiritualium tenebrarum inductio, per repulsam illustrationum diuinarum.

336. *Aggrauatio est substractio gratiæ alleuiatiuæ voluntatis:* quæ addens peccatum peccato, graui pondere ad terrena, infernumque deprimitur. Ex parte peccatoris,

337. *Aggrauatio est depreßio mentis, succumbentis sub onere graui peccatorum.*

338. *Exclusio à gloriâ æternâ est priuatio visionis beatificæ,* & pœna damni. in 3. p. n. 631.

339. *Inflictio pœnæ sensûs est punitio ignis infernalis,* ad certum gradum intensa, secundùm malitiam peccati, etiam solius originalis; cui malitiæ commensa est. in 1. 2. n. 448. & in 3. p. n. 632. & 638.

De Libro Dei.

Liber Dei aliquando generaliter sumitur, aliàs specialiter pro libro vitæ, vti Exodi 32. Psal. 39. Danielis 12. Generaliter sumptus

340. Liber *Dei est omniscientia diuina.* Siue, *diuina notitia prædestinatorum, reproborum, rerumque omnium.* Sic accipitur *Psal.* 138. *In libro tuo omnes scribentur.* Specialiter sumptus liber Dei, siue liber vitæ, est duplex: primus liber vitæ gloriæ, secundus gratiæ. Primus.

341. *Liber vitæ est diuina notitia prædestinatorum ad gloriam, vitamque æternam:* ad quam infallibiter &

certò peruenient. Sic accipitur Philip. 4. Apoc. 20. & 21. Hic liber vocatur aliquando absolutè *vita*: sic dicitur Isaiæ. 4. *Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vitâ, in Ierusalem*, id est, prædestinatus, cuius nomen est in libro vitæ; & scriptum in Ierusalem cœlesti: iuxta illud Lucæ 10. *Gaudete quia nomina vestra, scripta sunt in cælo.* De hoc libro vitæ, nemo deleri potest. Secundus

342. *Liber vitæ est diuina notitia eorum, qui habent vitam gratiæ*: & ratione illius, ordinati sunt ad vitam gloriæ æternam: quamuis ad eam non sint omnes peruenturi. De hoc libro vitæ potest quis deleri, excidendo à gratiâ: iuxta Psal. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur* Et Exodi 32. *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.*

343. *Liber mortis est diuina notitia firmiter retinens nomina reproborum.* Vti verò nomina prædestinatorum scripta sunt in cœlo, Lucæ 10. ita reproborum in terrâ, Ieremiæ. 17. *Recedentes à te, in terrâ scribentur.*

De Sanctissima Trinitate.

IN Deo est naturæ vnitas, & personarum Trinitas.

344. *Trinitas est trium vnitas*: id est, trium personarum diuinarum, realiter distinctarum vnitas, & indiuiduæ naturæ identitas. Siue, *Trinitas est ternarius numerus personarum, eiusdem essentia diuina.*

345. Ferè accipiuntur vt synonima, *entitas, quidditas, ousia, substantia, essentia, natura.* Omnes sex dicuntur non absolutè, sed comparatè: respectu scilicet eius, cuius sunt entitas, natura, &c. Sic diuinitas est natura Dei; humanitas, hominis. &c. Illarum quinque concipiuntur ferè simplici conceptu, quidditas autem conceptu complexo definitiuo, per materiam & formam; genus & differentiam; prædicatum commune & proprium.

346. *Entitas est id, quo ens formaliter constituitur.* ENS sumptum nominaliter, non autem participialiter. Sumitur enim *ens* duobus modis: primò vt nomen

verbale, sine temporis consignificatione: secundò vt participium, à verbo *sum*: & tunc consignificat differentiam temporis, non tamen certam personam. Primo modo *Ens* formaliter significat essentiam, & abstrahit ab esse, siue existentiâ actuali: secundo modo formaliter significat esse præsens, & includit actualem existentiam, essentiæ superadditam. Itaque primo modo.

347. *Ens est quid habens essentiam veram,* non fictam, nec chymericam, eamque existentem actu, vel potentiâ. Coincidit cum ente reali: nam

348. *Ens reale est quid habens essentiam veram*, & realem, actu vel potentià existentem in rerum naturâ. Eiusmodi est rosa, etiam in hyeme, quando actu non existit. Secundo modo

349. *Ens est quid actu existens in tempore præsenti.*

350. *Quidditas est id, quod aptè respondetur quæstioni, quid est res?* v. g. quærenti, *quid est homo?* aptè respondetur, *Est animal rationale.* Item, *Est quoddam compositum ex corpore, & animâ rationali.* Vnde.

351. *Quidditas est id, quod explicatur definitione*: nam

352. *Definitio est oratio, explicans rei naturam*, siue quidditatem: & quidem per sola essentialia definiti, quando definitio est essentialis. Quæ duplex est: vna logica, siue metaphysica, altera physica. Illa datur per genus & differentiam: hæc per materiam & formam. Hanc respuunt res immateriales; illam res naturâ suâ simplices: qualis est natura diuina, etiam genera summa, & differentiæ omnes: quorum tamen quidditas explicatur per quandam imitationem generis & differentiæ, id est per prędicatum commune, & proprium.

353. Substantia dicitur tribus modis: primò à substando accidentibus: secundò à subsistendo per se: tertiò pro ousiâ, siue essentiâ. Hoc tertio modo accipitur ab Arist. in Categ. c. 2. vbi ait quòd *Vniuocorum nomen commune est, & ratio substantiæ, nomini accommodata, eadem est.* Et 2. Poster. c. 7. textu 7. *Esse vero nulli rei est substantia, id est essentia.*

Et Metaph. 5. c. 8. *Præterea substantia dicitur quidditas, cuius ratio est definitio.* Hoc tertiò modo sumpta

354. *Substantia est entis essentia, quâ substat*: id est realiter existit actu vel potentiâ; in se, vel in alio.

355. *Essentia est id, quo res intrinsecè constituitur in esse rei.* Siue, *est id, quod in re primò esse intelligitur per actum essendi*, siue existendi. Item, *Essentia est id qua aliquid formaliter dicitur ens*: & *quod primò concipitur conuenire rei.* Item, *est radicale ac intimum principium proprietatum, & actionum.* Etymologicè dicitur *essentia*, quòd res in eâ, & per eam habet actum essendi.

356. *Essentia realis est ea, quæ vera est*, & non merè conficta per intellectum. Quæ scilicet habet esse actuale, vel potentiale.

357. *Natura est id, quo res intrinsecè constituitur.* Scilicet materia & forma, in re materiali, physicéque compositâ: genus & differentia, in re immateriali, logicéque compositâ: prædicatum commune & proprium, in re simplici. Boëtius tamen videtur restringere naturam, ad essentiæ partem, nempe ad differentiam: ait enim: *Natura est vnumquodque informans*

358. *Specifica differentia.* Hæc autem * *Differentia specifica est ea, quæ proximè constituit speciem*: siue subalternam, vt *sensitiuum* respectu animalis: siue speciem specialissimam, vt rationale respectu hominis. Item

359. *Natura est rei essentia, ad operationem ordinata.* Nam proprium est essentiæ, quod non sit impossibilis, aut fictitia: & quòd res per eam habeat esse actuale, vel potentiale.

Proprium autem naturæ est, quòd non sit ociosa, dicatque ordinem ad operationem.

Etymologicè *Natura* dicitur, quia ab eâ nascitur proprietas. Quæ

360. *Proprietas est attributũ extrarium essentiæ rei, ab eâ naturaliter profluens, eique conuertibiliter competens.* Natura vel est vniuersalis, vt animalitas, humanitas, &c. vel est singularis, vt Lentulitas, Appietas, nomenclatore ipsomet Cicerone.

De existentia, subsistentia, supposito, persona, &c.

361. ACcipiuntur vt synonima *esse, existere, & existentia*; suntque communia substantiis & accidentibus. Substantiis autem proprium est *subsistere, subsistentia,* & *perseitas*. Vti & suppositis propria est *hypostasis,* & *suppositalitas.*

362. *Esse est actu existere.* Item, *Esse est actualis existentia rei*, per se, vel in subiecto inhæsionis. Item, *Esse est modus, & complementum essentiæ, quo perficitur, & actu ponitur in rerum naturâ.*

363. *Existere est actu esse*, & non tantùm potentiâ, à quâ dicitur ens potentiale, & possibile.

364. *Existentia est essentiæ modus vltimus intrinsecus.* MODVS, à quo formaliter denominatur ens habere essentiam realem actualem. VLTIMVS, præstans essentiæ vltimum complementum. INTRINSECVS, conueniens enti, per ipsiusmet entitatem, non per aliam distinctam. Item

365. *Existentia est complementum essentiæ, dans ei realitatem actualem.* Siue, *est compositio entis extra nihil,* & extra causas suas. Id est entis creati consistentia in se, non tantùm in causis suis, in quarum virtute habet esse potentiale, quod potest fieri reale actuale.

366. *Subsistere est existere per se*: & naturâ suâ non exigere subiectum inhæsionis.

367. *Subsistentia est existentia per se*: quâ res ita existit, vt non requirat subiectum inhæsionis. Siue, *est modus vltimò terminans substantiam, in ratione existendi per se.*

Subsistentiæ synonima

368. *Perseitas est modus essendi per se.* E diuerso Inhæsio, siue

369. *Inhærentia est existentia accidentis in subiecto.* Accidens enim ad naturalem sui existentiam, requirit subiectum, se sustentans.

Suppositalitati synonima est hypostasis. Quemadmo-

dum autem Intelligentia accipitur duobus modis, primò pro actu intelligendi, secundò pro substantiâ separatâ intelligente: ita & suppositalitas, ac hypostasis. Primo modo

370. *Suppositalitas est existentia per se completè, & incommunicabiliter.* Id est, modus substantialis, & actus existendi PER SE, absque sui subiecto inhæsionis. COMPLETE, absque ratione partis, aut compartis ordinatæ ad alterius substantiæ constitutionem. INCOMMVNICABILITER alteri supposito. Eodem primo modo,

371. *Hypostasis est vltimum complementum substantiæ, in ratione existendi per se completè, & incommunicabiliter.* Substantiæ inquam, tam intellectualis quàm non intellectualis. Secundo modo,

Suppositalitas est ipsum suppositum: & hoc

372. *Suppositum est indiuidua substantia completa incommunicabilis.* SVPPOSITVM sic dictum, quia supponitur omnibus aliis, tam accidentibus, vt imum subiectum inhæsionis; quàm substantiis vniuersalibus, vt vltimum subiectum prædicationis. Nam omnes substantiæ illi essentialiter insunt, & de eâ prædicantur, tanquam de vltimo subiecto essentiali. Exempli gratiâ, Ioannes est homo, animal, corpus, substantia. Item *Suppositum*, quia supponitur essentiæ: vt quæ non potest per se scorsim existere, in eo subsistat. EST INDIVIDVA, prima & singularis. SVBSTANTIA, ens per se subsistens, & non in subiecto inhæsionis. Substantia inquam intellectualis, vel non intellectualis. COMPLETA, per se non ordinata tamquam pars vel compars ad alterius substantiæ realem constitutionem. INCOMMVNICABILIS, quæ non potest communicari vlli inferiori determinatiori ue prædicationis subiecto, per modum formæ informantis. Nam quidquid potest pluribus communicari, siue cum sui multiplicatione (vti omnis natura verè vniuersalis, tam abstractè, quàm concretè sumpta) siue absque sui multiplicatione (vti essentia diuina communicata tribus personis) id suppositi rationem non habet, quia non subest

omnibus aliis. Cæterùm non eſt idem ſubſtantia completa, & incommunicabilis: nam eſſentia diuina eſt ſubſtantia completa, & tamen eſt communicabilis tribus perſonis.

Eodem ſecundo modo

373. *Hypoſtaſis eſt indiuidua ſubſtantia completa incommunicabilis*: eſtque ſynonima ſuppoſito. SVBSTANTIA, tam intellectualis, vti diuina, angelica, humana; quàm non intellectualis, vti cœleſtis, elementaris, & omnis ſubſtantia materialis, ab homine diſtincta. Hoc ſecundo modo paſſim apud Theologos & Philoſophos nunc accipitur hypoſtaſis: & olim tamen ſubinde accepta fuit pro eſſentiâ: vti conſtat ex Conciliis Sardicenſi & Alexandrino: Hieronymo epiſtolâ 56. ad Damaſum, & Auguſtino l. 5. de Trinitate c. 8.

Hypoſtaſis & ſuppoſitum latiùs patet Perſonâ: nam *Perſona eſt ſuppoſitum intellectuale*: & iuxta Boëtium, à theologis & philoſophis communiter receptum,

374. *Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.* RATIONALIS, comprehendentis intellectualem, ſtrictè ſumptam. Eiuſmodi perſona in naturâ diuinâ, eſt Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus; in angelicâ, Michaël, Gabriel, Raphaël: in humana, Ioannes, Iacobus, Petrus. Itaque.

375. *Perſona eſt intellectualis naturæ indiuidua ſubſtantia completa, incommunicabilis.* INTELLECTVALIS NATVRÆ, intellectu præditæ: qualis natura eſt triplex, diuina, angelica, humana. SVBSTANTIA COMPLETA in genere ſubſtantiæ; integra ſcilicet, & non partialis. INCOMMVNICABILIS alteri ſuppoſito. Ipſa quidem natura eſt communicabilis ſuppoſito, in quo ſubſiſtit; & non per ſe ſeorſim: ſuppoſitum autem, in quo natura ſubſiſtit, eſt incommunicabile alteri ſuppoſito. Cæterùm ſubſtantia poteſt eſſe *completa* duobus modis. Primò in genere ſubſtantiæ: quo modo completa eſt ſubſtantia integra, & non partialis phyſica (vti materia, forma, & ſubſiſtentia:) vel logica, vti genus & differentia. Secundò ab-

ſolutè & vltimatè: quo modo completa eſt ſubſtantia, habens vltimum ſui complementum, ſcilicet ſuppoſitalitatem & hypoſtaſim. Et hoc ſecundo modo ſubſtantia completa, reuera eſt incommunicabilis.

376. *Perſonalitas eſt hypoſtaſis, & ſuppoſitalitas naturæ intellectualis*: Siue, *eſt modus ſubſtantialis, præſtans ſubſtantiæ intellectuali vltimum complementum in ratione existendi per ſe completè, & incommunicabiliter.* Et quidem eadem numero ſingularis natura diuina ſuppoſitatur, & perſonatur per tres ſuppoſitalitates & perſonalitates: per quas conſtituuntur tres perſonæ diuinæ, Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus.

377. Ex antedictis patet quòd ad rationem perſonæ, quinque requirantur. Primò quòd ſit ſubſtantia. 2. Intellectualis. 3. Indiuidua, & incommunicabilis pluribus ſuppoſitis, realiter inter ſe diſtinctis. 4. Completa. 5. Separatim ſubſiſtens, & non in alio ſuppoſito ſuſtentante. Vnde à definitione perſonæ excluduntur primò omnia accidentia. 2. Omnia ſuppoſita irrationalia. 3. Omnes ſubſtantiæ vniuerſales: & ſingularis eſſentia diuina, abſque ſui multiplicatione, communicata tribus ſuppoſitis diuinis, realiter inter ſe diſtinctis. Chriſti etiam humanitas communicata alteri ſuppoſito, quàm humano. 4. Subſtantiæ partes logicæ, genus & differentia: ac phyſicæ; materia & forma: ipſe quoque modus ſubſtantialis, ſiue ſubſiſtentia. Conſequenter etiam anima rationalis, vnita vel ſeparata; tanquam ſubſtantia incompleta. 5. Omnis natura ſubſtantialis, non per ſe ſeorſim ſubſiſtens, ſed in ſuo ſuppoſito. Præfata quoque humanitas Chriſti, ſubſiſtens hypoſtaſi Verbi.

De Proceſſione.

378. IN Sanctiſſimâ Trinitate ſunt duæ proceſſiones ad intrà: quæ accipiuntur ſecundùm operationes immanentes: quæ in naturâ diuinâ merè intellectuali ſunt tantùm duæ, ſcilicet intellectio, & volitio: & conſequenter ſunt duæ perſonæ procedentes:

dentes: Filius, qui de se ait Ioan. 8. *Ego ex Deo processi:* & Spiritus-Sanctus, de quo idem Filius Ioan. 15. *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre: Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Hæ duæ processiones differunt inter se tribus modis: quia primò processio Filij est à solo Patre: processio Spiritus-Sancti, à Patre Filioque. 2. Processio Filij est per intellectum; Spiritûs-Sancti, per voluntatem. 3. Illa propriè dicitur generatio, hæc propter vocabulorum expressiuorum inopiam, retinet nomen commune processionis: & ipse dicitur procedens. Vtraque processio est actiua in personis producentibus, & passiua in productis. Hic passim accipitur passiuè. Vnde

379. *Processio est emanatio vnius ab alio, tanquam principio.* PROCESSIO sumpta passiuè, vti & productio, emanatio, origo. EST EMANATIO, quâ vnum emanat, oritur, & producitur. AB ALIO, realiter distincto. TANQVAM PRINCIPIO productiuo.

Processio est duplex: ad intrà, & ad extrà: siue, immanens, & transiens. In genere

380. *Processio ad intra est productio alicuius, manentis intrà principium productiuum* Eiusmodi est intellectio, quâ producitur verbum mentis, manens in intellectu: & volitio, quâ producitur amor, manens in voluntate. Verbum, inquam, mentis humanum, tanquam accidens manens in suo subiecto: diuinum secùs, quia non est accidens, sed substantia perfecta, per se, & in se subsistens.

381. *Processio ad extrà est productio alicuius extrà suum principium productiuum.* Eiusmodi est calefactio, quâ ab igne egreditur calor, & recipitur in aquâ: item ædificatio, quâ ab artifice fabricatur domus. Præfata processio ad intrà, & extrà, coincidit cum immanente, & transeunte. Nam processio, siue

382. *Emanatio immanens est origo, quâ aliquid ita à principio suo emanat, vt eidem immaneat.* Processio, siue

383. *Emanatio transiens est origo, quâ aliquid ita à principio suo emanat, vt ab eo transeat* in exteriorem

materiam, vel effectum. In diuinis

384. *Processio est emanatio vnius personæ, ab aliâ*, tanquam principio productiuo. Emanatio, inquam, immanens: & in diuinis hæc emanatio, siue

385. *Processio ad intrà est origo producti, coëssentialis producenti*. Nam processione ad intrà, personæ procedenti communicatur eadem numero essentia principij producentis.

Ideoque ista processio est ad intrà, & intima. Consequenter emanatio transiens, siue.

386. *Processio ad extra est productio creaturæ, dissimilis naturâ à Deo producente*, tanquam causâ efficiente.

In diuinis Pater est principium Filij; & Pater ac Filius principium Spiritûs-Sancti, non tamen causa. Quia causa ordine naturæ est prior suo effectu; & essentialiter ab eo distinguitur.

387. Interim Græci agnoscentes duplicem causam; vnam effectricem, alteram archicam, principio synonimam; hanc postremam admittunt in diuinis ad intrà: permittente etiam Ecclesiâ Latinâ, vti constat ex Concilio Florentino, in litteris vnionis: vbi Eugenius 4. ait *Filium quoque esse secundùm Græcos causam, secundùm Latinos verò principium Spiritûs-Sancti, sicut & Patrem*. Sensu Græcorum causam accipiunt subinde etiam Latini, vti Hilarius l. 12. de Trinitate: Hieronymus in caput 3. Ephesiorum: Augustinus l. 7. de Trinitate. c. 1. & q. 15. libri 83. quæstionum.

De Principio.

IN genere

388. *Principium est primum id, vnde aliquid est*. PRIMVM negatiuè, quod scilicet non præceditur ab eo, cuius respectu dicitur primum. ID, ens, vel non ens: cuiusmodi non ens, est priuatio, principium generationis. VNDE, à quo, priore naturâ, tempore, vel origine. ALIQVID principiatum scilicet, etiamsi non ens: vti superficies conuexa cœli empyrei est principium spatij imaginarij, tanquam principiati. Est

realiter vel imaginariè, cum reali influxu, dante esse; vel absque eo: vti patet in principio viæ, orationis, & in priuatione, quæ nullum esse habet, nullumque dare potest.

Restringendo præfatam definitionem, ad principium productiuum, tunc accipitur PRIMVM positiuè, prioritate si non naturæ, aut temporis; saltem originis. ID, ens positiuum. VNDE, ex quo. ALIQVID, ens itidem positiuum. EST, realiter producitur.

389. *Causa est id, ad cuius esse sequitur aliud*, diuersum saltem essentiâ numericâ, & indiuiduali.

390. *Causa efficiens est principium, per se influens esse in aliud.* PRINCIPIVM, tanquam proximum genus definiti. PER SE, vi suâ: quâ parte excluditur priuatio, & omnis causa per accidens. INFLVENS reali influxu. ESSE, existentiam actualem. ESSE inquam causati, participatum, dependens, & distinctum ab esse causæ. IN ALIVD, in effectum, distinctum saltem essentiâ numericâ.

391. Axioma Philosophicum & Theologicum, *Primum principium non potest ab alio procedere*, debet intelligi, quòd primum principium simpliciter, tam ad intrà, quàm ad extrà (cuiusmodi est Pater in diuinis) non potest ab alio procedere. Aliàs primum principium ad extrà (cuiusmodi est Filius & Spiritus-Sanctus) potest ab alio principio (scilicet Patre) procedere.

392. *Principium* sumptum essentialiter, & relatum ad extrà ad creaturas, est commune omnibus personis diuinis. Sumptum autem notionaliter & personaliter ad intrà, tantum competit personæ producenti. Sumendo autem

393. *Principiatum*, vt correlatiuum principij, notionaliter accepti; sic Filius est principiatus à Patre: & Spiritus-Sanctus à Patre Filioque. Tunc enim principiatum idem est quòd habens principium productiuum: siue ens à principio. Si autem principiatum accipiatur (quo modo ordinariè sumitur) pro ente facto per principium, vel habente durationis principium;

sic est correlatiuum causæ, nec potest dici de Filio, aut Spiritu-Sancto.

394. Quando Dionisius, Augustinus, & Concilium Toletanum dicunt quòd Pater sit fons, origo, & principium totius diuinitatis, & deitatis; intelligunt impropriâ locutione, quòd sit principium Filij & Spiritûs-Sancti, in quibus est tota diuinitas. Propriè autem loquendo, hoc dici non debet: quia deitas, siue essentia diuina non procedit à Patre, vti definitum est in Conc. Lateranensi, capitulo *Damnamus*.

De Productione, & Generatione.

GEneratio accipitur actiuè & passiuè: similiter productio. Hic

395. *Productio actiua est actio, quâ enti datur esse, non de nihilo.*

396. *Productio passiua est passio, quâ ens accipit esse, non de nihilo.* Siue, *Productio actiua est datio esse non de nihilo:* P*aßiua est acceptio esse, non de nihilo.*

397. P*roducere est dare esse, non de nihilo.* P*roduci est accipere esse, non de nihilo.*

398. *Generare est producere viuentem, sibi similem in naturâ.*

399. *Generari est produci, & gigni, & nasci.*

400. *Generatio actiua est actio, quâ viuens producit viuentem, sibi similem in naturâ, vi productionis.*

401. *Generatio passiua est natiuitas viuentis, geniti à viuente, in similitudinem naturæ.* Vtraque potest comprehendi hac definitione:

402. *Generatio est communicatio essentiæ, per modum naturæ*, id est nascituræ, siue natiuitatis.

Cæterùm propriè dicta, & perfecta

403 *Generatio est productio viuentis à principio viuente coniuncto, secundùm similitudinem in naturâ, vi productionis.* Propriè dicta, inquam, non lato modo, & impropriè dicta: quæ non requirit producti similitudinem in eâdem naturâ: qualis est generatio siue productio aquæ, ex aëre condensato. Item *perfecta*,

quam imperfecta, & præter naturam, potiùs est dicenda *Degeneratio*: cuiusmodi est productio muli, ex equo & asinâ: in quâ virtus actiua maris nequit perducere materiam fœminæ, ad terminos propriæ speciei. EST PRODVCTIO passiua, quâ accipitur esse, non de nihilo. VIVENTIS, suppositi producentis operationem vitalem. A PRINCIPIO productiuo, non autem merè materiali: quale principium materiale fuit Adamus respectu Euæ. VIVENTE, supposito producente operationem vitalem. CONIVNCTO substantialiter, atque adeò consubstantiali. Nam per generationem substantia patris, fit filij: & substantialiter coniunguntur. Substantia inquam patris, fit filij: vel tota, vti in generatione diuinâ: vel pars illius, v. g. semen, quod fit materia geniti, manetque eadem numero substantiæ pars communis genitori genitóque. SECVNDVM SIMILITVDINEM IN NATVRA, eiusdem speciei. VI PRODVCTIONIS, similis producenti, ex modo suæ productionis: ita vt modus productionis, sit modus assimilationis; sitque in ipso modo procedendi ratio cur id quod procedit, sit simile principio, à quo procedit. Per quam postremam partem, à generatione excluditur processio Spiritûs-Sancti: includitur autem productio Verbi, producti per intellectum. Nam quod producitur per intellectum, illud vi suæ productionis, est simile obiecto intellecto: cùm sit similitudo & imago illius. Et consequenter est similitudo principij intelligentis, quando intelligens est obiectum suæ intellectionis: vti fit in intellectione Dei Patris Verbum producentis.

404. Ex dictis colligitur, quòd ad propriè dictam generationem, sex requirantur. 1. vt principium generans sit productiuum, & non merè materiale. 2. vt sit viuens. 3. vt sit coniunctum genito, per communicationem propriæ substantiæ; totius, aut partis v. g. seminis: ita vt eadem substantia maneat vtrique communis. 4. vt genitum sit viuens. 5. vt sit generanti simile, in eâdem naturâ specificâ. 6. vt sit simile, vi ipsius productionis, & ex naturâ ipsâ processionis.

405. Per primum requisitum excluditur processio Euæ ab Adamo, tanquam principio materiali, & non productiuo. Per secundum excluditur productio animalis, facta à sole, supposito non viuente. Per tertium excluderetur productio hominis, ab alio producti, sine communicatione propriæ substantiæ. Per quartum excluditur productio seminis ab homine, & alterius rei non viuentis. Per quintum excluditur productio vermis ex semine corrupto: item monstri, humanæ naturæ dissimilis. Per sextum excluditur productio Spiritûs-Sancti, vti diximus n. 403. item productio Euæ, ex costâ Adami: quia talis modus processionis, non est modus assimilationis.

406. In diuinis *Generatio est processio vnius personæ ab aliâ, per modum intellectûs, cum perfectâ & numericâ identitate naturæ.* Vnde in diuinis generatio est perfectior in ratione generationis, quàm quælibet creata generatio. Nam quò natura geniti est similior naturæ generantis, eò perfectior est generatio. Sed in diuinis est eadem numero natura geniti & generantis, non item in creaturis: ergò, &c. Et consequenter generatio increata est exemplar creatæ: iuxta Apostolum Ephes. 3. *Flecto genua mea ad Patrem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terrâ nominatur.*

407. Quemadmodum in humanâ generatione, suppositum Patris est quod generat; generationis autem principium quo immediatum, est potentia generatiua; humana autem natura fœcunda, est principium quo mediatum: ita in generatione diuinâ, suppositum Patris est generans: generationis principium quo mediatum, est essentia diuina fœcunda, prout est in Patre: & principium quo immediatum est intellectus Patris.

De nomine Essentiali, Notionali, Personali.

408. IN diuinis *Nomen essentiale est illud, quod significat essentiam diuinam; vel aliquod attri-*

butum, commune tribus personis. v. g. natura, Deus creator, potens, &c.

409 Nomen nationale est illud: quod significat propriam rationem noscendi vnam personam, ab aliâ distinctam. v. g. innascibilis, genitus, procedens &c

410 Nomen personale est illud, quod significat personam diuinam, vel proprietatem constitutiuam illius. v. g. Pater, Filius, Spiritus-Sanctus: paternitas, filiatio, processio.

411. Actus essentialis est ille, qui communis est toti Trinitati, tribusue personis diuinis. v. g. intelligere, velle, creare, &c.

412 Actus notionalis est ille, qui conuenit certa persona diuina Siue, est persona diuina productio actiua, & passiua. v. g. generatio, & natiuitas: spiratio, & processio: generare, & generatio; diligere seu spirare, & procedere, seu spirari. Item dicere, & spirare, quæ significant productionem actiuam Verbi, & Spiritûs Sancti. Dicere enim non tantùm significat intelligere præcisè, sed intelligendo producere verbum, seu conceptum mentis.

De Notione, Relatione, Proprietate.

413. NOtio est propria ratio, quâ noscitur vna persona distingui ab aliâ. Ad notionem duo requiruntur: primò vt exprimatur in abstracto, aut æquiualenti: quia debet significari vt forma, quâ vna persona distinguitur ab aliâ. In abstracto inquam, vt innascibilitas, paternitas, &c. In æquiualenti, vt esse improductum, esse ingenitum. Secundò vt pertineat ad originem; quiâ debet significare distinctionem vnius personæ ab aliâ: quæ distinctio habetur per originem affirmatam, vti filiatio: vel negatam, vti innascibilitas, siue improducibilitas: quâ significatur magna dignitas Patris, quòd scilicet sit principium sine principio.

414. Sunt quinque notiones, scilicet innascibilitas,

paternitas, filiatio, spiratio actiua & processio, siue spiratio passiua. Innascibilitas autem est improducibilitas, dicitque negationem processionis ab alio. Ea soli Patri conuenit, non autem Spiritui-Sancto: qui licet non nascatur, tamen à Patre Filioque producitur. In diuinis, ad intrà

415. *Relatio est habitudo, quâ formaliter personæ diuinæ ad se mutuo referuntur*, & habent respectum. Eiusmodi relationes sunt quatuor, *paternitas, filiatio, spiratio actiua*, & *processio*, siue *spiratio passiua*: suntque realiter inter se distinctæ, exceptâ spiratione actiuâ: quæ distinguitur quidem realiter à spiratione passiuâ, siue processione; sed non à paternitate, & filiatione. Quia in diuinis non est realis distinctio, nisi vbi est realis oppositio: qualis non est inter spirationem actiuam, & paternitatem aut filiationem.

416. In diuinis *Proprietas est propria ratio, ita conueniens vni personæ diuinæ, vt alteri non conueniat*. Propria inquam, & non communis alteri personæ. Eiusmodi proprietates sunt quatuor; *innascibilitas, paternitas, filiatio, processio*, siue spiratio passiua: nam actiua, cum sit communis Patri Filioque, non est proprietas.

417. *Proprietas personalis est forma positiua, vni personæ diuinæ propria, illiusque constitutiua.* Siue, *est forma positiua, personam diuinam constituens, in esse personæ*, eamque personaliter distinguens ab alijs. Eadem vocatur *Personalitas*, & *relatio Personalis*. Eiusmodi proprietates personales sunt tres, *paternitas, filiatio, processio* Excluditur *innascibilitas*, quia non est forma positiua, neque personæ constitutiua, & *spiratio actiua*, quia non est propria vni personæ, sed communis duabus.

418. *Personalitas est modus substantialis, personæ constitutiuus* n. 376. Circuminsessio in diuinis, siue

419. *Perichoresis est intima inexistentia personarum diuinarum in se mutuo.* Quia licet sint realiter distinctę; tamen sunt consubstantiales, sibique intimæ. Vnde Filius Ioan. 14. ait, *Non credis, quia ego in Patre*

& Pater in me est? Ad hanc circuminsessionem requiritur distinctio personarum, & identitas essentiæ, siue homousia, & consubstantialitas.

De Ordine in Diuinis.

420. IN sanctissima Trinitate est realis ordo originis inter personas; ita vt Pater sit prima persona, Filius secunda, & Spiritus-Sanctus tertia. Vti patet ex Matth. vltimo, *Baptisantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs-Sancti.* Est, inquam, realis ordo: vbi enim est pluralitas sine confusione, ibi necessariò est ordo, : sed in sanctissima Trinitate est pluralitas personarum, sine confusione, imperfectionem importante: ergò est ordo. Non naturæ, causalitatis, durationis, temporis, dignitatis, sitûs alteriusue implicantis imperfectionem: sed originis, quâ vna persona procedit ab alia, tanquam principio: non è conuerso. Et hæc origo essentialiter postulat vt Pater sit prima persona, Filius secunda, Spiritus-Sanctus tertia. Quia Pater à nullo procedit & ab eo procedit Filius: & à Patre Filioque Spiritus-Sanctus. In genere

421. *Ordo est habitudo & dispositio rerum ad aliquod principium, & inter se, secundùm prioritatem & posterioritatem* originis, naturæ, causalitatis, durationis, temporis, dignitatis, dependentiæ, sitûs, &c. Siue, *est habitudo prioris ad posterius: & è diuerso.*

422. *Ordo originis est habitudo plurium inter se, quorum vnum est principium producens, aliud productum:* non è diuerso. In diuinis

423. *Ordo originis est habitudo personarum diuinarum inter se, quarum vna est producens, alia producta.* Siue *est habitudo, quâ personæ diuinæ ita se habent ad inuicem, vt vna procedat ab aliâ.* tanquam principio producente: non è conuerso. Vnde in rigore Theologico, & fidei, debet inter sanctissimæ Trinitatis personas admitti prioritas & posterioritas originis, absque prioritate temporis & durationis; quia tres

personæ sunt coæternæ: absque prioritate dignitatis; quia sunt coæquales: absque prioritate naturæ; quia inter eas non est dependentia

424. *Prioritas originis est positiua habitudo producentis, ad productum.*

425. *Posterioritas originis est positiua habitudo producti, ad producens.*

De Patre.

426. IN Sanctissimâ Trinitate, prima persona vocatur *Pater*, vti constat ex Matth. 10. 11. & 28. *Pater* autem sumitur duobus modis: primò propriè, notionaliter, & personaliter, secundò metaphoricè, & essentialiter. Primo modo nomen Patris, competit ab æterno, ad intrà soli primæ personæ. Secundo modo competit ex tempore ad extra tribus personis.

427. Primo modo, *Pater est Deus viuens, producens viuentem, eiusdem secum natura*, vi productionis.

428. Secundo modo, *Pater est principium producens creaturas, dissimilis à se natura.* Sic cap. 38. Iob agnoscit, quòd Deus sit *pluuiæ pater.* Specialiter autem dicitur Deus esse pater creaturarum intellectualium, quas producit, conseruat, gubernat, & per gratiam adoptat in filios, & hæredes vitæ æternæ. In diuinis nomen *Ingeniti*, & *Innascibilis* attribuitur Patri, quia ipse à nullo principio producitur.

De Filio, Verbo, Imagine.

429. IN diuinis, *Filius est viuens productus à Deo viuente, eiusdem cum eo natura*, vi productionis. Idem vocatur *Verbum* à Ioanne, Euangelij c. 1. Epistolæ 1. c. 5. & Apoc. 19: item *Sermo*, Sapientiæ 18. & Heb. 4. & *Imago Patris*, Sapientiæ 7. Coloss. 1. & Heb. 1. Verbum vnum est mentale: alterum vocale.

430. *Verbum mentale est actualis expressa similitudo rei intellecta.*

431. *Verbum vocale est vox significatiua, expreßiua conceptûs mentis*, & verbi intenti.

432. *Sermo est oratio adunata ex pluribus vocibus* Vnde hoc ſermonis nomen tribuitur: Verbo incarnato, tanquam perſonæ adunatæ ex naturâ diuinâ, & humanâ.

433 In diuinis, *Verbum Et conſubſtantialis ſimilitudo Patris, ſe comprehenſiuè intelligentis.* In genere

434. *Imago eſt ſimilitudo, ad inſtar alterius producta.*

435. E diuerſo, *Exemplar eſt id, ad cuius imitationem aliquid producitur.* Hoc ipſum exemplar videtur vocari impropriè imago, Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

436. In diuinis, *Imago eſt coeſſentialis ſimilitudo Patris, ad imitationem ſui producta*, per intellectum.

De Spiritu-Sancto, amore, dono.

437. SPiritus-Sanctus dicitur duobus modis: primò à ſpiritualitate, ſiue naturâ immateriali, & incorporeâ: & ſic eſt nomen eſſentiale, commune tribus perſonis. Secundò à ſpiratione, quaſi *ſpiratus*: & ſic eſt nomen perſonale, proprium tertiæ perſonæ, cui ſoli competit ſpirari. Quo ſenſu *Spiritus-Sanctus* accipitur tanquam vox incompleta, & terminus ſignificatione ſimplex.

438. *Spiritus-Sanctus eſt tertia Trinitatis perſona, à Patre Filioque ſpirata*, per voluntatis amorem.
Quemadmodum tres perſonæ diuinæ ſunt vnum principium ad extrà creaturarum, & vnus creator; ita Pater & Filius ſunt vnicum principium ad intrà Spiritus-Sancti; & vnus ſpirator, per vnam & eandem numero potentiam actiuam ſpiratiuam, tanquam principium *quo*.
Spiritus-Sanctus vocatur etiam *amor* & *donum*.
In diuinis *Amor* ſumitur aliquando eſſentialiter, notionaliter, & perſonaliter.

439. Sumptus eſſentialiter *Amor eſt actus volunta-*

tis, quo tres personæ diuinæ formaliter amant, & volunt bonum.

440. Sumptus notionaliter *Amor est spiratio actiua, quâ Pater & Filius amando producunt Spiritum-Sanctum.*

441. Sumptus personaliter *Amor est terminus, ab amante Patre Filioque productus*: scilicet Spiritus-Sanctus.

442 *Donum est munus, alicui gratuitò præstitum.* Siue, est *bonum proprium, alteri liberaliter collatum*, vel conferri aptum.

443. *Datum est munus, liberaliter actu donatum.* In diuinis *Donum* accipitur essentialiter, notionaliter, & personaliter.

444. Essentialiter acceptum Donum *est bonum proprium, alteri liberaliter collatum, vel conferri aptum*, & donabile. Sic est nomen commune tribus personis, quæ summè bonæ sunt; sibi propriæ, & suæ: ab æterno donari aptæ, & donabiles; & in tempore gratuitò datæ.

445. Notionaliter acceptum D*onum est bonum, origine proprium, alteri liberaliter collatum, vel conferri aptum*, & donabile. Sic est nomen commune tantùm Filio, & Spiritui-Sancto. Nam Filius est res propria Patris, origine & processione, estque liberaliter donatus nobis. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Ioan. 3. Similiter Spiritus-Sanctus est res propria Patris & Filij origine & processione; & ab vtroque est nobis liberaliter donatus, Ioan 15. *Cùm venerit* Paracletus, *quem ego mittam vobis à* Patre. & Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij.* & Ioan. 20. *Accipite Spiritum-Sanctum.*

446. Personaliter acceptum *Donum est suppositum, ex vi originis suæ procedens per modum amoris, & doni:* Sic acceptum doni nomen, est proprium Spiritui-Sancto. Vnde dicitur Act. 2. *Accipietis donum Spiritûs-Sancti*, & 8. *Donum Dei existimasti pecuniâ possideri* Solus enim Spiritus-Sanctus, vi originis suæ, procedit vt

amor, & consequenter vt donum: nam primum, quod donamus ei, cui bonum volumus, est amor: tanquam fons omnis liberalis & gratuitæ donationis.

De Missione in diuinis.

447. IN diuinis passiua missio competit personis procedentibus, Filio, & Spiritui-Sancto. Patet ex Ioan. 8. de Filio, *Misit me Pater.* Galat. 4. *Misit Deus Filium suum.* De Spiritu-Sancto, Ioan. 14. *Spiritus-Sanctus, quem mittet* Pater *in nomine meo,* & c. 15. P*aracletus, quem ego mittam vobis à* Patre.

448. Hæc missio non competit Patri, vtpote non procedenti ab alio: competit autem Filio, respectu Patris; & Spiritui-Sancto, respectu Patris, & Filij. Quando autem Isaiæ 48. & 61. Filius dicit se missum à Spiritu-Sancto, hoc intelligendum est secundùm humanitatem.

449. Missio importat missi habitudinem ad principium sui productiuum, siue personam originantem: & ad terminum extrinsecum, personam scilicet, vel locum: in quo incipit esse alio modo, quàm prius ibi erat, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Itaque in diuinis missio non est per imperium, vel consilium: sed per originem, & emanationem naturalem: quo modo terra mittit germen suum, & arbor radices, ramos, flores, fructus.

450. *Missio est processio personæ diuinæ ab aliâ, cum habitudine ad terminum*, in quo incipit esse aliquo modo, quo ibidem ante non erat.

451. *Mitti est personam diuinam procedere ab aliâ: & in mundo visibiliter apparere, aut inuisibiliter operari.* Vnde missio est duplex, vna visibilis, alia inuisibilis.

452. *Missio visibilis est ea, quæ fit in specie sensibili*, siue perceptibili aliquo sensu externo. Qualis fuit missio Filij, in carne humanâ: & Spiritus-Sancti, in specie columbæ, nubis lucidæ, flatûs, linguarum ignearum.

453. *Missio inuisibilis est ea, quæ fit sine specie sen-*

sibili, interius sanctificando animas: formaliter per gratiam habitualem, efficienter, per actualem excitantem.

De Creatione mundi, Angelis, & statu primi hominis.

454 Deus condens mundum, creauit angelos in cœlo empyreo, & cum eo: iuxta illud Exodi 20. *Fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Ecclesiastici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*: accedente definitione cap. *Firmiter.* Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Lucæ 10. *Videbam sathanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Apoc. 12. *Factum est prælium magnum in cælo.*

455. Omnes angeli in primo instanti creationis, acceperunt à Deo gratiam sanctificantem, cum virtutibus & donis infusis, eam comitantibus: vti communiter colligitur ex Ioan. 8. de Lucifero, *in veritate non stetit*, & Ezech. 28. de eodem, *Perfectus in vijs tuis, à die conditionis tuæ: donec inuenta est iniquitas in te.* Vnde Augustinus l. 12. de ciuitate c. 9. ait: *Deus in angelis erat condens naturam, & largiens gratiam.*

456. *Angelus est substantia creata, intellectualis, spiritualis, completa.* SVBSTANTIA, ens per se subsistens. CREATA, ex nihilo producta. INTELLECTVALIS, prædita intellectu: quo etiam res cognoscit vnico simplici intuitu; absque discursu, colligente ex vno aliud. SPIRITVALIS incorporea. COMPLETA, integra, & non ordinata ad alterius compositionem: item completa per propriam hypostasim, tanquam vltimum sui complementum. n. 375.

457. Probabiliter angelus diuiditur in angelum primæ, secundæ, & tertiæ hierarchiæ, tanquam in species proximas. Angelus primæ hierarchiæ in angelum primi, secundi, & tertij chori; tanquam in species vlteriores. Similiter angelus secundæ, & tertiæ hierarchiæ. Chorus autem diuiditur in angelos primos, medios, & infimos: & illi in plura indiuidua.

458. *Hierarchia est sacer principatus.* Siue, *est multitudo ordinata, sub vnius sacri principis gubernatione.*

459. *Hierarchia angelica est angelorum cœtus ordinatus, recipiens diuinitùs illuminationes eodem modo* sub Dei supremi principis gubernatione.

460. *Prima hierarchia est angelicus cœtus ordinatus, recipiens illuminationes immediatè à Deo*, easque transfundens angelis secundæ hierarchiæ.

461. *Secunda hierarchia est angelicus cœtus ordinatus, recipiens diuinas illuminationes ab angelis primæ hierarchiæ*, easque transfundens angelis tertiæ hierarchiæ.

462. *Tertia hierarchia est angelicus cœtus ordinatus recipiens diuinas illuminationes ab angelis secundæ hierarchiæ*, easque transfundens, non angelis, sed hominibus.

463. *Cœtus ordinatus est multitudo diuisa in tres ordines, primum, medium, & infimum.* Angelicus ordo, siue

464. *Chorus est hierarchia angelica gradus vnus*: conueniens in hierarchiæ suæ communi modo illuminationis, distinctus secundum diuersa officia. Gradus inquam vnus, quia hierarchia angelica, non est multitudo confusa, sed ordinata per sui principium, medium, & finem : siue per gradum supremum, medium, & infimum.

465. In vnaquaque hierarchiâ sunt tres Chori, siue Ordines : & cùm sint tres hierarchiæ, consequenter sunt nouem Ordines : scilicet Seraphim, *&c.*

466. *Seraphim sunt spiritus, præ cæteris ardentes amore diuino, eoque incendentes alios.*

467. *Cherubim sunt spiritus magistri, plenitudine scientiæ abundantes*, præ inferioribus omnibus ; in quos eam transfundunt.

468. *Throni sunt spiritus, quibus majestas diuina immediatè insidet, tanquam iudex.*

469. *Dominationes sunt spiritus, dominatum exercentes*, in gubernatione hominum, quin & angelorum inferiorum se : quos ad obediendum habent sub-

ditos, tanquam domini.

470. *Virtutes sunt spiritus, in fortitudine excellentes*, ad patranda miracula; corroborandosque inferiores angelos, ad munia sua perficienda.

471. *Potestates sunt spiritus, cohibentes dæmonum potestatem*: eamque exercentes in angelos inferiores, ordinando agenda ab ipsis.

472. *Principatus sunt spiritus, suo moderamine principantes angelis inferioribus*: terrenis quoque regnis, ac principatibus: quos constituunt, custodiunt, regunt, ac mutant.

473. *Archangeli sunt spiritus, nunciantes res momenti maioris; eminentesque inter angelos custodes.* Vtpote custodientes Pontifices, Reges, Principes, rectoresque aliorum.

474. *Angeli sunt spiritus, custodes hominum priuatorum; nunciique rerum momenti minoris.*

475. *Angelica locutio est proprii conceptûs affectûsue expreßio, directa ad alterum.* CONCEPTVS intellectûs; AFFECTVSVE voluntatis: EXPRESSIO, per signa spiritualia. DIRECTA AD ALTERVM, Deum, angelum, vel hominem Ad Deum, orandi, adorandi, laudandi, consulendi illius causâ. Ad angelum, vel hominem; manifestandi, illuminandi, docendi, discendiue gratiâ. Ista locutio est actus intellectûs elicitus, voluntatis imperatus.

476. Lingua *angelica est facultas expreßiua conceptus, affectusue mentis*: per signa quædam spiritualia. Actiua

477. *Illuminatio angelica est angeli locutio doctrinalis.* Siue, *est angelica veritatis explicatio*, facta alteri Angelo, vel homini Veritatis, inquam, in Deum ordinatæ, aliàs minùs notæ in rebus naturæ, gratiæ vel gloriæ. Itaque

478. *Illuminatio, est veritatis, in Deum ordinata manifestatio, facta ignoranti.* Et *Illuminare est manifestare veritatem ignoranti.* Angelica missio est duplex: interior, & exterior.

479. *Angelica missio interior est angeli delegatio, ad illuminandum*

illuminandum alium; angelum, vel hominem. DELEGATIO facta diuino mandato, immediato vel mediato.

480. *Angelica mißio exterior est angeli delegatio, ad exhibendum* Deo *ministerium circa temporalia.*

481. Quòd omnes omninò angeli mittantur missione interiori & exteriori, est conformius scripturæ Isaiæ. 6. Danielis 10. Matth. 25. Heb. 1. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium* (Dei, non hominum) *mißi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis?*

482. Angeli assistentes & ministrantes ijdem sunt: quia ministrorum est assistere Domino, paratos ad exequendum illius mandata: eique ministrandum. Quod etiam constat ex oratione Ecclesiæ, in festo S. Michaëlis.

Adam primus homo fuit conditus in iustitiâ originali. Quæ.

483. *Iustitia originalis est perfecta rectitudo totius hominis.* IVSTITIA ORIGINALIS, sic dicta, quia infusa homini, in origine suâ. RECTITVDO, omnimoda conformitas ad rectam rationem, legemque æternam. Nam per iustitiam originalem, hominis mens erat perfectè subdita Deo; & menti appetitus sensitiuus, corpusque immortale & incorruptibile. Vnde iustitia originalis non erat vnicus habitus supernaturalis, nec vnicum donum diuinum: sed complexio plurium, v. g. In essentiâ animæ, gratiæ habitualis: in intellectu, fidei & prudentiæ: in voluntate, spei, charitatis, religionis, &c. in appetitu sensitiuo, diuersorum habituum, subdentium illum rationi: in corpore, qualitatis illud præseruantis à morbo, & morte. Et consequenter eiusdem iustitiæ originalis erant tres effectus, antè insinuati: primò omnimoda subiectio rationis, ad Deum: secundò, appetitûs sensitiui, ad rationem: tertiò, corporis incorruptibilis, ad eandem.

484. *Mundus est vniuersum, constans partibus suis creatis, visibilibus & inuisibilibus.* Siue, *est vniuersi*

machina ornata, *ambitu cæli contenta*, partes visibiles & inuisibiles complexa. ORNATA : Nam *mundus*, & muliebris, & vniuersi, significat ornatum, concinnum, politum.

485. *Creatio est productio entis ex nihilo.* Hæc autem.


486. *Productio est actio, quâ ens perducitur à non esse, ad esse*, cum sui inceptione, & essendi nouitate. ENTIS totius, & secundùm totam rationem entitatis, & dependentiæ in esse suo : ita vt à solo producente, & à nullo alio dependeat in quocunque genere causæ. ENTIS, inquam, per se subsistentis : quia illi soli competit fieri, & esse. EX NIHILO, ex nullo præsupposito, tanquam materiâ, substantiâ de quâ, vel ex quâ, vel subiecto, à quo dependentiam habeat. *Ex nihilo* inquam: nam quemadmodum quod fit ens hoc, fit ex non ente hoc: ita quod secundùm se totum, de nouo fit; ex eo quod nihil est, fit. Vnde *Ex* denotat habitudinem negatæ causæ materialis, & dependentiæ à subiecto Itaque ens quod creatur, est independens à subiecto: & consequenter est ens per se subsistens; vel saltem existens ad modum subsistentis. Quo posteriori modo existeret accidens, si miraculosè produceretur separatim à subiecto: quo modò conseruatur in Eucharistiâ. Et tunc creari videretur, quia haberet existentiam, similem subsistentiæ.

487. *Concreatio est entis vnius, cum alio simultanea eademque productio ex nihilo.* ENTIS, per se non subsistentis complete: scilicet partium totius essentialium, aut integralium; aut accidentium subiecti. CVM ALIO ente, per se subsistente. Eiusmodi enim partes concreantur; & accidentia (iuxta modum loquendi quorundam) increantur; quando vnâ eâdemque actione, cum toto, vel subiecto substantiali, simul producuntur ex nihilo. SIMVLTANEA EADEMQVE PRODVCTIO : si enim foret simultanea productio, non per eandem actionem: v.g. creatio Luciferi & Adæ, cum simultaneâ infusione gratiæ, per distinctam actionem; non esset concreatio. Propriè enim.

488. *Concreari dicitur, quod cum eo, quod creatur, eâdem actione producitur.* v. g. intellectus & voluntas, cum animâ rationali.

489. *Conseruatio est continuatio rei in suo esse.* Siue, *est continuatio existentia rei.* Est aliquando ipsamet actio productiua rei permanens, & non interrupta; connotans ipsammet actionem præcessisse, sub ratione productionis.

490. *Annihilatio est rei in nihilum redactio.* Hæc fit, non per actionem, sed per actionis cessationem: scilicet per influxûs conseruatiui substractionem. Dupliciter autem sumitur Annihilatio: primò *est desitio rei, secundùm se, & quodlibet sui*: etiamsi rei succedat alia res positiua. Secundò, *est desitio rei, secundùm se, & quodlibet sui: cum negatione successionis entitatis positiuæ.* Transsubstantiatio non est substantiæ panis annihilatio, secundo modo; quamuis sit primo.





BREVIARII THEOLOGICI

PARS PRIMA SECVNDÆ.

1. PRIMÆ. secundæ obiectum est Deus, quatenus finis hominis, acquirendus per media: scilicet actus humanos, iustificationem, gratiam, merita, leges, virtutes, fugamque peccatorum.

2. Quia verò Deus est hominis finis vltimus; ideo homo ex præcepto debet se, suaque omnia in eum referre actualiter, vel virtualiter: iuxta Apostolum 1. Cor. 10. *Siue comeditis, siue bibitis, siue quid aliud facitis; omnia ad honorem Dei facite.* & Coloss. 3. *Omne quodcunque facitis, in verbo, aut in opere; omnia in nomine Domini Iesu Christi.*

De fine.

3. FInis vnus est *qui*, siue *obiectiuus*, & obiectiuus: alius est *quo*, siue *formalis*: alius *cui*. Item finis *non vltimus*, & *vltimus*: finis *operis*, & *operantis*, &c.

4. *Finis qui est bonum per se, quod sui gratiâ appetitur.* FINIS, sic dictus, quia finit. & terminat appetitum vltimatè, aut saltem in certâ serie intentionis. EST BONVM PER SE, verum vel apparens.

5. *Bonum per se est ens conueniens, ob intrinseca*

suam perfectionem appetibile. Tale est bonum honestum, & delectabile: non autem vtile. Quod quâ tale, est tantùm bonum per extrinsecam bonitatem finis: & propter eam tantùm amatur, licet aliàs intrinsecè bonum.

6. *Medium est quid vtile ad assequendum finem*, & bonum per se. Hoc medium ex naturâ suâ subordinatum fini, est bonum, vel malum; pro ratione finis boni, vel mali: secùs est, si medium sit merè arbitrarium.

7. *Finis cuius, est id, cuius gratiâ aliquid fit.* Siue, *est bonum per se, cuius obtinendi gratiâ eligitur medium.* Imò, *est id, cuius gratiâ omnia alia fiunt* Omnia inquam respectiuè: id est omnia media, subordinata assequendo fini, etiam non vltimo. Vel omnia absolutè, si definitio restringatur ad finem vltimum vltimatum.

8. *Finis obiectiuus, est bonum per se, quod est obiectum intentionis*: ad quod scilicet terminatur desiderium efficax finis, per media assequendi.

9. *Finis quo, est apprehensio boni per se.* Idem vocatur finis formalis.

10. *Finis formalis, est possessio finis obiectiui.* Siue, *apprehensio, quâ finis obiectiuus possidetur.* Sic Deus est hominis finis obiectiuus: beatifica visio Dei, est finis formalis.

11. *Finis cui, est suppositum, cui bonum per se appetitur*, tanquam quid ei conueniens. Talis est proximus, cui sanitas, sanctitas, & beatitudo desideratur. Imò finis *qui*, non vltimus appetitur gratiâ finis *cui*: & ad illum, tanquam finem refertur. Non vltimus inquam, nam vltimus non potest sic appeti præpostere, sine grauissimâ inordinatione. Quando autem ordinatè appetitur, & sub formalitate finis vltimi; tunc appetens, se, suam formalem beatitudinem, & omnia sua refert in illum.

12. *Finis propinquus, est is, qui ità intenditur, vt in executione, ad eum proximè deueniatur.*

13. *Finis remotus, est is, qui ità intenditur, vt in*

executione ad eum vltimò deueniatur.

14. *Finis non vltimus, est is, qui ità intenditur, vt in vlteriorem finem referatur*, ex intentione operantis.

15. *Finis vltimus est is, qui ità intenditur, vt in eo sistatur*; nec in vlteriorem finem referatur, ex intentione operantis: quamuis fortassè possit, & debeat referri.

16. *Finis respectiuè vltimus est is, qui ita intenditur, vt in certâ serie intentionis, vlterius non referatur.* Absolutè vltimus, siue

17. *Finis vltimatus est is, qui ità intenditur, vt vlteriùs non referatur*: quia est irreferibilis aliò. Siue, *est id, cuius gratiâ omnia fiunt.*

18. *Finis operis est obiectum intrinsecum, ad quod suapte naturâ terminatur opus.*

19. *Finis operantis est id, cuius gratiâ fit opus ab operante.* Est aliquid operi extrinsecum, ad quod assequendum, operans refert opus, tanquam medium.

20. Causalitas finis in actu primo, est vis causandi: & virtus, quâ bonum per se, siue finis, constituitur potens ad mouendum, & attrahendum appetitum. Et hæc virtus, est bonitas verè vel putatiuè competens rei, quæ denominatur finis. Causalitas finis in actu secundo, siue causatio est actualis motio metaphorica, quâ attrahit & mouet appetitum ad sui amorem. Conditio sine quâ non causat finis, est illius cognitio: nam ignoti nulla cupido: positâ autem cognitione finis, siue boni per se, sequitur illius attractio, motioque realis: quæ vocatur metaphorica, habito respectu ad causam efficientem, ad quam spectat motio propriè dicta.

Omnes creaturæ habent Deum pro fine vltimo: sed solæ rationales possunt illum perfectè assequi, & possidere, eoque beari.

De Beatitudine.

IVxta D. Augustinum l. 5. de ciuit. c. 1.

21. *Felicitas est omnium rerum expetendarum plenitudo.* In genere

22. *Beatitudo est summi boni possessio*, perfecta, vel imperfecta.

Hæc beatitudo potest diuidi in naturalem, & supernaturalem: in imperfectam, & perfectam: inchoatam, & consummatam: viæ & patriæ: obiectiuam & formalem: essentialem & accidentalem.

Iuxta Boëtium, à Theologis receptum, perfecta

23. *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* STATVS, vitæ conditio stabilis, permanens, & immobilis. OMNIVM BONORVM, expulsis omnibus malis, AGGREGATIONE PERFECTVS, hoc ipso, quo possidetur summum bonum, quod est omne bonum, Exodi 33. Beatitudo formalis dicitur status omnium bonorum aggregatione perfectus, causaliter: quia est causa cur beatus sit in statu, omnium bonorum aggregatione perfecto. Est etiam formaliter status, quia est omnium bonorum possessio, stabiliter & immutabiliter æternum perseuerans.

24. *Beatitudo naturalis est ea, quæ haberi potest viribus naturæ creatæ integræ.* Siue, *est status omnium bonorum naturalium aggregatione perfectus.* Bonorum autem naturalium nomine intelliguntur ea, quæ viribus naturæ creatæ haberi possunt; eique integræ quodam modo debita sunt. Cuiusmodi bona naturalia sunt, plenitudo scientiæ, assensus veri, affectus boni; subordinatio appetitûs sensitiui ad rationalem, rectitudo omnium potentiarum animæ, absentia omnis miseriæ. Hanc beatitudinem naturalem habuit angelus viator, & homo ante lapsum.

25. *Beatitudo supernaturalis est ea, quæ non potest haberi viribus naturæ creatæ*, etiam integræ

26. *Beatitudo supernaturalis inchoata, est gratia, virtutumque supernaturalium eximiarum aggregatio*; singulariter disponens ad assecutionem æternæ beatitudinis. Vocatur etiam beatitudo euangelica: de quâ n. 670.

27. *Beatitudo supernaturalis consummata est intuitiua visio beatifica, redundans in corpus gloriosum.*

28. *Beatitudo viæ est ea, quâ præditus viator, re-*

ctà tendit ad æternam beatitudinem.

29. *Beatitudo patriæ est cælestis visio beatifica.*

30. *Beatitudo obiectiua est Deus, vt summum bonum,* cuius possessione, plenè satiatur animus.

31. *Beatitudo formalis est possessio summi boni.*

32. *Beatitudo essentialis est visio fruitioque beatifica.*

33. *Beatitudo accidentalis est gaudium, essentiali accidens,* & accedens. ESSENTIALI, gaudio prouenienti ex visione beatificâ.

34. *Beatitudo imperfecta est aggregatio bonorum, non omnium.* Siue, *est status bonorum aggregatione dotatus, sed non plenè perfectus.*

35. *Beatitudo perfecta est status omnium bonorum aggregatione perfectus*: vti habetur n. 23.

36. *Beatitudo perfecta essentialiter, est solius animæ visio fruitioque beatifica.*

37. *Beatitudo perfecta completè, est rerum expetendarum plenitudo secundùm animam, & corpus.*

De Dotibus.

GEneraliter accepta

38. *Dos est perfectio corporis, aut animi:* naturalis, vel supernaturalis: corporalis; vel spiritualis. v. g. ingenij subtilitas, memoriæ viuacitas, pulchritudo, sanitas: gratia, virtutes infusæ, & acquisitæ, &c.

Specialiter accepta

39, *Dos est donum, sponsæ nubenti datum.* Beatitudinis

40. Dos *est ornatus animæ & corporis, in habitudine æternùm perseuerans.* Siue, *est supernaturale donum, animæ beatæ, Christo in æternum nubenti collatum.* Est duplex: animæ, & corporis.

41. *Dos animæ est supernaturale donum, collatum animæ beatæ, tanquam Christi sponsæ.*

42. *Dos corporis est supernaturalis qualitas, ab animâ beatâ dimanans in corpus vnitum;* ad illius perpetuam gloriam, & quandam spiritualitatem. DIMANANS ab animâ, vt causâ meritoriâ; & probabiliter effici-

ente secundariâ. IN CORPVS VNITVM, vt illud reddatur gloriosum: & iuxta Apostolum 1. Cor. 15. quadantenùs spiritale, & cœleste: id est, perfectè subiectum animæ in operationibus spiritualibus; impassibile, subtile, agile, clarum.

43. Anima beata habet vnam totalem dotem exurgentem ex tribus partialibus: quæ respondent tribus virtutibus theologicis; suntquæ visio respondens fidei, comprehensio spei, fruitio charitati.

44. Corpus beatum habet quatuor dotes gloriosas, impassibilitatem, subtilitatem, agilitatem, claritatem; comprehensas nomine *Isac*, & his versiculis:
Clari, subtiles, agiles, impassibilesque,
Omnes quadruplici pollebunt dote beati.
Eædem dotes significantur ab Apostolo 1. Cor. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione*, impassibilitate. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloriâ*, claritate. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*, agilitate. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, subtile.

45. *Impassibilitas est qualitas supernaturalis, dimanans ab animâ beata, & inhærens corpori glorioso, excludens ab eo omnem passionem corruptiuam*; non autem perfectiuam. Iuxta illud Apostoli, 1. Cor 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem*. Hæc autem

46. *Passio corruptiua est recepcio formæ disconuenientis, cum abiectione conuenientis.*

47. *Passio perfectiua est receptio formæ conuenientis absque abiectione alicuius perfectionis.*

48. *Sublitas est qualitas supernaturalis, dimanans ab animâ beatâ in corpus gloriosum, reddensque illud alterius corporis penetratiuum*, & cum eo coëxistens eidem loco. Per hanc dotem corpus gloriosum, pro libitu animæ, deponit retinetque quantitatis suæ modum, loci repletiuum, & aliorum corporum exclusiuum. Per eandem, Christi corpus resurrexit clauso sepulchro, ostia clausa, cælosque penetrauit.

49. *Agilitas est qualitas supernaturalis, dimanans*

ab animâ beatâ, in corpus gloriosum, reddensque illud imperceptibili tempore celerrimè mobile, in omnem positionum differentiam. Iuxta illud Sapientiæ 3. *Sicut scintilla in arundineto discurrent*: & Isaiæ 40. *Assument pennas sicut aquilæ, volabunt*, &c. IMPERCEPTIBILI TEMPORE, non tamen in instanti: aliàs deberet corpus motum, eodem instanti esse in termino à quo, ad quem, & in omnibus locis intermedijs. Potest quidem Deus sic replicare corpus; sed tunc immotum ibidem consisteret, absque motu. Quia *Motus localis est coëxistentia rei successiua, & continua diuersis locis, sine quiete media.*

50. *Claritas est qualitas supernaturalis, dimanans ab animâ beatâ in corpus gloriosum. reddensque illud luminosum*, & diaphanum, simile vitro mundo, & ad instar densæ crystalli: per quam videatur mirabilis harmonia interiorum corporis. Per hanc dotem *fulgebunt iusti, sicut sol*, Matth. 13. Christo reformante *corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Philip. 3. Claritas ista particulariter afficiet beatorum facies, cicatrices, & membra passa pro Deo.

De anima, Eiusque potentijs, & sensibus.

51. A*Nima est actus primus, perfectioque prima corporis naturalis, potentiâ vitam habentis: & talis planè, vt partes eius sint instrumenta.* EST ACTVS PRIMVS, forma substantialis, dans esse præcipuum & primarium composito. PERFECTIOQVE PRIMA, independens ab alijs, quæ è diuerso dependent ab eâ, CORPORIS NATVRALIS, materiæ præditæ tribus dimensionibus, longitudine, latitudine, profunditate. POTENTIA VITAM HABENTIS, potentiâ propinqua potentis exercere operationem vitalem. ET TALIS, &c. Corporis habentis partes integrales, non homogeneas, similes in complexione & figura: sed heterogeneas & instrumentales, habentes diuersam complexionem qualitatum, diuersum situm, figuram, & functionem. Itaque breuiter,

52. *Anima est forma corporis organici, potentiâ vitam habentis.* Siue, *Anima est id, quo viuimus, sentimus, & intelligimus primò*, Id est, principium intrinsecum, quo viuens vegetatur, sentit & intelligit tanquam causâ effectiua principali. Vegetatur tantùm, anima vegetatiuâ: vegetatur, & sentit, animâ sensitiuâ: vegetatur, sentit, & intelligit, animâ rationali.

53. *Anima rationalis est actus primus corporis organici, potentiâ vitam vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam habentis.* Id est, forma corporis humani, quâ tanquam principio intrinseco principali, viuens vegetatur, sentit, & intelligit.

54. *Anima pars superior est anima rationalis, quà talis.*

55. *Anima pars inferior est anima rationalis, quà vegetatiua, & sensitiua.*

56. *Anima potentia est naturalis facultas agendi, vel patiendi.* Siue, *est principium primum actionis, vel passionis, ad quam natura sua institutum est.* PRINCIPIVM PRIMVM accidentarium, non supponens aliud accidentarium prius, tanquam concausam influentem: supponens tamen aliud substantiale, nempe ipsum suppositum, præditum potentiâ: quâ mediante agit, vel patitur. ACTIONIS, VEL PASSIONIS, quoad substantiam eius, non solùm quoad modum, quo benè, vel malè fit: quomodo habitus influit in actionem, illamque afficit. Item

57. *Potentia naturalis est qualitas, à naturâ insita, qua subiectum redditur potens ad aliquid faciendum, vel suscipiendum.* Qualitas, inquam, secundæ speciei. Est autem duplex potentia naturalis, actiua & passiua.

58. *Potentia actiua est principium proximum actionis.*

59. *Potentia passiua est principium proximum passionis*, siue receptionis formæ. Eadem potentia naturalis potest esse actiua, & passiua. Sic voluntas amans, quatenûs producit amorem, est potentia actiua: quatenùs eundem amorem sibi immanentem recipit, est passiua.

60. *Sensus est potentia naturalis organica, quâ animal fit potens ad res cognoscendas, mediantibus speciebus sensibilibus.*

61. *Sensus internus est ille, cuius organum in animali est interiùs latens.* Siue, *est ille, in quem obiecta externa non agunt immediatè*, per suas species; sed tantùm mediatè.

62. *Sensus externus est ille, cuius organum in animali, est exteriùs & visibiliter patens.* Siue, *est ille, in quem obiecta externa agunt immediatè per suas species.*

63. Sunt quinque sensus externi, & probabiliter totidem interni, scilicet sensus communis, phantasia, imaginatiua, æstimatiua, & memoratiua sensitiua. Sed quia probabilius est phantasiam, & imaginatiuam, esse eandem potentiam; ideo sunto tantùm quatuor.

De appetitu, & instinctu.

64. *Appetitus est cuiusque rei inclinatio ad prosequendum bonum, & fugiendum malum.* INCLINATIO habitualis: & tunc est ipsa potentia appetitiua: vel actualis, & tunc est potentiæ appetitiuæ actus. Appetitus actu conuersiuo fertur in sibi conueniens: auersiuo resilit à disconueniente.
Appetitus est triplex: naturalis, sensitiuus, & rationalis.

65. *Appetitus naturalis est cuiusque rei inclinatio in id, quod est naturæ suæ conueniens, absque propriâ cognitione.* NATVRALIS, quia ab authore naturæ est rebus omnibus, cum naturâ impressus. Aliquatenùs distinguitur ab instinctu naturali: quia hic instinctus est tantum actualis, estque vehemens, impressus rebus sensibilibus tantùm: appetitus autem naturalis est etiam habitualis, rebusque omnibus impressus, nec dicit semper vehementiam.

66. *Instinctus est actualis vehemens inclinatio, rebus sensibilibus impressa, ad agendum aliquid, vel non agendum.* Generalis, &

67. *Naturalis instinctus est actualis vehemens motio, à naturâ impressa rebus sensibilibus; ad prosequendum sibi*

bi conueniens, sine propria cognitione. A NATVRA, id est, ab authore naturæ, dirigente omnia creata in finem suum. Vnde dicitur, quòd opus naturæ, est opus intelligentiæ.

Instinctus particularis est triplex: diuinus, angelicus, & diabolicus. Duo primi semper sunt ad bonum, tertius semper ad malum.

68. *Instinctus diuinus est actualis vehemens motio, qua creatura intellectualis, à* Deo *mouetur ad bonum salutare.* Est synonima inspirationi diuinæ. Nam

69. *Inspiratio diuina est actualis vehemens incitatio, qua quis à Deo instigatur ad boni salutaris volitionem, & executionem.* Spectat ad gratiam præuenientem.

70. *Instinctus angelicus est actualis vehemens motio, quâ quis ab Angelo bono instigatur ad bonum salutare.*

71. *Instinctus diabolicus est actualis vehemens motio, quâ quis à dæmone instigatur ad malum.*

72. *Appetitus sensitiuus, siue animalis, est potentia animæ prosequens bonum sensibile, iuxta apprehensionem imaginationis.* ANIMÆ vegeto-sensitiuæ. SENSIBILE, bonum sensibus commodum & conueniens. PROSEQVENS: & consequenter fugiens malum sensibile dolorosum. IMAGINATIONIS reseruantis species, acceptas à sensibus externis. Huic appetitui sensitiuo synonima est sensualitas: nam

73. *Sensualitas est naturalis facultas animæ, inclinans ad boni sensibilis appetitionem.* Aliàs accipitur pro appetitûs sensitiui corruptione: & hoc modo accepta

74. *Sensualitas est inordinata pronitas appetitûs sensitiui, in bonum sensibile, difforme rectæ rationi.* PRONITAS, actualis, & habitualis: in actu primo, & secundo.

Appetitus sensitiuus est duplex: concupiscibilis, & irascibilis.

75. *Appetitus concupiscibilis est potentia animæ, prosequens bonum sensibile, delectabile, iuxta apprehensionem imaginationis.* SENSIBILE DELECTABILE, quid conueniens sensibus, iisque adferens quietem, voluptatem, & complacentiam.

87. *Paßio est appetitus sensitiui motio, immediatè efficiens extraordinariam corporis transmutationem.* PASSIO, sic dicta, quia ab eâ patitur corpus extraordinariã sui alteratione. EST MOTIO deliberata, vel indeliberata, conformis, vel difformis rectæ rationi; vel indifferens in ordine ad illam. TRANSMVTATIONEM, extraordinariam corporis alterationem, eidem conuenientem, vel disconuenientem: v. g. cordis dilatationem, aut constrictionem: feruorem, aut frigus, tremorem, pallorem, ruborem, &c. Nam cor feruet irâ, friget timore; dilatatur lætitiâ, constringitur tristitiâ: facies rubet pudore, pallet metu &c.

88. *Affectio est appetitus rationalis motio, absque immediatâ transmutatione corporali.* Immediatâ inquam, nam voluntas motione suâ potest esse mediata causa transmutationis corporalis: scilicet per suum imperium, & redundantiam in appetitum sensitiuum: qui motione suâ immediatè transmutat corpus.

De Voluntatis actibus varijs.

89. INter actus voluntatis primus est amor simplex, siue voluntas actus: deinde desiderium, spes &c. Potest autem actûs humani molimen, & progressus explicari hoc ordine: primò voluntas simplici volitione, & amore inefficaci afficitur bono per se 2. illud absens desiderat, & anhelat. 3. Si sit arduum, sperat illud adipisci, 4. intendit illud efficaciter obtinere per media, 5. imperio voluntatis, intellectus deliberat de medijs conducentibus ad bonum per se, finemque assequendum; eorum proportionem æstimando, & ponderando, 6. factâ deliberatione, intellectus assentitur, fertque iudicium resoluens hoc medium esse vtilius reliquis, vel plura esse æquè vtilia. Imò per iudicium suum vltimò practicum, determinat voluntatem, præscribens illi Hic, & nunc faciendum hoc 7. intellectus per sententiam intimat voluntati iudicium suum 8. volun-

tas consentit intellectui, concordatque cum eo & acceptat sibi propositum. 9. voluntas efficaciter eligit certum medium, ad bonum per se, finemque assequendum. 10. voluntas imperat sibi, alijsque potentijs, applicando eas ad vsum. 11. bono adepto, voluntas eo delectatur, & fruitur.

90. *Amor est boni per se, simplex affectus.* Siue, *est appetitûs mera complacentia in bono per se.* APPETITVS, tam sensitiui quàm rationalis: quo modo etiam accipitur appetitus in definitionibus sequentibus. MERA COMPLACENTIA, & simplex affectus boni; inefficax, & absque resolutione illius assequendi. BONI, per se. Hic amor simplex, est synonimus voluntati actui: quæ

91. *Voluntas est potentiæ voluntatis primus actus, quo inefficaciter afficitur bono per se.* Quo modo potentiæ intellectiuæ primus actus, versans circa primò-vera, vocatur intellectus principiorum.

92. *Desiderium est actus appetitus: tendentis in bonum absens: ad illud aspirando, & anhelando.*

93. *Desiderium inefficax est actus appetitus, aspirantis ad bonum absens, cum merâ velleitate:* absque resolutione eligendi medij, ad bonum assequendum. Et hæc.

94. *Velleitas est affectus, effectu destitutus*, seposito impedimento. Item, *Desiderium inefficax est absentis boni affectus, quo posito, non sequitur effectus*, secluso impedimento.

95. *Desiderium efficax est actus appetitus, intendentis finem, per electionem mediorum*, ad assecutionem illius ordinatorum. Siue, *est absentis boni affectus, quo posito sequitur effectus*, secluso impedimento.

96. *Spes est actus appetitus, tendentis in bonum absens arduum, cum fiduciâ illius obtinendi.* APPETITVS, tam sensitiui irascibilis, quàm rationalis.

97. *Desperatio est actus appetitus diffidentis fugientisque assecutionem boni ardui absentis*, tanquam impossibilis adeptu, aut nimis difficilis: & consequenter apprehensi sub ratione incommodi, & mali.

98. *Intentio est desiderium efficax finis, per media assequendi.* Siue, *est actus appetitus, tendentis & aspirantis ab obtinendum bonum per se: cum resolutione impendendi media, ad hoc ordinata.* Hæc intentio finis, est causa electionis mediorum: & bona intentio, est causa bonæ electionis. Secùs est de intentione boni finis, quæ potest esse causa malæ electionis. Quo casu est boni finis mala intentio: vtpote includens respectum ad indebita media: per quæ (tanquam per circumstantiam *Quibus auxilijs*) finis bonus assequendus desideratur.

99. *Medium est quid conducens ad assecutionem finis.* Siue, *est bonum vtile ad assequendum bonum per se.*

100. *Deliberatio est actus intellectus, inquirentis & ponderantis media, eorumque proportionem ad finem.* Aliter vocatur *Consilium*, seu *Consultatio*; estque de mediis eligendis.

101. *Assensus est actus intellectûs, adhærentis vero*; saltem æstimato tali. In hoc molimine actûs humani,

102. *Iudicium est actus intellectûs, decernentis medium certum esse assequendo fini aptius, aut plura æqualia.* Hoc iudicium sequitur præuiam deliberationem.

103. *Sententia est intellectûs acceptatio alterius partis contradictionis*: quæ in deliberatione versabatur. Est conclusio præconsiliati.

104. *Iudicium vltimò practicum est intellectûs dictamen, intimans voluntati particulare quid esse agendum*, hic & nunc: dicendo *fac hoc: ne facias*. DICTAMEN, non despoticum: nam potest voluntas imperare intellectui, vt amisso priore suo iudicio, formet aliud.

105. *Consensus est actus voluntatis, cum intellectu idem sentientis.* Siue, *est acceptatio complacentiaque voluntatis in eo, quod ab intellectu proponitur.*

106. *Electio est actus voluntatis, acceptantis medium, propter finem assequendum.* Acceptantis inquam vnum præ alio: aut vnum propter aliud, id est bonum vtile, propter bonum per se. Nam

107. *Eligere est vnum propter aliud appetere.* Electio supponit præuiam intellectûs consultationem: ideo-

que Arist. Ethicorum. 3. dicit quod *electio est appetitus praeconsiliati.*

108. *Imperium est actus voluntatis, se aliasque potentias mouentis ad agendum.* SE ad amandum, sperandum, &c. Intellectum ad deliberandum, auditum ad auscultandum, &c. Actiuus

109. *Vsus est actus voluntatis, se aliasue potentias actualiter applicantis ad executionem mediorum, pro fine consequendo.*

110. *Delectatio est appetitus quies; & complacentia in bono possessio*, fineque adepto. QVIES vitalis. Fruitio generaliter accepta identificatur delectationi: strictiori autem modo accepta

111. *Fruitio est appetitus quies in fine vltimo adepto.* Siue, *complacentia in bono summo possesso.* VLTIMO vltimato, non ordinato in finem vlteriorem.

112. *Gaudium est appetitus complacentia in bono adepto*: saltem sic apprehenso. Gaudio synonima est lætitia: illud tamen potiùs spectat ad appetitum rationalem, ista ad sensitiuum concupiscibilem: delectatio ad vtrumque.

113. *Iubilum est animi gaudium ineffabile*: quod ore, signisque externis aliquatenùs exprimitur, sed non sufficienter. Siue, *est gaudium immensum, quod animo non potest contineri, nec ore sat exprimi.*

114. *Odium est actus appetitus, disconuenient auersantis*, absens præsensue, verum vel apprehensum. Aliàs iuxta Ciceronem, & Augustinum, *Odium est ira inueterata*: sed tunc restringitur ad odium inimicitiæ: quod

115. *Odium inimicitia est actus voluntatis, personam auersantis, malumque optantis, vt ei malè sit.*

116. *Odium abominationis est actus appetitus, detestantis aliquid, tamquam malum proprium, vel amati.*

117. *Fuga est actus appetitus, malum absens auersantis, & ab eo resilientis.*

118. *Abominatio est actus appetitus, malum absens auersantis, arcentisque*, ne appropinquet, & præsens fiat. Est actus desiderio oppositus.

119. *Zelus est feruens amor, satagens amoliri aduersantia amato, amorisue ipsius reciproco.* Potest esse ordinatus, & bonus: item, inordinatus, & malus. Nam Zelus Dei, & domûs ipsius comedit Christum, satagentem tollere omnia aduersantia Deo, & honori ipsius. Apostolus etiam æmulatus fuit fideles, Dei æmulatione. Imò ipse Deus est Zelotes, valdè nos amans, & vicissim volens à nobis amari ex toto corde; ita vt ipse solus sit obiectum formale nostræ dilectionis. Zelus excessu vitiatus degenerat in Zelotypiam: nam

120. *Zelotypia est amor inordinatus, impatiens consortis*: quo amans vult à personâ amatâ solus redamari: nec riualem patitur, suspicionum plenus.

121. *Tristitia est actus appetitûs rationalis, malum præsens auersantis, & sub eo succumbentis.* Siue, *est affectio voluntatis, consequens apprehensionem obiecti disconuenientis præsentis.* ABIECTIO, displicentia & inquietudo voluntatis. APPREHENSIONEM rationis, siue intellectûs.

122. *Dolor est actus appetitus sensitiui, malum sensibile præsens auersantis, & sub eo fatiscentis.* SENSIBILE, sensu externo perceptibile, & læsiuum corporis. Siue, *Dolor est passio appetitûs sensitiui, consequens apprehensionem obiecti disconuenientis præsentis.* APPREHENSIONEM imaginationis. Hic rigor loquendi sæpè confunditur: & accipiuntur vt synonima, dolor, & tristitia: & ille transfertur, ad appetitum rationalem, hæc ad sensitiuum.

123. *Audacia est actus appetitus irascibilis, fidenter aggredientis malum arduum imminens, cum persuasione illius superandi.*

124. *Ira est appetitus vindictæ.* Siue, *est appetitus exacerbatio, & ad vindictam concitatio.* APPETITVS, rationalis, & sensitiui irascibilis. EXACERBATIO, & vlciscendi libido, orta ex perturbatione vaporationeque fellis, & secuto feruore sanguinis circa cor. VINDICTAM, repensionem mali pœnæ, pro malo culpæ, vero vel imaginario. Iuxta Ciceronem, Ita

est libido puniendi eius, qui videatur læsisse iniuriâ. Metus, siue

125. *Timor est actus appetitus, malum arduum imminens auersantis.* ACTVS, anxietas & inquietudo. APPETITVS rationalis, & sensitiui irascibilis. MALVM absens, apprehensum vt imminens, & difficile euitatu. infra 178.

De libertate, & arbitrio libero.

126. POtentiarum animæ sola voluntas est libera formaliter, per inhærentem sibi libertatem, tanquam formam intrinsecam. Aliæ potentiæ habent libertatem participatam à voluntate, cuius imperio subsunt: non tamen perfectè appetitus sensitiuus: nullatenùs autem tres potentiæ animæ vegetatiuæ, scilicet nutritiua, augmentatiua, generatiua. Intellectus verò dicitur liber, & habere libertatem originaliter, & radicaliter: quia est dux cæcæ voluntatis, ei proponens obiectum appetendum, vel fugiendum: & sic concurrens ad liberos actus voluntatis, tanquam conditio sine quâ non posset exercere libertatem suam.

127. *Potentia libera est voluntas prædita libertate* essentiali, vel accidentali: vocaturque liberum arbitrium: maximè quatenùs eadem voluntas est electiua mediorum, ad finem assequendum secundùm D. Thomam: qui ideo p. 1. q. 83. a. 4. & alibi, liberum arbitrium vocat vim electiuam. Naturalis, &

128. *Essentialis libertas est perfecta suique potens spontaneitas.* Siue, *est voluntatis facultas se mouendi duce ratione.* Secundùm D. Prosperum libro contra Collatorem,

129. *Liberum arbitrium est rei sibi placita spontaneus appetitus.* SPONTANEVS APPETITVS perfectus, quo voluntas sponte propriâ seipsam duce ratione mouet: & non ab extrinseco violentè cogitur; neque ab intrinseco, effreni impetu præcipitatur: vti fit in motibus brutorum, quin & hominum motibus primò-primis, deliberationem præuenientibus, voluntatique

repugnantibus. De quibus Apoſtolus Rom. 7. Voluntatis, liberique arbitrij libertas accidentalis, eſt duplex; vna contrarietatis, quoad ſpecificationem: altera contradictionis, quoad exercitium. Quoad ſpecificationem

130. *Libertas contrarietatis eſt voluntatis facultas, quâ poteſt circa idem obiectum exercere actum huius, aut contrariæ ſpeciei.* v.g. amare, odiſſe, &c. Quoad exercitium,

131. *Libertas contradictionis eſt voluntatis facultas, quâ poteſt agere, & non agere.* Siue, *eſt voluntatis indeterminatio, quâ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, & non agere.* Conſequenter hac contradictionis libertate præditum

132. *Liberum arbitrium eſt potentia actiua, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere, & non agere.* POTENTIA, nam liberum arbitrium non eſt actus; cùm ſeclusâ operatione, maneat in agente libero. Non eſt etiam habitus, quia ille tanquam principium agendi, determinat potentiam ad certum actum, & nullatenùs ad oppoſitum: è diuerſo liberum arbitrium ſignificat indeterminationem, & indifferentiam ad actus diuerſorum, imò contrariorum habituum. ACTIVA, quia libertas non poteſt eſſe potentiæ paſſiuæ, vt paſſiua eſt: cùm non ſit in poteſtate illius, vt talis, non recipere, quod ei communicatur. Hæc autem potentia actiua, eſt ipſa voluntas: vnde Concilia & Patres vocant *liberum voluntatis arbitrium*. POSITIS OMNIBVS AD AGENDVM: quia indeterminatio quæ in potentiâ, vel ſuppoſito reperitur, antequam habeat omnia neceſſaria ad agendum; illa inquam indeterminatio, eſt inſufficientia ad agendum, non libertas. PRÆREQVISITIS, quorum vnum eſt iudicium vltimò practicum. Prærequiſitis inquam ex parte potentiæ actiuæ, non autem ſimpliciter requiſitis: quia ſunt quædam requiſita ad actionem, illam neceſſariò concomitantia, ipſique intrinſeca v. g. influxus & emanatio, quâ quid procedit ab agente: quibus poſitis, neceſſariò ponitur actio. POTEST

AGERE, ET NON AGERE: quia de ratione libertatis contradictionis est, quòd possit agere, & actum suspendere. Non quòd cum solis iisdem ad agendum prærequisitis, possit non agere, nullo alio posito: sed ad non agendum prærequiritur mutatio iudicij vltimò practici: & loco primi, dictantis *Fac hoc*, substituendum est secundum contradictorium, *Ne feceris hoc*. Cuiusmodi iudicium potest voluntas imperare intellectui, etiam in procinctu agendi, & in ipso molimine actionis: eoque iudicio posito, potest voluntas suspendere actionem.

133. Per peccatum Adami, liberum arbitrium minimè fuit extinctum; fuit tamen viribus attenuatum & inclinatum: ipseque secundùm corpus, & animam, fuit in deterius commutatus; totaque natura humana fuit corrupta, & vitiata: vti constat ex Conciliis Arausicano 2. can. 1. 2. 13. 25. & Tridentino sess. 5. can. 1. & 2. item sess. 6. de iustificatione, cap. 1. & can. 5. *Viribus*, inquam, *attenuatum* destitutumque, quas ei sufficiebat iustitia originalis: *& inclinatum*, propensumque in vitia, & præceps ad peccata. Adamus enim peccans (& in eo genus humanum) fuit spoliatus donis supernaturalibus, & grauiter vulneratus in naturalibus: vti Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Beda, aliique Patres, & Scripturæ interpretes ajunt, explicantes parabolum Lucæ 10. Verum quidem est, quòd post lapsum, naturalia eatenùs manserunt integra in homine; quia nulla eius pars essentialis, aut integralis, aut potentia naturalis operatiove sublata fuit: interim reuerâ fuerunt vulnerata naturalia, quia subuersa fuit tota naturalis harmonia partium inferiorum ad superiores: & subiectio appetitûs sensitiui, ad rationalem; quam exigebat natura humana non tantùm iustitiâ originali

134. prædita; sed & natura integra. * Fuerunt inquam vulnerata, & quidem quatuor vulneribus notabilioribus: quorum primum est, in intellectu *ignorantia*, priuatioque scientiæ rerum necessariarum: difficultas in assequendâ veritate: inconsideratio,

pronitas ad falsitates, & errores. Secundum est, in voluntate *malitia*, pronitasque malè agendi scienter contra dictamen rectæ rationis. Tertium, in appetitu sensitiuo concupiscibili est *concupiscentia*, propensioque habitualis & actualis ad bona sensibilia, difformia rationi, legique æternæ. Quartum est in irascibili *infirmitas*, id est, ignauia, & defectus fortitudinis in bono arduo prosequendo, maloque superando.

135. *Agens liberum est suppositum præditum libertate.*

De actu, humano, voluntario, libero, spontaneo, &c.

136. *Actus est operatio suppositi, mediante potentiâ*, habituque, vt plurimum in operatione naturali, semper in supernaturali, nisi actuale auxilium diuinum suppleat vicem habitûs: vti fit in actu fidei, spei, & charitatis, ante illorum habituum infusionem.

Actus voluntatis est duplex: velle & nolle, siue volitio & nolitio.

137. *Volitio est actus voluntatis, acceptantis aliquid vt conueniens.*

138. *Nolitio est actus voluntatis, fugientis aliquid vt disconueniens.*

139. *Actus humanus est actus voluntarius, vel emissio eius.* Siue, *est actus procedens ab hominis voluntate deliberatâ*. VOLVNTATE, tanquam principio proximè eliciente, vel imperante. DELIBERATA, præuio rationis iudicio directâ. Hic actus humanus, est moraliter bonus, quando procedit ex solo dictamine rectæ rationis, & concursu Dei generali. Est salutaris, quando procedit à peccatore pœnitente, ex speciali auxilio Dei mouentis. Est de condigno meritorius, quando procedit à iusto, ex motiuo supernaturali, & speciali auxilio Dei inhabitantis.

140. *Actus voluntarius est is, cuius principium est intrinsecum, cum cognitione finis.* Est duplex, elicitus & imperatus.

141. *Actus voluntatis elicitus est is, qui immediatè procedit à voluntate, tanquam principio actiuo.* v. g. amor, spes, &c.

142. *Actus voluntatis imperatus est is, qui immediatè producitur à potentiâ, motâ ad agendum imperio voluntatis.* A POTENTIA, ipsâ scilicet voluntate, sibimet imperante: & tunc est voluntatis actus imperatus & elicitus: vel aliâ potentiâ & tunc est voluntatis actus imperatus tantùm; elicitus autem ab aliâ potentiâ.

143. *Actus immanens est is, qui ab agente ita emanat, vt eidem immaneat subiectiuè.* v. g. volitio, intellectio.

144. *Actus transiens est is, qui ab agente ita emanat, vt transeat in effectum, exterioremue materiam.* v. g. ædificatio, quâ producitur domus: calefactio, quâ calor exit ab igne, & transit in aquam.

145. *Actus liber est is, qui procedit à potentiâ liberâ, vt tali.* LIBERA, libertate essentiali, vel contrarietatis, vel contradictionis.

146. *Actus spontaneus est is, cuius principium est ab intrinseco, ex inclinatione agentis, particularia cognoscentis*, obiectum, scilicet & circumstantias actus.

147. *Spontaneum est id, cuius principium est ab intrinseco, ex inclinatione agentis, cum cognitione finis* Vt hoc spontaneum sit perfectum, debet esse expeditum à coactione intrinsecâ, & extrinsecâ. Nam

148. *Spontaneitas perfecta est voluntatis facultas agendi, immunis à coactione extrinsecâ, & intrinsecâ*

149. *Coactio extrinseca est externa violentia, renitenti illata.* Hæc est propriè dicta coactio. Datur alia impropriè dicta coactio intrinseca: & hæc

150. *Coactio intrinseca est effrenis naturæ impetus, præcipitans voluntatem in actus indeliberatos.* EFFRÆNIS NATVRÆ IMPETVS, vehemens & inordinatus appetitûs naturalis, & sensitiui motus; excusso fræno rationis, & imperio voluntatis, eam PRÆCIPITANS, & absque consideratione, secum abripiens IN ACTVS INDELIBERATOS, & motus primò primos, præuenientes omnem omninò deliberationem. Hæc

est impropriè dicta coactio, & violentia: nam id censetur coactum & violentum, quod fit contra inclinationem voluntatis, tanquam vniuersalis appetitûs hominis: licet sit secundùm inclinationem intrinseci appetitûs naturalis, & sensitiui, aliarumue potentiarum. Sic voluntarius ascensus sursùm, non est coactus, nec violentus; licet sit contra hominis grauitatem intrinsecam: & inuoluntaria præcipitatio deorsùm, est coacta & violenta; licet sit ab intrinsecâ grauitate. Itidem homini intrinsecæ concupiscentiæ motus, contra actualem inclinationem voluntatis possunt dici coacti, & violenti: innuente idipsum Apostolo Rom. 7. dùm ait: *Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum-----Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.*

De Voluntario.

151. ***Voluntarium est id, cuius principium est intrinsecum, cum cognitione finis.*** VOLVNTARIVM generaliter sumptum, & sic dictum à voluntate lato modo accepta, comprehendente appetitum non tantùm rationalem; sed & sensitiuum, & naturalem. EST ID, actio, passio, vel omissio. CVIVS PRINCIPIVM productiuum *est* agenti *intrinsecum*: scilicet ipsa voluntas, generaliter sumpta. CVM COGNITIONE FINIS, perfectâ vel imperfectâ. Vnde est duplex voluntarium, perfectum & imperfectum: quod secundum reperitur etiam in brutis, voluntate rationali destitutis; sed præditis sensitiuâ ac naturali, identicâ appetitui sensitiuo ac naturali.

152. ***Voluntarium perfectum est illud, quod habet deliberationem cognitionemque finis perfectam.***

153. ***Voluntarium imperfectum est illud, quod habet deliberationem cognitionemque finis imperfectam.***

154. ***Deliberatio perfecta est actus rationis, plenè discernentis inter bonum, & malum; verum & falsum.***

Perfecta inquam & plena: nam semiplena, est imperfecta.

155. *Cognitio finis est actus intellectus, vel imaginationis, quo cognoscitur bonum per se*, & propter se appetibile.

156. *Perfecta cognitio finis est cognitio boni, sub ratione finis*, id est, boni per se, assequendi mediis, ad hoc proportionatis. Itaque perfecta cognitio finis, inuoluit tria: 1. cognitionem boni per se: 2. cognitionem habitudinis illius ad media: 3. cognitionem proportionis mediorum ad illud assequendum.

157. *Imperfecta cognitio finis est notitia rei, quæ est finis: sed non sub ratione finis*, id est, cognitio boni per se, sed non cum habitudine illius ad media; mediorumque ad illud assequendum.

158. *Voluntarium directum est quid expressè à voluntate elicitum, vel imperatum*. Siue, *est quid, in se expressè volitum, vt quo, vel quid.* Eiusmodi est ipsum velle, & nolle: & quodcumque obiectum volitum & nolitum, per voluntatis actum elicitum, vel imperatum.

159. *Voluntarium indirectum est quid, in alio volitum, non expressè in se.* In ALIO, in quo continetur, vel ex quo sequitur. Primo modo est indirectè voluntarium sacrilegium furanti calicem consecratum: item voluntarius incestus ei qui concupiscit feminam, sciens eam sibi consanguineam, &c Secundo modo est voluntarium homicidium, commissum ab ebrio, sciente se esse rixosum in ebrietate, pronumque ad verbera, & cædes. Item homicidium commissum à duellantibus, quos quis poterat, & debebat impedire, &c.

160. Vt omissio sit voluntaria directè, vel indirectè, requiritur primò intellectûs aduertentia, saltem virtualis: 2. quòd voluntas possit agere: 3. quod omittat agere. Vt autem eadem omissio sit peccaminosa, requiritur 4. quòd voluntas debeat agere. Similiter ex eiusmodi omissione secutus effectus, tunc demum dicitur voluntarius, quando omittens impedire, tenetur ad impediendum illum: aliàs effectus dicetur

tantùm permissus, & non voluntarius. Sic omissio impediendi peccata, est Deo voluntaria: nullatenus autem sunt voluntaria peccata, ex illâ omissione secuta.

161. *Inuoluntarium negatiuè est quid non volitum.* Sic est mihi inuoluntarium fratricidium Cain, Ægysthi adulterium. Troianum incendium.

162. *Inuoluntarium positiuè est quid nolitum, & displicens voluntati.* Hoc est duplex, directum & indirectum.

163. *Inuoluntarium directum est quid, expresso actu voluntatis auersiuo reiectum.* Sic Iosepho, & Susannæ fuit inuoluntarium adulterium.

164. *Inuoluntarium indirectum est quid nolitum, non expreßè in se; sed implicitè in alio*, in quo continetur, aut vnde sequitur. Sic primo modo est inuoluntarium matrimonium, contrahenti illud, & nolenti consentire. Secundo modo est inuoluntaria salus, nolenti obseruare mandata diuina.

165. *Inuoluntarium simpliciter est quid absolutè repudiatum à voluntate, omnibus consideratis.* Eiusmodi est adulterium, vt illatum coniugatæ renitenti illecebris, promissis, & minis.

166. *Inuoluntarium secundùm quid, est id, quod voluntas repudiat in se consideratum; acceptat circumstantijs vestitum.* Eiusmodi est proiectio mercium, facta à mercatore, metu naufragij: quæ in se considerata displicet: quatenùs autem est euasiua naufragij, & saluatiua vitæ propriæ, placet.

De violento, coacto, necessario.

167. *Violentum est id, cuius principium est ab extrinseco, nullam conferente vim passo.* NVLLAM CONFERENTE VIM, non merè negatiuè (aliàs illuminatio aëris, & iustificatio paruulorum foret violenta) sed quasi contrariè: id est, passo renitente in contrarium, actualiter, aut virtualiter.

168. Itaque, *Violentum est actio, vel passio, cuius principium est ab extrinseco, in contrarium renitente passo*, per intrinsecam inclinationem, & contrarium appetitum innatum, aut elicitum.

169. *Violentia est motio, cuius principium est ab extrinseco, in contrarium renitente passo.* Si passum renitatur pro viribus, erit violentia absoluta, causans inuoluntarium simpliciter: sin minùs, erit tantùm violentia secundùm quid; relinquens voluntarium morale, & indirectum. Quale reperitur in violentâ constupratione feminæ, non modò illius, quæ vi adacta, positiuè componit se ad perpessionem alienæ libidinis: sed & illius, quæ interiùs sufficienter renititur; sed non exteriùs, quantum potest, & debet, clamando, repugnando, &c. vbi abest vitæ periculum. Quod si subesset, & abesset periculum consensûs; tunc non deberet exteriùs reniti. Quo casu, foret ei voluntaria omissio externi renisûs: sed non voluntarius effectus, inde secutus: ob causam. n. 160, datam: quia scilicet eiusmodi effectum non tenetur impedire, cum periculo vitæ.

170. Violentum & violentia latiùs patet coacto & coactione: quia illa inferuntur etiam insensibilibus: hæc propriè tantùm præditis cognitione. Vnde

171. *Coactum est id, cuius principium est ab extrinseco, renitente in contrarium passo, cognitione prædito.* Coacto synonimum est inuitum.

172. *Coactio est vis externa, illata cognitione prædito, renitenti.* Voluntario opponitur inuoluntarium, & violentum; spontaneo coactum, libero necessarium.

173. *Necessarium est id, quod aliter se habere non potest.*

174. *Actus necessarius est is, qui aliter se habere non potest.* Siue, *est is, qui procedit à potentiâ, necessariò agente.*

175. *Necessitas est status rei, qua aliter se habere, non potest.*

176. *Necessitas naturalis est status rei, naturâ suâ determinata ad vnum.*

177. In voluntate potest considerari duplex indeterminatio: prima est naturalis, quâ ab intrinseco est indeterminata ad vnum: secunda est indeterminatio actualis, quâ scilicet voluntas necdum se reduxit ad actum, nec actu se determinauit. Prima est essentialis libertati voluntatis, secunda nullatenùs. Primam illam semper retinet voluntas; etiam quando se determinat, eamque Deus prædeterminat, quia nullâ necessitate naturali est determinata ad agendum. Secundam indeterminationem non retinet voluntas: nullum tamen inde fit præiudicium libertati ipsius: quia eiusmodi indeterminatio non est de essentiâ libertatis.

De Metu.

SEcundùm Vlpianum,

178. *Metus est futuri, & instantis periculi causâ, mentis trepidatio.* FVTVRI, quia de præsenti malo est tristitia. INSTANTIS, quia de malo, etiam certò futuro, non est metus; nisi apprehendatur vt imminens, & ceruici impendens. Instantis inquam personæ metuenti; vel alteri, ipsi arctè coniunctæ per consanguinitatem, affinitatem, coniugium, aut singulatem amicitiam. PERICVLI CAVSA, ratione mali ardui, apprehensi vt imminentis. MENTIS, voluntatis, siue appetitûs rationalis. TREPIDATIO, inquietudo, perturbatio, & è statu suo dimotio. Et hæc metaphorica mentis trepidatio, sæpè causat veram corporis trepidationem, membrorumque tremorem.

179. *Periculum est salutis discrimen, & pereundi procliuitas*: iuxta Ecclesiasticum c. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Item *Periculum est verisimilitudo mali imminentis*: &, *articulus punctumque mali impendentis*: imò, *imminentia ipsa mali instantis.*

Metus diuiditur in leuem & grauem: & hic subdiuiditur in grauem absolutè, & respectiuè.

180. *Metus leuis est inquietudo voluntatis, leue malum imminens auersantis.* LEVE, paruique momenti:

quod non est tanti, vt metui debeat, sed contemni. Hic metus leuis, aliquatenùs coincidit cum vano. Interim timor, &

181. *Metus vanus est suapte inconstantiâ mentis trepidatio* Siue, *est inquietudo voluntatis, absque causâ persuasa malum arduum sibi imminere*: cum reuerà non immineat: aut non sit graue, nec arduum, difficileue euitatu, aut superatu. Eiusmodi timor vanus, vocatur etiam *terror panicus:* quo perculsi, *trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Psal. 13. & 52.

182. *Metus grauis est mali ardui instantis causâ, mentis trepidatio.* Siue, *est inquietudo voluntatis, malum arduum imminens auersantis.* Idem vocatur metus iustus, licet sit iniustè incussus. Nam

183. *Metus iustus est mentis trepidatio, iustè meritóque concepta*, ratione grauis arduique mali instantis.

184. *Metus absolutè grauis est ardui mali, verè instantis causâ, mentis trepidatio.* Ad eum tria requiruntur: 1. vt malum sit graue. 2. vt arduum, & euitatu superatuue difficile. 3. vt moraliter certò immineat. Hic metus absolutè grauis, vocatur cadens in virum constantem: nam

185. *Metus cadens in virum constantem est mentis trepidatio, quâ vir constans meritò percellitur*, ratione mali ardui impendentis.

186. *Metus respectiuè grauis est mentis trepidatio, quâ particularis metuens, meritò percellitur.* Est inquam mentis trepidatio, causâ intentati mali, constantem non perculsuri; meritò tamen hic & nunc percellentis personam, cui intentatur: vtpote meticulosam, non planè sui compotem, apprehensione præoccupatam, &c.

Metus aliquando tantus est, vt reddat hominem sui impotem, & tunc omninò tollit voluntarium: aliàs, metus causat voluntarium absolutum, & ordinariè inuoluntarium secundùm quid. Nam qui metu perculsus agit, ferè habet hunc voluntatis actum coniunctum, Nisi malum mihi immineret, nollem hoc agere: quia in eo secundùm se consideraro, nullam

rationem boni video, præter mali imminentis euasionem.

187 Ferè inquam, & ordinariè: nam hoc non est vniuersaliter verum: vti patet in attritione salutari, conceptâ metu damnationis æternæ: aliàs foret infructuosa. Itaque quod metù fit, tunc demum est secundùm quid inuoluntarium, habetque actualiter, aut virtualiter conditionatam nolitionem voluntatis annexam, quando metus solus est totale motiuum actûs: & hic actus nullam habet rationem boni, in se appetibilem, præter mali imminentis euasionem: secùs est, quando aliam rationem boni habet. Vti reuera habet attritio dicta, scilicet conformitatem ad rectam rationem, ad legem æternam, ad iustitiam, mandata diuina, &c. Ideoque non est censenda inuoluntaria secundùm quid: nisi eliciatur voluntas non pœnitendi, si abesset gehennæ metus.

De Concupiscentia.

PRo appetitu sensitiuo sumpta.

188. *Concupiscentia est animæ sensitiuæ potentia, prosequens bonum sensibile, & fugiens simile malum*, iuxta apprehensionem imaginationis. BONVM SENSIBILE, sensu externo perceptibile, eique delectabile, abstrahendo à conformitate, & difformitate ad rectam rationem. SIMILE MALVM, sensibus inconueniens, & dolorosum. IMAGINATIONIS, quæ est dux cæci appetitûs sensitiui.

Hæc concupiscentiæ potentia nullatenùs est in se vitiosa: sed quatenùs destituta iustitiâ originali, dicit inordinationem, & pronitatem habitualem aut actualem ad obiecta difformia rectæ rationi Quo sensu

189. *Concupiscentia habitualis est proxima dispositio appetitus sensitiui, ad actus rectæ rationi repugnantes.* APPETITVS SENSITIVI, tam concupiscibilis, quàm irascibilis.

190. *Concupiscentia actualis est appetitus sensitiui motio, rectæ rationi repugnans.* Hæc concupiscentia

actualis est duplex, vna antecedens, alia consequens.

191. *Concupiscentia antecedens est appetitus sensitiui motio, alliciens voluntatem ad motionem, suæ conformem.* MOTIO indeliberata inordinataque. AD MOTIONEM deliberatam. SVÆ motioni. CONFORMEM; sed difformem rectæ rationi. Vocatur *antecedens*, quia antecedit voluntatis actum internum, & externum; ad quem allicit.

192. *Concupiscentia consequens est appetitus sensitiui motio inordinata deliberata, orta ex prauio actu voluntatis.*

193. Concupiscentia antecedens minuit liberum, quoad exercitium: quia inclinando in vnam partem contradictionis, minuit indifferentiam, & indeterminationem ad vnum. E diuerso auget voluntarium, quia intendit conatum & impetum voluntatis.
Concupiscentia consequens non est causa voluntarij interni: quia non potest esse causa causæ suæ: potest tamen esse partialis causa voluntarij, in actu externo reperti: quia respectu illius, est antecedens.

194. Cæterùm vitiosa concupiscentia, iuxta sacræ scripturæ sensum, non tantùm dicit inordinationem appetitûs sensitiui; sed & intellectûs, ac voluntatis, destitutorum iustitia originali: quâ inordinatione mouentur auersiuè, vel conuersiuè in obiecta difformia rectæ rationi, legique æternæ. Sic generaliter sumpta vitiosa

195. *Concupiscentia est appetitus sensitiui, intellectus, & voluntatis propensio ad actus, rectæ rationi repugnantes.* APPETITVS SENSITIVI concupiscibilis & irascibilis, ad obiecta sensibilia illicita. INTELLECTVS, ad errores, hæreses, iudicia temeraria. VOLVNTATIS, ad odium, inuidiam, superbiam. PROPENSIO, pronitas, & inclinatio, tam habitualis in actu primo; quàm actualis in actû secundo. Consequenter hæc

196. *Concupiscentia habitualis, est proxima dispositio potentiarum animæ, ad actus, rectæ rationi repugnantes.*

POTENTIARVM, ſcilicet appetitûs ſenſitiui, intelle-ctûs, & voluntatis.

197. *Concupiſcentia actualis eſt potentiarum anima motio indeliberata; recta rationi repugnans.* INDELIBERATA, inquam, & præueniens iudicium rationis: nam agitur hic de concupiſcentiâ, ad mentem Apoſtoli; vitioſâ quidem, ſed non peccaminoſâ. Qui eam appellat *peccatum, non quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*, ait Tridentinum ſeſſ. 5.

De ignorantia.

198. I*Gnorantia eſt ſcientia carentia in ſubiecto capaci.* CARENTIA, merè negatiua, vel priuatiua. SCIENTIÆ, non tantùm habitûs demonſtratiui, ſed cuiuſcumque notitiæ. Ignorantia eſt multiplex: negatiua. priuatiuâ: iuris, facti, &c.

199. *Ignorantia negatiua eſt carentia ſcientia, non debita ineſſe ſubiecto capaci.* NEGATIVA, dicta etiam puræ negationis, & neſcientia.

200 *Ignorantia priuatiua eſt carentiâ ſcientia debita ineſſe ſubiecto capaci.*

201. *Ignorantia praua diſpoſitionis eſt habitus, vel diſpoſitio, contraria ſcientia.* HABITVS, ſi ſit difficulter à ſubiecto amouibilis, ratione impreſſionis, pertinaciæ, &c. DISPOSITIO, ſi ſit aſſenſus infirmus, abſque pertinaciâ. Hæc prauæ diſpoſitionis ignorantia coincidit cum errore: qui

202. *Error eſt actus intellectus, aſſentientis falſo, vel diſſentientis vero.* FALSO, æſtimato vero: VERO, æſtimato falſo.

203. *Ignorantia habitualis eſt carentia habitus ſcientia, in ſubiecto capaci.* CARENTIA negatiua, vel priuatiua.

204. *Ignorantia actualis eſt inaduertentia*, admittens ſecum ſcientiam habitualem.

205. *Inaduertentia eſt defectus conſiderationis*, &

applicationis animi ad aliquid.

206. *Ignorantia iuris est carentia scientiæ eius, quod lege constitutum est.* LEGE, vel consuetudine, vim legis habente. Hæc ignorantia iuris, vel est iuris diuini, vel humani: diuini inquam, naturalis vel positiui: humani, ecclesiastici, vel ciuilis.

207. *Ignorantia facti est carentia scientiæ facti particularis, circumstantiæue illius*, à quâ tanquam obiecto, moralis actio dependet. v. g. ignoro me iactu lapidis læsisse hominem, eumque clericum, exinde mortuum. Si autem à circumstantiâ non dependeat actio in genere moris, quia eiusmodi actioni non adfert conformitatem, vel difformitatem ad rectam rationem; tunc circumstantia illa est impertinens ad hoc negotium v. g. ignoratur an præfatus læsus, sit læsus in manu dextrâ, an sinistrâ. &c.

208. *Ignorantia inuincibilis physicè, est carentia scientiæ eius, quod nullatenùs fieri potest.* v. g. quot sint atomi in aëre, arenæ in mari, &c.

209. *Ignorantia inuincibilis moraliter, est carentia scientiæ, quam quis assequi nequiuit, præmissâ diligentiâ debitâ.* Siue, *est ea, quam quis superare non potest, adhibitâ diligentiâ debitâ* hic, & nunc. Hæc est inuoluntaria, & inculpabilis: & à Iurisconsultis vocatur iusta, & probabilis.

210. *Ignorantia vincibilis physicè, est carentia scientiæ eius, quod sciri potest, etiamsi non debeat.*

Ignorantia culpabilis, siue moraliter accepta

211. *Ignorantia vincibilis est carentia scientiæ eius, quod potest, & tenetur quis scire.* Hæc ignorantia vincibilis, vna est strictè vincibilis, alia affectata, & crassa: item vna est directè voluntaria, alia indirectè. Strictè accepta

212. *Ignorantia vincibilis est carentia scientiæ eius, quod debuit potuitquē sciri, si foret adhibita maior diligentia, quam fuit.* Ignorantia supina, siue

213. *Ignorantia crassa est priuatio scientiæ eius, quod facilè potuit debuitque sciri.* Est indirectè intenta in magnâ negligentiâ discendi.

214. *Ignorantia affectata est scientiæ priuatio, expressè intenta* quia piget laboris discendi: vel quia est voluntas patrandi operis, cum maiori libertate, vel cum minori contemptu.

215. *Ignorantia directè voluntaria est, scientiæ carentia, expressè volita in se.*

216. *Ignorantia indirectè voluntaria est, scientiæ carentia, volita in negligentiâ discendi*, aut animaduertendi: non autem volita in se.

217. *Ignorantia antecedens est ea, quæ causat voluntatis actum, aliàs non futurum.* ACTVM internum, vel externum CAVSAT per accidens, & tanquam remouens prohibens: scientiam videlicet, aut animaduersionem: quæ si adforet, actum voluntatis prohiberet. Talis fuit ignorantia Iacob, concumbentis cum sibi obtrusâ: quam putabat esse Rachelem: non facturus, si sciuisset esse Liam.

218. *Ignorantia concomitans est ea, quæ ita comitatur actum voluntatis. vt non sit causa illius:* qui equidem fieret, si ignorantia abesset. Eiusmodi ignorantiam habet is, qui hostem occidit, ratus esse feram; habitualiter ita dispositus, vt quamuis sciuisset esse hostem, nihilominus occidisset.

219. *Ignorantia consequens est ea, quæ sequitur præuium actum voluntatis*, directè vel indirectè intendentis ignorare, vt aliquid faciat. Eiusmodi ignorantiam habet is, qui volens comedere carnes, affectat ignorantiam ieiunij.

220. Ignorantia antecedens causat simpliciter inuoluntarium negatiuè: concomitans habet se impertinenter ad actum, quem relinquit talem, qualis est in se consideratus absque ignorantia. Consequens causat simpliciter voluntarium.

221. Est subinde peccatum ipsa ignorantia: habitualis quidem, propter negligentiam sciendi id, quod potest, debetque sciri: actualis autem, siue inaduertentia, quia est omissio actûs præcepti, v.g. ieiunij, Missæ, &c.

De voluntate, & bono, illius obiecto, item de malo.

222. V*Oluntas est rationalis appetitus boni in vniuersali.* RATIONALIS APPETITVS, non naturalis appetitus, sequens directionem extrinsecam authoris naturæ: neque sensitiuus, sequens intrinsecam apprehensionem imaginationis, sed rationalis, sequens intrinsecum dictamen rationis. BONI, non restricti ad bonum naturæ, vti in appetitu naturali: neque ad bonum sensibile, vti in appetitu sensitiuo: sed IN VNIVERSALI. Licet enim voluntas feratur in bonum particulare, id facit tamen sub ratione vniuersali, non restrictâ ad hoc, vel illud particulare bonum. Itaque humana.

223. *Voluntas est animæ rationalis potentia naturalis, prosequens bonum in vniuersali, iuxta apprehensionem intellectus*, apprehendentis obiectum, non tantùm sub ratione veri, aut falsi sed sub ratione boni, aut mali: & sic proponentis illud voluntati. Vnde voluntatis obiectum, circa quod versatur, in quod actu conuersiuo tendit, & in quo vltimatè terminatur, est bonum: obiectum autem, à quo fugit, actu auersiuo, est malum. Vide suprà n. 79. 80. & 81.

224. *Voluntas efficax est ea, quâ positâ sequitur actus, impedimento secluso.*

225. *Voluntas inefficax est ea, quâ positâ non sequitur actus, impedimento secluso.*

226. *Bonum est ens conueniens* sibi, alteriue; appetitui proprio, vel alieno.

227. *Bonum per se, est ens conueniens, propter intrinsecam suam perfectionem.* Siue, *est ens, sui, non alterius gratiâ appetibile.*

228. *Bonum propter aliud, est ens non sui, sed alterius gratiâ appetibile.* Quod est appetibile, non propter intrinsecam bonitatem suam: sed extrinsecam alterius. Quod scilicet est vtile ad assequendum bonum per se. Est synonimum bono vtili: quod

229. *Bonum utile est ens, conducens ad obtinendum bonum per se.*

230. *Bonum honestum est ens, conforme recta rationi.* Siue, *est ens conueniens natura rationali, quâ talis.* Non quâ natura est: quomodo est ei bonum esse, viuere, conseruari; habere potentias & perfectiones naturales. Non etiam quâ natura animalis est: quomodo est ei bonum sanam, pulchram esse. Sed quâ rationalis est: quomodo est ei bonum virtuosam, Deoque gratiosam esse. Hoc bonum honestum, aliter vocatur, bonum morale. Quod

231. *Bonum morale est quid conforme recta rationi.*

232. *Bonum delectabile est ens conueniens, quia delectationem adferens.* DELECTATIONEM, voluptatem sensûs, vel gaudium animi.

233. *Bonum verum est ens, habens à parte rei, eam conuenientiam & perfectionem, à quâ dicitur bonum.* Eiusmodi est bonum virtutis.

234. *Bonum apparens tantùm, est illud, quod à parte rei non habet eam conuenientiam & perfectionem, à quâ dicitur bonum.* Eiusmodi sunt voluptates carnales, diuitiæ, honores.

Malum est secundarium obiectum voluntatis; quod auersatur, & fugit. Materialiter & denominatiuè sumptum

235. *Malum est ens priuatum perfectione debitâ.* Siue, *est ens sibi alteriuè disconueniens,* Formaliter sumptum malum, siue

236. *Malitia est priuatio conuenientia, & perfectionis debita inesse.*

237. *Malitia moralis est priuatio conformitatis ad rectam rationem.* Siue, *est difformitas ad rectam rationem.* Item, *est dissentaneitas & disconuenientia ad naturam rationalem. vt sic.*

238. *Malum inhonestum est ens difforme recta rationi.* Siue, *est quid dissentaneum natura rationali, quâ tali.*

De intellectu.

239. I*Ntellectus est anima rationalis potentia cognoscitiua spiritualis:* id est, effectiua cognitionis spiritualis obiectorum sensibilium, & insensibilium; adhærens vero per assensum, & resiliens à falso per dissensum.

240. Intellectus mouet voluntatem quoad specificationem: ipsa se, & illum quoad exercitium.

241. *Mouere est reducere ad actum id, quod est in potentiâ.* Siue, *est applicare ad operationem.*

242. *Mouere quoad specificationem est ad actum certæ speciei determinare agens*, aliàs indifferens ad vtramlibet partem contrarietatis.

243. *Mouere quoad exercitium est intrinsecè applicare agens ad operationem*, aliàs indifferens ad vtramlibet partem contradictionis.

De Causis.

244. C*Ausa est principium influens esse in aliud.* Siue, *est id, ad cuius esse, sequitur aliud.*

245. *Causatum est quid dependens ab alio, donante ipsi esse.*

246. Sunt quatuor causæ: materialis, formalis, efficiens, & finalis. Duæ priores sunt intrinsecæ composito, & de essentiâ illius: duæ posteriores sunt extrinsecæ.

247. *Materia est id, ex quo quippiam fit, ita vt insit.*

248. *Forma est ratio quidditatis*; id est, complementum essentiæ compositi.

249. *Finis est id, cuius gratiâ aliquid fit.*

250. *Causa efficiens est principium primum productiuum effectûs.*

251. *Effectus est quid emanans ab alio, tanquam principio productiuo.* Ab alio, distincto saltem numericâ essentiâ.

252. *Causa potentiâ est quid, habens vim causandi.*

Siue, *est virtus causatiua.*

253. *Causa actu est quid exercens causationem.*

254. *Causalitas in actu primo, est vis causandi:* Siue, *est virtus, quâ quid constituitur potens ad causandum.*

255. *Causalitas in actu secundo, est causatio actiua.* Et hæc

256. *Causatio actiua est influxus principij, dantis esse alteri, naturâ distincto.*

257. *Causatio passiua est dependentia vnius ab alio, tanquam principio influente esse.* Efficiens

258. *Causa prima est ea, quæ producit effectum, independenter ab aliâ superiore efficiente:* & omnes aliæ dependenter ab eâ. Siue, *Causa prima est ea, quæ non est causata ab aliâ causâ: & à qua omnis alia est causata.* Item, *est ea, quæ omnes causas secundas applicat ad operationem.*

259. *Causa secunda est ea, quæ producit effectum dependenter ab aliâ superiore efficiente.*

260. *Causa efficiens principalis est ea, quæ producit effectum, per propriam formam extrinsecam.* Siue, *est ea, cuius virtus est sufficienter proportionata effectui producendo.*

261. *Causa efficiens instrumentalis est ea, quæ producit effectum, non per propriam formam;* sed per motionem alterius mouentis. Siue, *est ea, cuius virtus sola est insufficiens effectui producendo:* Ideoque ad hoc eleuatur à causâ principali.

Causa instrumentalis vnita, siue.

262. *Instrumentum coniunctum est illud, quod reali vnione adhæret causæ principali.* Ita humanitas adhæret Verbo, calor igni, manus homini.

263 *Instrumentum separatum est illud, quod vnione reali non adhæret causæ principali.* Ita in causatione gratiæ, sacramentum est Dei instrumentum separatum: in scriptione, calamus, &c.

Ex parte causæ, efficiens

264. *Causa totalis est ea, quæ producit effectum, solo suo influxu*, absque adminiculo concausæ, eiusdem ordinis. Itidem

265. *Causa partialis est ea, quæ producit effectum, non solo suo influxu*; sed cum adminiculo concausæ, eiusdem ordinis.

Ex parte effectûs, efficiens.

266. *Causa totalis est ea, quæ producit totum esse effectus*, Itidem

267. *Causa partialis est ea, quæ producit partem ipsius esse effectus.*

268. *Causa efficiens vniuoca est ea, quæ producit effectum eiusdem secum speciei.*

269. *Causa æquiuoca est ea, quæ producit effectum, diuersa à se speciei.*

270. *Causa physica est ea, quæ per se, reali influxu influit esse in effectum.*

271. *Causa moralis est ea, quæ non reali influxu influit in effectum*: sed causam physicam liberam mouet ad eiusmodi effectum producendum. Mouet inquam, sui positione, suo suasu, consilio, imperio, precibus: quin & omissione impedimenti, quando potest, & debet impedire.

272. *Causa immediata est ea, quâ positâ, omnibus aliis deficientibus, ponitur effectus*: & quâ non positâ, omnibus aliis positis, non ponitur effectus.

273. *Causa immediata immediatione causæ est ea, inter quam, & effectum, non mediat alia causa.*

274. *Causa immediata immediatione effectus, est causa potens producere effectum, sine alio effectu præuio mediante.* Vnde ignis producens ignem, mediante calore; non est causa immediata ignis, immediatione effectûs.

275. *Causa per se est ea, quæ propriâ vi producit effectum à se intentum.*

276. *Causa per accidens est ea, quæ producit effectum, à se non intentum.*

277. *Causa per accidens ex parte effectus, est ea, quæ producens effectum intentum; alium non intentum, casu coniunctum producit.*

De Effectibus.

278. *Effectus per se, est is qui à causâ efficiente, directè vel indirectè est intentus.* DIRECTE, in se, & expressè. INDIRECTE, ratione connexionis per se, cum intento.

279. *Effectus per accidens est is, qui à causâ efficiente non est intentus; sed intentò annexus contingenter*, & fortuitò.

Gentilium falso sensu,

280. *Fortuna est Dea, habens liberam dispositionem bonorum temporalium, & euentuum casualium.* Aliàs

281. *Fortuna est causa per accidens in hisce, quæ per electionem, alicuius gratiâ fiunt.* Siue, *est causa liberè agens, producens effectum non intentum, sed intento casualiter annexum*: præter agentis intentionem directam, & indirectam.

Fortuna accipitur subinde pro effectu per accidens, & fortuito, bono vel malo: & tunc

282. *Effectus fortuitus est is, qui à causâ efficiente liberâ, non est intentus; sed intento casualiter annexus.* NON EST INTENTVS, directè nec indirectè.

283. *Casus est causa per accidens in hisce, quæ per naturam alicuius gratiâ fiunt.* Siue, *est causa naturaliter & necessario agens, producens effectum extraordinarium, annexum contingenter effectui producto naturaliter.* Pro effectu acceptus

284. *Casus est effectus extraordinarius, contingenter annexus effectui naturaliter producto.*

285. *Effectus contingens est is, qui ad esse causæ, non sequitur necessariò.* Quia causa est impedibilis, ne causet effectum: vel quia libera est, positisque ad agendum, prærequisitis, potest agere, & non agere. Frustra, siue

286. *Frustraneum est quid non efficiens illud, cuius, gratiâ erat, & aptum erat.* Siue, *est adhibitum medium, aptum fini assequendo, non tamen assecuto.* Si non erat

aptum fini asséquendo, non dicetur frustraneum; sed inutile, & futile.

287. *Primus motor est actus purus reducens ad actum id, quod est in potentiâ*: Causalitate suâ, priùs naturâ mouens illud ad operationem. Nam mouens, est naturâ prius mobili.

288. *Primum agens est id, quod alia agentia applicat ad agendum.*

289. *Prædeterminatio est motio diuina, applicans causas secundas ad operationem.* Vnde omnis determinatio causæ secundæ pendet à primæ causæ prædeterminatione, naturâ priore.

De Actus humani bonitate, & malitia.

290. Actus humanus accipit bonitatem, & malitiam specificam ab obiecto suo: quia obiectum est causa cur sit huius, aut illius speciei moralis. Ideòque ratione obiecti, actus dicitur esse bonus, aut malus; mortalis, aut venialis ex genere suo, id est, ex specie suâ: quomodo species humana dicitur genus humanum.

291. *Actus humani obiectum est id, in quod naturâ suâ tendit: vel ratio, sub quâ tendit* Priori parte definitur obiectum materiale actûs; posteriori formale.

292. *Actûs obiectum materiale est id, in quod naturâ suâ tendit*: circa quod versatur, & in quo vltimatè terminatur actus agentis; potentia quoque, & habitus.

293. *Actûs obiectum formale est ratio, sub qua in obiectum materiale tendit actus*, potentia, & habitus.

294. Vtrumque hoc partiale obiectum, efficit vnum totale: & vtriusque bonitas adesse debet, vt illam impartiatur actui. Quia iuxta D. Dionisium de diuinis nominibus c. 4. *Bonum est ex integrâ causâ, malum autem ex quouis defectu.* Vnde si actûs obiectum materiale sit bonum, formale autem malum; actus erit malus. v. g. eleemosyna, & subleuatio miseriæ alienæ, facta ad vanam gloriam. Idem esto iudicium, si obiectum formale sit bonum; materiale au-

tem malum. v.g. furtum commiſſum intentione dandæ eleemoſynæ. Si autem obiectum materiale actûs foret indifferens in ſpecie moris, & formale bonum; tunc actus eſſet bonus: vti conſtat ex manducatione, potatione, &c. factâ ad honorem Dei.

295. Similiter omnes actus humani, habentes idem obiectum formale, ſunt eiuſdem ſpeciei, licet habeant diuerſa obiecta materialia. v.g. duo actus charitatis, quibus diligitur Deus propter ſe; & proximus propter Deum. E diuerſo, actus habentes idem obiectum materiale, diuerſum formale, diſtinguntur ſpecie. v.g. actus fidei, ſpei, & charitatis, habentes idem obiectum materiale Deum, ſub diuersâ ratione formali, ſcilicet fides Deum, vt primam veritatem reuelantem: ſpes vt ſummum bonum noſtrum: charitas vt ſummum bonum ſuum.

296. Itaque actus humanus accipit bonitatem, vel malitiam eſſentialem ab obiecto, accidentalem à circumſtantiis. Interim vices mutantur, quando circumſtantia tranſit in ra-

297. tionem obiecti. * Tunc autem circumſtantia (præcipuè *cur*, ſiue finis operantis) tranſit in rationem obiecti actûs, quando ad illam terminatur voluntas, tanquam ad obiectum materiale partiale; item quando ex motiuo circumſtantiæ. v.g. finis, voluntas terminatur ad obiectum ſuum materiale. Tunc enim finis tranſit in obiectum formale actûs: & illius obiectum materiale tranſit in circumſtantiam *quibus auxiliis*. Hoc ſenſu, iuxta Ariſtotelem, qui furatur, vt mœchetur, potius eſt mœchus, quàm fur, Quin & actus ipſius quadantenùs eſt mœchia, potiùs quàm furtum.

298. *Actus humanus ex obiecto bonus eſt ille, qui tendit, & terminatur ad obiectum honeſtum.*

299. *Actus moraliter bonus eſt actus voluntarius, rectæ rationi conformis, nullâ circumſtantiâ vitiatus.*

300. *Actus moraliter malus eſt actus voluntarius, habens obiectum, vel circumſtantiam difformem rectæ rationi.*

301. *Actus moraliter indifferens est actus voluntarius, ex naturâ suâ non conformis, neque difformis rectæ rationi.* Eiusmodi est manducatio, facta ad satisfaciendum merè necessitati naturali; ambulatio ad obtinendum sanitatem, &c.

302. Non datur eiusmodi actus humanus deliberatus, indifferens in indiuiduo: quia homo deliberatè operans, debet præcepto diuino naturali, & positiuo; operari conformiter ad rectam rationem: imò actu, vel virtute referre omniâ in finem vltimum. Præcepto inquam diuino naturali, quo iubetur operari vt rationalis, eo ipso; quo inditum est ei dictamen rectæ rationis. Positiuo autem, quo iubetur Deum diligere ex toto corde, &c. Matth. 22. Deut. 6. Omnia in gloriam Dei facere. 1. Cor. 10. & Coloss. 3. Non dicere verbum otiosum. Matth. 12.

303. *Actûs humani entitas naturalis, est essentia illius, producta à potentijs viribusque naturalibus.*

304. *Actûs humani entitas supernaturalis. est essentia illius, producta à principio superante vires naturæ, versunsque circa simile obiectum formale,*

305. *Actus humani entitas moralis, est essentia illius; certo ordine directi ad dictamen rectæ rationis.*

306. *Bonitas actus est illius plenitudo essendi.* Siue, *est conuenientia resultans ex complemento requisitorum actus.*

307. *Bonitas moralis actus, est conformitas ipsius ad rectam rationem.* Siue, *est complementum requisitorum ipsius, in specie moris.* Requisita autem sunt, obiectum, finis, & circumstantiæ honestas.

308. *Bonitas naturalis actus est complementum requisitorum ad entitatem ipsius.* Siue, *est conuenientia, resultans ex complemento eiusmodi requisitorum.*

309. *Bonitas supernaturalis actus est complementum requisitorum ipsius, in ordine superante naturam.* Hic autem requisita sunt, principium productiuum supernaturale habituale, vel actuale: obiectum formale itidem supernaturale: & conformitas ad legem Dei æternam.

De recta ratione, & lege æterna.

310. VT actus humanus sit moraliter bonus, debet esse conformis rectæ rationi, & legi æternæ. Illius enim regula proxima, & secundaria, est recta ratio, remota autem, & primaria, est lex æterna: quia est regulæ regula, & exemplar rectæ rationis.

311. *Recta ratio est iudicium intellectus, conformiter se habentis ad obiectum conueniens naturæ intellectuali, quà tali.* CONFORMITER, id est, verè iudicantis aliquid esse conueniens naturæ intellectuali, quâ intellectualis est; meritóque ab eâ prosequendum: vel disconueniens, ideoque fugiendum.

312. *Recta ratio speculatiua est actus intellectus, iudicantis esse honestum, vel turpe, quod verè est tale.*

313. *Recta ratio practica est actus intellectus, prudenter iudicantis aliquid esse honestum, vel turpe*; licitum aut illicitum: etiamsi ex inuincibili ignorantiâ erret.

314. Lex *æterna est intellectus diuini dictamen indicans aliquid esse conueniens, vel disconueniens naturæ intellectuali, quà tali.* LEX ÆTERNA, generaliter accepta, & non restricta ad præceptiuam: vti restringitur in definitione peccati, n. 398. INTELLECTVS DIVINI DICTAMEN æternum, abstrahendo

315. ab actu voluntatis diuinæ præcipientis. * NATVRÆ INTELLECTVALI, QVA TALI: cui duo sunt conuenientia: bonum voluntati, & verum intellectui: duo itidem inconuenientia, malum & falsum. Interim hæc lex æterna non præcipit omnia, quæ iudicat conuenientia v. g. opera consilij: neque vetat omnia disconuenientia. v. g omnem ignorantiam, assensus falsos omnes. Iudicat tamen illa meritò esse prosequenda, hæc fugienda.

De circumstantijs.

316. *Circumstantia est actus humani moralis, accidens; ipsum moraliter afficiens.* CIRCVMSTANTIA sic dicta quia actui non inest, essentiæ illius intrinseca: sed extrinseca, illum circumstat. EST ACCIDENS accidentis, actûs scilicet humani: quomodo albedo est accidens musicæ, iuxta Aristotelem 5. metaphisicorum cap. vltimo. EST ACCIDENS, quid extrinsecum entitati actûs: quod potest abesse, illâ eâdem manente. Vnde res sacra, vel locus sacer, est circumstantia furti: sed non sacrilegij furtiui, aut furti sacrilegi; cuius est differentia constitutiua. Et consequenter potest abesse à furto, manente eâdem entitate furti (scilicet acceptione alieni, inuito domino) non autem à furto sacrilego. ACTVS HVMANI, voluntarij & deliberati, interni & externi. MORALIS, in certâ specie moris constituti, per rectæ rationis conformitatem, aut difformitatē: quam si primúm det, non erit circumstantia; sed obiectum actûs, quâ moralis. Vti v. g. honor Dei, ad quem refertur comestio, ambulatio, similisue actus, aliàs indifferens in specie moris. MORALITER AFFICIENS, modificans actum in conformitate vel difformitate ad rectam rationem: & ideo conferens ipsi aliquid bonitatis, vel malitiæ accidentalis. Sin minus, poterit esse circunstantia actûs humani, quà physicus est, sed non quà moralis: vti v. g. in eleemosynâ, factâ in auro, ære: manu dextrâ, vel sinistrâ; per se, vel per famulum, &c.

317. Actûs humani circumstantiæ sunt septem, contenta hoc versiculo:

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando,

318. QVIS, denotat operantis qualitatem, per accidens ipsi coniunctam; conferentem aliquid bonitatis, vel malitiæ actui humano morali. v. g. quòd operans sit religiosus; ordine, vel voto obstrictus: be-

neficiarius, coniugatus : ex officio, vel iustitiâ obligatus, &c.

319. QVID, denotat obiecti qualitatem, aut quantitatem accidentariam; conferentem aliquid bonitatis, vel malitiæ actui humano morali. v.g quòd res furtiua sit sacra; magnæ, aut paruæ quantitatis: quòd cæsus, sit parens, aut clericus: quòd luxuriæ complex, sit voto castitatis, matrimonio, consanguinitate, affinitateue obstricta: quòd ex furto, vel detractione, sit damnum secutum: quòd res furto sublata, erat pauperis, &c.

320. VBI, denotat loci accidentariam conditionem, conferentem aliquid bonitatis, vel malitiæ, actui humano morali. v.g. quod in loco sacro sit peccaminosè fusus sanguis, aut semen: quòd in eodem loco sacro, sit accepta res, illius tutelæ demandata: quòd loco publico sit scandalosè peccatum: quòd in loco profano, vel profanato sit celebrata Missa: quòd infans sit domi baptizatus, extrà Ecclesiam, & sacros fontes, &c.

321. QVIBVS AVXILIIS, denotat accidentaria media, & instrumenta actûs humani moralis; illi conferentia aliquid bonitatis, vel malitiæ. v.g. quòd aliquid sit patratum magis ope dæmonis, aut malefici: veneno, instrumento prohibito, aut periculoso. Quòd celebrata Missa absque Missalis canone, absque calice consecrato: cum ornamentis non benedictis: quòd furtum commissum sit, complicibus inductis, compulsis, &c.

322. CVR, denotat non intrinsecum finem operis; sed extrinsecum operantis, conferentem actui humano morali, aliquid bonitatis, vel malitiæ. v.g. quòd eleemosyna data sit, ad vanam gloriam: quòd verba iocosa directa fuerint ad luxuriam: quòd commissum furtum, ad mœchandum, &c.

323. QVOMODO, denotat actûs humani moralis accidentarium modum, conferentem ei aliquid bonitatis, vel malitiæ. v. g. quòd actus sit commissus intensè;

tensè, remissè: spontè, coactè: ignoranter, scienter: mala intentione, motu primo, vel secundò-primò: plenâ, vel semiplenâ deliberatione: clàm, palàm: insidiosè, violentè: cum scandalo, contemptu: modo habente singularem deformitatem: contra dictamen conscientiæ, &c.

324. QVANDO, denotat accidentariam temporis conditionem, conferentem actui humano morali, aliquid bonitatis vel malitiæ. v. g. quòd aliquid omissum, vel factum tempore festi, Missæ, ieiunij, interdicti, induciarum, prohibitionis, duplicis obligationis, &c.

325. Aliqui addunt octauam circumstantiam, contentam hoc versiculo:

Quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando?

Sed reuera *quoties*, siue numerus, non est indiuidui actûs humani circumstantia; quasi similis actus secundus, foret circumstantia primi, &c. sed est indiuiduorum actuum similium multiplicatio.

Circumstantiarum quædam est mutans speciem, alia aggrauans, minuens, &c. Generaliter sumpta

326. *Circumstantia mutans speciem est ea, quæ actui humano morali addit, vel adimit bonitatem vel malitiam, specie distinctam à substantiâ actûs.* GENERALITER, inquam, *sumpta*, comprehendens etiam eam mutantem speciem, quæ non est necessariò confitenda. MORALI, in specie moris constituto, secundùm dicta n. 216. ADDIT. v. g. in eleemosynâ, factâ ad restituendum; circumstantia *cur*, addit bonitatem iustitiæ, specie distinctam. VEL ADIMIT, v. g. in homicidio commisso ex motu primo, vel cum moderamine inculpatæ tutelæ, circumstantia *quomodo* adimit totam malitiam homicidij. Item in adulterio coniugati, inuincibiliter ignorantis complicem esse sibi cognatam; eadem circumstantia *quomodo*, adimit partialem malitiam incestûs. Insuper ADDIT MALITIAM, etsi tantum venialem: qualis foret circumstantia *cur*, in duello commisso ad vanam gloriolam, causâ ostentan-

dæ peritiæ digladiandi.
Strictè, ad mentem Conc. Tridentini sess. 14. cap. 5. & can. 7. accepta, & necessariò confitenda.

327. *Circumstantia mutans speciem, est ea, quæ addit malitiam mortalem, specie distinctam à substantiâ actûs.* MORTALEM, quia si addat malitiam tantùm venialem, specie distinctam, non erit mutans speciem, ad mentem Conc. Tridentini; nec erit necessariò confitenda: vti patet in dato exemplo duelli, commissi ad vanam gloriolam. SPECIE morali DISTINCTAM: vel absolutè, vel saltem demeritoriè: vti ostendemus n. 329. A SVBSTANTIA ACTVS: addit inquam malitiam, specie distinctam à naturâ, & entitate morali ipsius actûs humani. Non dico autem cum quibusdam, *addit malitiam malitia*, vel, *addit malitiam distinctam à malitiâ actûs*; quia hoc dici non debet: quandoquidem detur circumstantia mutans speciem, quæ actûs humani bonitati obiectiuæ addit malitiam. v.g. circumstantia *cur*, in eleemosynâ datâ puellæ, ad corrumpendam pudicitiam eius, &c.

328. Itaque potest statui triplex circumstantia mutans speciem, necessariò confitenda. Prima, quæ actum ex obiecto bonum, efficit peccatum mortale: vti in allegato exemplo eleemosynæ. Secunda, quæ ex peccato veniali, vel mortali vnius speciei, efficit mortale alterius speciei. Ex veniali inquam, vti in verbo otioso, directo ad fornicationem: ex mortali autem v. g. in furto, directo ad ebrietatem. Tertia, quæ ex peccato veniali, efficit mortale, eiusdem speciei moralis absolutæ; sed alterius speciei moralis demeritoriæ. Exempli gratiâ, in reuelatione alieni mendacij officiosi occulti; cum intentione grauiter infamandi proximum. coram

329. multis. * Licet enim infamatio venialis, & mortalis, non differant specie physicâ, nec morali absolutâ; differunt tamen specie morali demeritoriâ. Nam infamatio mortalis meretur priuationem gratiæ, & gloriæ: non autem venialis. Idem est de furto mortali, & veniali; aliisque similibus. Generaliter sumpta

330. *Circumstantia non mutans speciem, est ea quæ non addit vel adimit bonitatem, vel malitiam, specie distinctam à substantiâ actûs humani.* Siue, *quæ non habet specialem conformitatem, vel difformitatem ad rationem, specie distinctam à substantiâ actus*: sed augendo, vel minuendo, afficit obiectum actûs, sub eâdem ratione, quâ bonum, vel malum est. Sic intensio, remissio, quantitas, duratio, diuersimodè afficiunt obiectum actûs, relicti in suâ specie.

Strictè ad mentem Conc. Trid. sess. 14. c. 5. & can. 7. sumpta

331. *Circumstantia non mutans speciem, est ea, quæ actui humano non addit malitiam mortalem, ab eo specie distinctam.* Specie inquam morali absolutâ, vel demeritoriâ; vti supra n. 319.

332. *Circumstantia notabiliter aggrauans est ea, quæ peccati malitiam mortalem, in eâdem specie, plurimùm auget*, faciens æquiualere vnicum peccatum pluribus mortalibus. MORTALEM, quia non est notabiliter aggrauans circumstantia, nisi adferat augmentum præsuppositæ malitiæ mortali. Nam si illud adferat veniali, intra limites suos relictæ; erit quidem aggrauans, sed non notabiliter. v. g. intentio furandi quatuor asses, in furto totidem obolorum. Si autem adferat augmentum, transferens malitiam extra limites peccati venialis; erit mutans speciem. v. g. intentio furandi tres aureos, in furto totidem assium. IN EADEM SPECIE: quia si in distinctâ, foret circumstantia mutans speciem. v. g. blasphemia annexa iræ.

333. PLVRIMVM AVGET, ita vt ex vno peccato actu, efficiat plura mortalia virtute: ratione quantitatis materiæ, exorbitantis modi, durationis, aut intensionis. Ratione quantitatis materiæ: vti mille aurei, in furto. Ratione exorbitantis modi: vti in homicidio, lenta cædes per repetitam confossionem, & mutilationem. Ratione durationis: vti in delectatione morosâ continuatio illius ad plures horas. Ratione exorbitantis intensionis: vti in odio inimicitiæ proximi, tam intensa auersio, vt optetur illi æterna damnat-

tio. FACIENS ÆQVIVALERE VNICVM PECCATVM PLVRIBVS MORTALIBVS, vt minimum duobus: quia si non multiplicet, & vt minimùm reduplicet malitiam mortalem; non erit circumstantia notabiliter aggrauans. Vti intentio furandi octodecim asses, in furto decem assium: supposito quòd præcisè materia decem assium, sit demum mortalis. VT MINIMVM duobus, inquam: quia potest efficere, vt æquiualeat centum, imò mille mortalibus.

334. *Notabile aggrauamen est peccati mortalis, in suâ specie relicti augmentum tale, vt vnicum æquiualeat pluribus:* vt minimùm duobus mortalibus eiusdem speciei. Generaliter sumpta

335. *Circumstantia minuens est ea, quæ adimit aliquid de grauitate peccati, in suâ specie relicti, vel ab eâ mutati.* Propriè

336. *Circumstantia minuens est ea, quæ adimit aliquid de grauitate peccati, in suâ specie relicti.* v. g. magna tentatio, timor, inaduertentia, & ignorantia inuincibilis, &c. Impropriè

337. *Circumstantia minuens est ea, quæ adimit de grauitate peccati, ità vt mutet illius speciem:* faciendo de peccato mortali veniale, nullumue peccatum: vel subducendo vnam malitiam, relictâ aliâ. v. g. primò, in homicidio leuis excessus moderaminis inculpatæ tutelæ: secundò, inaduertentia inuincibilis in eodem: tertiò, inuincibilis ignorantia cognationis, in complice voluntariæ fornicationis.

De habitibus naturalibus.

IN animâ rationali sunt quidam habitus naturales. In genere

338. *Habitus est primæ speciei qualitas, firmiter inhærens, quâ subiectum benè vel malè disponitur, secundùm se, vel ad operationem.* PRIMÆ SPECIEI QVALITAS, condistincta contra dispositionem. FIRMITER INHÆRENS, perfecta, permanens, & difficulter à subiecto amouibilis. QVA SVBIECTVM, hac quali-

tate informatum ſuppoſitum. BENE, VEL MALE, tanquam qualitate bonâ vel malâ, naturaliter vel moraliter. v. g. ſanitate, morbo; virtute, vitio. DISPONITVR, conuenienter vel diſconuenienter afficitur. SECVNDVM SE, habitu eſſendi, non operatiuo: vti gratiâ habituali, ſanitate, pulchritudine. VEL AD OPERATIONEM, tanquam concausâ, & comprincipio illius operationis, præſupponente aliud accidentarium: ſcilicet potentiam, cui ſuperadditur ad illius operationem facilitandam, vel altiùs eleuandam, ad ordinem ſupernaturalem.

339. *Prima ſpecies qualitatis eſt forma accidentaria, difficulter, vel facilè à ſubiecto amouibilis: quâ ſuppoſitum benè vel malè diſponitur ad ſe, vel ad operationem.* Habitus quidam eſt infuſus, alius acquiſitus, alius naturalis.

340. *Habitus naturalis eſt is, qui humana natura eſt concreatus*, eique in ſui conditione, à Deo inditus. Is duplex eſt, ſcilicet intellectus principiorum, & ſynteresis.

Intellectus n. 239. definitus, diuerſo reſpectu vocatur practicus, & ſpeculatiuus.

341. *Intellectus practicus eſt is, qui à ſe cognitum ordinat ad praxim*, & operationem: apprehendendo verum, tanquam bonum proſequendum: & falſum, tanquam malum fugiendum.

342. *Intellectus ſpeculatiuus eſt is, qui à ſe cognitum non ordinat ad praxim*: ſed ſiſtit in nudâ veritatis cognitione.

343. *Intellectus principiorum eſt habitus naturalis, quo intellectus dirigitur circa principia ſpeculabilia.* Id eſt, circa propoſitiones, ex terminis notas, non ordinatas ad operationem. v. g. *Quodlibet eſt, vel non eſt: Omne totum eſt maius ſuâ parte.*

344. *Synteresis eſt habitus naturalis, quo intellectus dirigitur circa principia agibilium.* Id eſt, circa propoſitiones ex terminis notas, ad operationem ordinatas. Eiuſmodi principia agibilium, ſiue prima principia practica ſunt duo: *Bonum eſt proſequendum*, & *Ma-*

lum est fugiendum. Siue, *Declina à malo, & fac bonum.* Psal. 36. Ex quibus sequitur tertium, Matth. 7. *Omnia quacunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*

345. *Principia speculabilia sunt propositiones, ex terminis nota, ad operationem non ordinata.*

346. *Principia agibilia sunt propositiones, ex terminis nota, ad operationem ordinata*

Humana potentia intellectiua vocatur *intellectus*, quatenùs apprehendit obiectum suum intelligibile simpliciter absque discursu: vocatur *ratio*, quatenùs ex vno colligit aliud. Vnde

347. *Intelligere est veritatem simpliciter apprehendere.*

348. *Ratiocinari est ex vno intellecto, aliud colligere, per* discursum.

349. *Ratio superior est intellectus considerans res supernaturales: aut ex ijs accipiens sui directionem.*

350. *Ratio inferior est intellectus considerans res naturales: aut ex ijs accipiens sui directionem.*

Actus humani proxima regula, est iudicium rationis, & conscientia.

De Conscientia.

351. *Conscientia est intellectûs actuale iudicium, dictans particulare agibile esse faciendum, quia bonum: vel fugiendum, quia malum.* CONSCIENTIA sic dicta, quia est cum scientiâ synteresis, illiusque applicatio ad particulare agibile. INTELLECTVS practici. ACTVALE, non quod debeat esse actu præsens: sufficit enim, quòd præcesserit, & voluntati præscripserit quid esset agendum, & sic virtute permaneat. Dicitur ergo conscientia esse actuale iudicium; quia non est potentia, nec habitus; sed actus. IVDICIVM, lato modo sumptum, comprehendens assensum firmum, & infirmum: imò etiam dubitationem; vti constat ex conscientiâ probabili, dubiâ, & scrupulosâ. DICTANS, per modum directionis. PARTICV-

CARE AGIBILE ESSE FACIENDVM: quia iudicium de prosequendo, vel fugiendo agibili, concepto sub ratione generali boni, vel mali; spectat ad synteresim. QVIA BONVM præceptum, sumendo strictè conscientiam. Latè autem illam sumendo, *quia bonum* præceptum, vel consultum. VEL FVGIENDVM, QVIA MALVM prohibitum, peccaminosum, sumendo strictè conscientiam: latè autem sumendo illam, *quia malum* prohibitum, vel simpliciter disconueniens naturæ intellectuali: vti ignorantia, & assensus falsus. *Strictè* inquiebam, sumendo conscientiam, quomodo ordinariè sumitur: nam est peccatum agere contra conscientiam: quod non foret, nisi esset de agibili præcepto, vel prohibito.

352. Conscientiæ iudicium de particulari agibili, bono vel malo, vocatur *fides* ab Apostolo, Rom. 14. *Omne*, inquit, *quod non est ex fide, peccatum est.* Id est, Omne quod non procedit ex dictamine conscientiæ, censentis illud licitum esse; sed fit contra eiusmodi dictamen; peccatum est. Et Ecclesiastici 32. *In omni opere suo, crede ex fide animæ tuæ: hoc est enim conseruatio mandatorum.* Hæc autem conscientiæ

353. *Fides est intellectus iudicium, quod particulare agibile sit licitum, aut illicitum*; faciendum, vel fugiendum.

Conscientia vna est recta, alia erronea: certa, probabilis, &c.

354. *Conscientia recta est intellectus practici, de particulari agibili dictamen, conforme rectæ rationi:* benè collectum ex principio practico, vtroque subsumpto. RECTÆ RATIONI, speculatiuæ, & practicæ. v. g. *Bonum præceptum est faciendum: atqui dare eleemosynam extremè indigenti, est bonum à Deo præceptum: ergò hic & nunc est faciendum.* In quo syllogismo practico, assumptum est synteresis, conclusio est conscientia recta.

Conscientia recta est duplex: vna conformis rectæ rationi speculatiuæ, & practicæ simul; estque iam definita: altera est

355. conformis rectæ rationi practicæ tantùm: & * *est intellectûs practici, de particulari agibili dictamen, conforme rectæ rationi practicæ*, & non speculatiuæ. v. g. *Est licitum, coniugi petenti, reddere debitum: atqui hac petens debitum, est coniux mea: ergo est mihi licitum hic & nunc reddere ipsi debitum*. Supponendo quod subsumptum procedat ex ignorantiâ inuincibili: vti contigit Iacob, cognoscenti Liam, pro Rachele. Genes. 29.

356. *Conscientia certa est intellectûs practici iudicium, de particulari agibili, indubiæ veritatis.*

357. *Conscientia firma est de particulari agibili iudicium, absque formidine de opposito.* Sæpè confunduntur inter se *certum*, & *fir-*

358. *mum*: reuera tamen * *Iudicium certum est illud, quod*

359. *versatur circa obiectum infallibilis veritatis*. Et * *Iudicium firmum est illud, quod fit absque oppositi formidine.* Itaque certitudo tenet se, ex parte obiecti: firmitas ex parte assensûs. Conscientia opinabilis, siue

360. *Conscientia probabilis est de particulari agibili, intellectûs practici dictamen infirmum*: cum oppositi formidine, nixâ rationibus probabilibus: vt distinguatur contra conscientiæ scrupulosæ futilem formidinem. Est autem probabilis conscientiæ dictamen infirmum, quia sequitur causæ suæ partem debiliorem, scilicet subsumptum opinatiuum. v. g. in hoc syllogismo practico. *Licitum est inire contractum iustum: sed hic contractus est iustus:* (demonstrando talem probabiliter tantùm) *ergò licitum est mihi hunc inire*. Quod si conclusio formaretur ex aliis præmissis, hoc modò. *Licitum est operari secundùm sententiam, practicè probabilem: sed hæc sententia est practicè probabilis:* (supponendo verè talem) *ergò licitum est mihi, hic & nunc operari secundùm eam*; tunc foret conscientia certa; quia ambæ præmissæ, & conclusio sunt certæ.

361. *Conscientia erronea est de particulari agibili, intellectûs practici iudicium falsum*, & difforme rectæ rationi; collectum ex principio practico, falsoque sub-

sumpto : aut vero quidem ; sed per consequentiam vitiosam. Primi membri exemplum est : *Bonum est faciendum : atqui mendacium officiosum, pro salute proximi, est bonum : ergò est faciendum.* Secundi exemplum est : *Bonum est faciendum : atqui adulterium est bonum delectabile : ergo adulterium est faciendum.*

362. Conscientia erronea est duplex : vincibilis, & inuincibilis : pro ratione similis ignorantiæ, aut inaduertentiæ. Quamdiu perseuerat, vtraque obligat nos negatiuè, vt non agamus contra eam : imò positiuè vt agamus secundùm eam : ita tamen vt obligemur ad deponendam vincibiliter erroneam. Obligat inquam positiuè : quia conscientia, licet erronea, vtrumque dictat : scilicet. Ne faciamus contra eam, & Vt faciamus secundùm eam. Itaque semper facimus contra eam, quando non facimus secundùm eam.

363. Conscientia dubia, siue incerta, est triplex : suspensa, suspiciosa, & assentiens.

364. *Conscientia dubia suspensa est intellectûs practici hæsitatio de particulari agibili.* HÆSITATIO, intellectus indeterminatio, neutri parti contradictionis assentientis, nec in alteram magis inclinantis : quia pro neutrâ parte habet rationes : vel pro vtrâque pares. v. g. Ex *præcepto Ecclesiæ debet natus annos viginti & vnum ieiunare quadragesimam : ego dubito an compleuerim illos : ergò dubito an modò debeam ieiunare quadragesimam.*

365. *Conscientia dubia suspiciosa est intellectûs practici propensio in vnam partem, particularis agibilis,* neutri tamen determinatè assentientis. v. g. *Suscipere semel Confirmationem, est bonum ; bis, malum : atqui dubito an illam semel susceperim : ergò ambigo num debeam illam suscipere : propendeo tamen in illius abstinentiam, ne sacrilegium committam.*

366. *Conscientia dubia assentiens est intellectûs practici dictamen, quòd particulare agibile sit dubij moris, incertaque praxis.* Quia scilicet iudicat, vel opinatur non posse certò, aut probabiliter definiri, an particu-

lare agibile ſit moraliter bonum, vel malũ; licitum, vel illicitum. v. g. *Malum eſt inire contractum vſurarium: ſed ego dubito an contractus emptionis minoris iuſto, ob anticipatam ſolutionem, ſit vſurarius: ergo iudico, vel opinor dubium eſſe, num liceat mihi modò ſic contrahere.*
Conſcientiæ erroneæ ſpecies eſt ſcrupuloſa conſcientia, ex ſcrupulis formata. In genere autem

367. *Conſcientia ſcrupuloſa eſt de particulari agibili, intellectûs practici iudicium, futili ratione nixum, aut præpeditum.* NIXVM, vti fit in conſcientiâ formatâ ex ſcrupulis. PRÆPEDITVM, vti fit in conſcientiâ agitatâ ſcrupulis. Eſt enim duplex conſcientia ſcrupuloſa: vna ex ſcrupulis formata, alia ſcrupulis agitata.
Ex ſcrupulis formata

368. *Conſcientia ſcrupuloſa eſt de particulari agibili intellectûs practici dictamen falſum, ex futili ratione formatum.* v. g. *Qui eſt ſine miniſtri intentione baptizatus, ille eſt rebaptizandus: atqui ego ſum fortè ſic baptizatus; quia me baptizans, erat homo indoctus: ergo ego ſum rebaptizandus.* Scrupulis agitata

369. *Conſcientia ſcrupuloſa eſt intellectûs practici dictamen rectum, vanâ formidine, & anxietate præpeditum.* v. g. *Qui attentè legit horas canonicas, non debet illas repetere: ego fui conatus legere illas attentè: ergò illas non debeo repetere. Tamen quia non memini lectarum, anxius ſum: & ad ſecuritatem volo illas repetere.*
Nunquam licet agere contra conſcientiam ſcrupuloſam: ſed oportet eam deponere, & agere contra ſcrupulum.
Propriè ſcrupus, &

370. *Scrupulus eſt lapillus aſper*, pedem lædens, greſſumque impediens. Metaphoricè autem

371. *Scrupulus eſt anxietas animi.* Vnde Cicero, pro Sexto Roſcio. *Hunc mihi ex animo ſcrupulum euelle, qui me dies nocteſque ſtimulat, ac pungit.* Hæc anxietas animi, oritur aliquando ex causâ iuſtâ, aliquando ex vanâ. Priori ſenſu accipitur 1. Reg. 25. *Non erit tibi hoc in ſcrupulum cordis, quòd effuderis ſanguinem*

innoxium. Et hoc ſenſu,

372. *Scrupulus eſt conſcientiæ iuſtus remorſus conſequens peccati commiſſionem*. Poſteriori ſenſu, à Theologis paſſim vſurpato,

373. *Scrupulus eſt animi anxietas, futili ratione nixa*.

374. Ad ſcrupulum tria concurrunt: 1. futilis ratio, cuius non apparet ſolutio. 2. inde orta vana formido de peccato, obligatione, inhabilitate, defectu, aliâue re ſimili. 3. inquietudo animi, & remorſus.

375. Scrupulus eſt triplex: antecedens, concomitans, & conſequens; pro ratione ordinis, quem habet ad actum humanum.

376. Scriptura, eamque ſubinde ſecuti Theologi, impropriè accipiunt conſcientiam pro animâ, & voluntate: quæ peccato inquinatur, & ſanguine Chriſti, gratiâque emundatur: iuxta illud ad Titum. 1. *Inquinata ſunt eorum mens, & conſcientia*. Heb. 9. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram*. Nihilominùs accipiendo propriè conſcientiam, poterit dici, quòd 1. ad Timoth. 1. v. 1. & 19.

377. *Conſcientia bona eſt intellectûs practici dictamen, rectè iudicans in actibus proprijs non ſubfuiſſe peccatum, aut eſſe remiſſum* Et ad Titum 1. v. 13.

378. *Conſcientia inquinata eſt intellectûs practici dictamen, iudicans ex peccatorum ſordibus, animam propriam eſſe contaminatam*. Et 2. ad Timoth. 4. v. 2.

379. *Conſcientia cauteriata eſt intellectûs practici dictamen, falsò iudicans malum eſſe bonum; & bonum eſſe malum: abſque vllo ſenſu, & remorſu*. Sapientiæ autem 17. v. 11.

380. *Conſcientia perturbata eſt intellectûs practici dictamen, iudicans in actibus proprijs ſaua latêre, deſperationemque ſibi imminere*. Et 1. Cor. 8. v. 10.

381. *Conſcientia infirma eſt intellectus practici dictamen, falsò iudicans aliquid eſſe peccatum, exemplóque alieno eſſe committendum*.

382. *Conſcientia laxa eſt, intellectus practici dictamen, grauia peccata æſtimans paruis; & parua nihili*. Æſtimans

trabem, esse festucam; & festucam nihil.

383. *Conscientia pharisaica est intellectus practici dictamen, falsò iudicans certa speciei peccata parua, esse magna; & alterius magna, esse parua.* Culicem scilicet colans, & camelum glutiens Matth. 23.

384. *Conscientia perplexa est intellectus practici dictamen, iudicans in particulari agibili subesse peccatum, siue agatur, siue omittatur.* Talem videtur habuisse Herodes: qui ante Baptistæ cædem, imaginabatur sibi necessariò patrandum periurium, aut homicidium.

De sententia probabili.

385. IN actibus humanis licet operari secundum sententiam, & conscientiam verè probabilem.

386. *Sententia probabilis est propositio fulta non certis, sed grauibus rationibus auctoritatibusque fide dignis.* Fide dignis, inquam: quia viri docti subinde habent sua paradoxa, opinionesque temerarias, & erroneas quas præfidenter obtrudunt sequacibus: maximè in Theologiâ, cuius non minimam partem dissecant in pseudoprobabiles sententias,

387. *Sententia probabilior est propositio fulta non certis, sed maioribus rationibus, authoritatibusue; quàm opposita*: quæ respectiuè est minùs probabilis.

388. *Sententia improbabilis est propositio, non certò falsa tamen destituta bonis rationibus, authoritatibusque.*

389. *Sententia tuta est propositio, in cuius sequelâ nullum est erroris, peccatiue periculum.* In speculatiuis nullum erroris, in practicis nullum peccati periculum.

390. *Sententia impropriè tutior, siue minùs periculosa, est propositio, in cuius sequela, est periculum minoris erroris, aut peccati*, In speculatiuis, erroris; in practicis, peccati.

391. *Sententia probabilis speculatiuè est propositio, habens verè similem conformitatem ad rem enunciatam.*

Quòd scilicet sit vera, vel falsa, prout enunciatur,

392. *Sententia probabilis practicè est propositio, nixa bonis rationibus authoritatibusuè, de agibili licito, vel illicito.* Vnde fit, quòd quædam sententiæ sint probabiles speculatiuè, non tamen practicè. v. g. est speculatiuè probabilis sententia, quæ tenet Baptismum collatum *in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*, esse validum: item. Medicinam hanc dubiam, esse valdè salutarem. Sententia tamen tenens licere ijs vti passim, non est probabilis.

De peccatis

PEccatum in genere, variè potest definiri. Secundùm D. Ambrosium,

393. *Peccatum est diuinæ legis præuaricatio, & cælestium inobedientia mandatorum*, affirmatiuorum, & negatiuorum. Secundùm D. Augustinum,

394. *Peccatum est auersio ab incommutabili bono, & indebita conuersio ad commutabile bonum.* Siue, *est auersio à Deo, & inordinata conuersio ad creaturam.* Peccatum est duplex: habituale, & actuale.

395. *Peccatum habituale est priuatio rectitudinis debitæ inesse.* PRIVATIO habitualis, per modum qualitatis permanentis. RECTITVDINIS, conformitatis ad rectam rationem, & legem Dei æternam. Secundùm D. Augustinum,

396. *Peccatum actuale est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Id est actualis locutio, operatio, vel concupiscentia, contra legem Dei æternam, Tria hæc, *dictum*, *factum*, *concupitum* ponuntur distinctè, quò clarior sit definitio: aliàs sub *facto*, reliqua duo possunt comprehendi: quia *dicere*, & *concupiscere*, est quoddam *facere*. Huius actualis peccati materiale, est positiua entitas actus vel omissio illius: formale, est priuatio rectitudinis, siue conformitatis ad rectam rationem, æternamque legem. In præfatâ actualis peccati definitione, sub affirmatione intelligitur negatio; scilicet non

dictum, non factum, non concupitum: id est omnis præuaricatio præceptorum affirmatiuorum. CONTRA LEGEM DEI ÆTERNAM: perfectè contra legem Dei, peccatum mortale, quod euertit charitatem, finem legis; & violat amicitiam legislatoris: imperfecté peccatum veniale,

397. quod neutrum facit * Hic autem in definitione peccati, lex æterna restrictiùs accipitur, quam suprà n. 314. & 315. Nam hic.

398. *Lex æterna est dictamen æternum diuinæ mentis, quo indicat creaturæ intellectuali aliquid esse conueniens, & decernit faciendum; vel disconueniens, & fugiendum.* DICTAMEN ÆTERNVM, non temporale, vti in lege positiuâ diuinâ: sed æternum. Quamuis autem ab æterno non fuerit creatura intellectualis, cui Deus actus præciperet; in eo tamen fuit voluntas & decretum præcipiendi suo tempore. DIVINÆ mentis, comprehendentis intellectum, & voluntatem.

Peccatum actuale est duplex: commissionis, & omissionis.

399. *Peccatum commissionis est præuaricatio præcepti negatiui.* Siue, *est dictum, factum, vel concupitum, contra legem Dei æternam.* DICTVM v. g. periurium, blasphemia, mendacium, detractio, *&c.* FACTVM, v. g. furtum, homicidium, adulterium, *&c.* CONCVPITVM, v. g. concupiscentia vxoris, bonorumque alienorum.

400. *Peccatum omissionis est præuaricatio præcepti affirmatiui*, Siue, *est dicti, facti, vel concupiti omissio contra legem* Dei *æternam.* OMISSIO eius, quod secundùm legem Dei, debeat dici, fieri, aut concupisci. *Omissio dicti.* v. g. omissio Horarum canonicarum, confessionis peccatorum, correptionis fraternæ, &c. *Omissio facti*, v. g. ieiunij, solutionis debiti, restitutionis alieni, &c. *Omissio concupiti*, v. g. acedia, & torpor animi, cessantis ab amore, & desiderio spiritualium, quando potest, & debet: item quæuis cessatio spiritûs, omittentis concupiscere aduersûs carnem vti monet Apostolus Galat. 5. Rom. 7.

& alibi. Secundùm quem, Spiritûs

401. *Concupiscentia bona est actus voluntatis appetentis bonum virtutis, & motus concupiscentiæ comprimentis,*

402. Omissionis peccatum internum incurritur tunc, quando expressè vel implicitè quis vult omittere id, quod potest, & debet facere. Externum autem, quando adest tempus operis præcepti faciendi: & tamen non fit. *Implicitè* inquiebam: quomodo vult omittere is, qui voluntariè reddit se impotentem adimplendi munia sua, & opera præcepta: quæ propinquè, & non ita remotè, & per accidens veniunt facienda. Vnde si quis voluntariè inebrietur, indeque sequatur omissio horarum, omissionem illam indirectè, & implicitè voluisse censendus est. Secûs erit, si ex ebrietate sequatur morbus, & ex morbo omissio Missæ, ieiunij, &c.

Peccatum aliud est cordis, oris, & operis.

403. *Peccatum cordis est peccatum, naturâ suâ tale, vt interius in animâ perficiatur.* v. g. inuidia, odium, hæresis, desperatio &c.

404. *Peccatum oris est peccatum naturâ suâ tale, vt locutione perficiatur.* v. g. detractio, mendacium, periurium &c.

405. *Peccatum operis est peccatum naturâ suâ tale, vt opere externo perficiatur.* v. g. furtum, homicidium, adulterium, &c.

406. Præfata diuisio peccati potest etiam ita intelligi, vt membra diuisionis accommodentur ad inchoationem, progressum, & consummationem eiusdem peccati, tanquam gradus illius: v. g. homicidij, quando quis corde irascitur fratri: ore dicit ei *Fatue*; opereque occidit. Item adulterij, quando quis corde concupiscit vxorem proximi; ore sollicitat ad peccatum; & opere consummat illud.

Peccatum aliud est contra Deum, proximum, & peccantem.

407. *Peccatum contra Deum est peccatum, quo directè euertitur virtus, bene disponens creaturam intelle-*

ctualem, erga Deum. v. g. hæresis, quâ fides euertitur: odium Dei, quo charitas: blasphemia, quâ religio.

408. *Peccatum contra proximum, est peccatum directè euertens virtutem, benè disponentem creaturam intellectualem, erga proximum.* v. g. furtum, homicidium, detractio, &c.

409. *Peccatum contra peccantem, est peccatum directè euertens virtutem, erga se benè disponentem creaturam intellectualem.* v. g. intemperantia, gula, ebrietas, luxuria. *&c.*

Peccatum aliud est ex passione, ignorantiâ, & malitiâ.

410. *Peccatum ex paßione est peccatum procedens ex antecedente concupiscentiâ, aliaue paßione* minuente libertatem. Vocatur *peccatum ex infirmitate*, diciturque esse in Patrem: cui omnipotentia tribuitur.

411. *Peccatum ex ignorantiâ est peccatum procedens ex antecedente ignorantiâ vincibili*, strictè tali: minuente voluntarium, grauitatemque offensæ. Vocatur *peccatum ex ignorantiâ*, diciturque esse in Filium: cui sapientia tribuitur. Strictè inquam vincibili: quia si ex vincibili affectatâ; foret peccatum ex malitiâ, & non ex ignorantiâ. Si autem esset ex inuincibili, tolleretur voluntarium, & peccatum,

412. *Peccatum ex malitia est peccatum, ex plenâ voluntate libertateque commissum,* absque ignorantiâ passioneque antecedente. Dicitur esse in Spiritum-Sanctum: cui bonitas tribuitur, malitiæ contraria.

413. Cæterùm dicitur peccatum esse in Patrem, &c. non quòd sit offensiuum Patris, & non Filij, & Spiritûs-Sancti: & è diuerso: aut quòd peccatum vnum terminetur obiectiuè ad vnam personam & non ad alias: nam trium personarum diuinarum est vnica essentia, & consequenter peccatum, quod est contra vnam personam, est etiam contra alias. Sed quia (vti monuimus) hoc, aut illud peccatum est contra certas perfectiones, particularibus personis diuinis attributas.

Peccatum vnum dicitur spirituale, aliud carnale.

414. *Peccatum spirituale est peccatum, pro obiecto habens inordinatam delectationem spiritualem, & in ea consummatum.* v. g. superbia, vana gloria, hæresis, præsumptio, &c. Hic autem

415. *Delectatio spiritualis est inordinata complacentia appetitûs, in bono præsente, absque immutatione gustûs & tactus:* qui inter omnes sensus sunt maximè carnales. APPETITVS, tam sensitiui, quàm rationalis.

416. *Peccatum carnale est peccatum, pro obiecto habens inordinatam delectationem carnalem, & in eâ consummatum.* Hic autem

417. *Delectatio carnalis est inordinata complacentia, appetitus in præsente bono sensibili gustus, vel tactus,* Peccatum vnum est mortale, aliud veniale.

418. *Peccatum mortale est peccatum, ex se infligens peccanti spiritualem mortem, & constituens secundæ reum.* MORTALE, infligens mortem. EX SE, quantum est ex ipsâ malitiâ peccati. Quomodo dicitur vulnus mortale, quod inflictum est cordi hominis, etiam mortui: qui si viuus esset, ex eo moreretur. Sic etiam dicitur peccatum mortale, quod natum est inferre mortem spiritualem; etiamsi contingat peccantem incurrisse iam mortem antea. INFLIGENS PECCANTI, angelo vel homini: vtrique immortali quidem secundùm substantiam suam spiritualem, quæ non destruitur: sed mortali secundùm vitam spiritualem, quâ priuatur. SPIRITVALEM PRIMAM MORTEM, priuationem gratiæ sanctificantis. ET CONSTITVENS SECVNDÆ REVM, reddens obnoxium damnationi æternæ.

419. Ex Apocalypsis 2. 20. & 21. constat esse spiritualem mortem primam, & secundam: vtramque infligit peccatum mortale: primam actu, secundam reatu.

420. *Prima mors spiritualis est priuatio gratiæ habitualis.*

421. *Secunda mors spiritualis est priuatio æternæ beatitudinis.*

422. *Peccatum mortale ex genere suo, est peccatum,*

cuius malitia ex obiecto sumpta, est ex se grauis. Ex genere, ex specie suâ morali. Ex obiecto, præcipuè formali. Ex se, ex naturâ suâ, absque accessorio malitiæ alterius speciei. Grauis, notabiliter repugnans charitati; ita vt eam tollere nata sit: nisi aliunde minuatur, per materiæ paruitatem, vel ac-

423. tûs imperfectionem. * Nam peccatum mortale ex genere suo, potest fieri veniale ex duobus capitibus: primò ex defectu plenæ deliberationis: secundò ex paruitate materiæ Et quidem omne omninò mortale, fit veniale ex primo capite: sed non ex secundo: vti patet in odio Dei, periurio, blasphemia, reuelatione sigilli confessionis, &c. Quia in eiusmodi peccatis, irrogatur semper grauis iniuria diuinæ maiestati,

424. *Peccatum veniale est leuis offensa Dei.* Siue, *est peccatum actuale, cuius venia facilè obtinetur*: tum ex parte offensæ, quæ leuis est, & quadantenùs digna veniâ: tum ex parte offensi, cuius amicitia non perditur: tum ex parte offendentis, qui retinet charitatem, principium intrinsecum ad obtinendam veniam. Item,

Peccatum veniale est peccatum, ex se non infligens peccanti mortem spiritualem, primam, nec secundam.

425. Propriè dictum peccatum veniale est triplex: primò ex genere suo. 2. ex paruitate materiæ. 3. ex defectu plenæ deliberationis.

426. *Peccatum veniale ex genere suo est peccatum, cuius malitia sumpta ex obiecto, est naturâ suâ leuis;* quia non repugnans notabiliter charitati: v. g. verbum ociosum, mendacium iocosum, & officiosum, &c.

427. *Peccatum veniale ex paruitate materiæ est peccatum naturâ suâ mortale; sed per accidens veniale, ratione exiguitatis materiæ.* v. g. furtum pomi, oboli: detractio in re parui momenti, &c.

428. *Peccatum veniale ex defectu plenæ deliberationis, est peccatum naturâ suâ mortale; sed per accidens*

veniale, quia fit cum semiplenâ deliberatione. v. g. luxuria pueri, necdum habentis plenum vsum rationis: item semidormientis: motus secundò-primus odij, homicidij, &c.

429. *Impropriè dictum peccatum veniale, est peccatum reuera mortale, aliquatenùs dignum veniâ, aut eâ remißibile.* Illud est duplex: ex causâ, & ex euentu.

430. *Peccatum veniale ex causâ, est peccatum mortale, cuius causa est aliquatenùs digna veniâ.* Quia scilicet peccatum commissum est ex deceptione, metu, ignorantiâ, passione minuente peccati prauitatem. Sic D. Ambrosius lib. de paradiso c. 15. dicit *peccatum Eua visum esse Deo veniabile, propter astutiam serpentis.* Et Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Fui blasphemus, & persecutor: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci.*

431. *Peccatum veniale ex euentu, est peccatum mortale, cuius venia obtinetur actu, vel obtineri potest:* per pœnitentiam, Deique misericordiam. Sic idem D. Ambrosius citato libro, cap. 14. dicit *omnia peccata fieri venialia per pœnitentiam.*

432. Peccatum veniale ex genere suo, potest fieri mortale ex sex capitibus. Primò quando in veniali constituitur vltimus finis, directè vel indirectè. Et quidem in peccato veniali constituitur vltimus finis

433. *Directè, quando peccatum veniale censetur esse summa felicitas.* v. g. gula eorum, *quorum Deus venter est;* Philip. 3. In eodem peccato veniali constituitur vltimus finis

434. *Indirectè, quando committens veniale, est paratus offendere mortaliter, potiùs quàm ab illo abstinere.* PARATVS actualiter, aut virtualiter transgredi præceptum obligans sub mortali, potiùs quàm abstinere à veniali. v. g. omittere sacrum die dominicâ, potiùs quàm abstinere à confabulatione otiosâ. Pluris enim tunc fit peccatum veniale, quàm Deus, qui est vltimus finis hominis: & consequenter constituitur indirectè vltimus finis in peccato veniali. Secundò ve-

niale ex genere suo, fit mortale ratione finis: quando scilicet peccatum veniale refertur ad finem mortalem. v. g. verbum ociosum dictum feminæ, vt illa inducatur ad committendum adulterium. Tertiò ratione conscientiæ erroneæ: quando committens veniale, iudicat illud esse mortale. v. g. quando proferens mendacium iocosum, iudicat illud esse mortale. Quartò ratione contemptûs, quando scilicet committens peccatum veniale, facit hoc vt ostendat se nihili facere legem, aut legislatorem Deum, aut superiorem, hoc vetantem. v. g. immodestè ridens in Ecclesiâ, ex formali contemptu. Quintò ratione periculi, quando veniale est occasio proxima peccati mortalis: quia *qui amat periculum, peribit in illo*, Ecclesiastici 3. v. g. collusio inordinata adolescentis cum puellâ, animaduertentis, vel animaduertere debentis, quòd se, & illam exponat periculo impudicitiæ. Sextò ratione scandali, quando quis committit factum, vel dictum, venialiter minùs rectum, præbens proximo occasionem ruinæ spiritalis. v. g. puellæ vanus ornatus, præbens scandalum iuuentuti, verba otiosa Pastoris, præbentia scandalum parochianis. Propriè

435. *Occasio est rei gerendæ opportunitas, casu oblata.* In genere,

436. *Occasio est rei gerendæ opportunitas, casu oblata, spontève quæsita.*

437. *Occasio peccati est res, ex naturâ suâ, vel circumstantijs, ad peccatum inducens propinquè, vel remotè.* EX NATVRA SVA, de se nata inducere ad peccatum. v. g. aspectus & tactus impudicus, lectio obscœna, inordinata familiaritas personarum diuersi sexûs, &c. VEL CIRCVMSTANTIA temporis, loci, personarum, &c. quibus res aliàs indifferens, potest esse occasio peccati. PROPINQVE VEL REMOTE, vnde est duplex occasio, propinqua & remota.

438. *Occasio propinqua peccati est res ex naturâ suâ vel circumstantijs, propinquè inducens ad peccatum*, mortale vel veniale,

439. *Occasio remota peccati est res, ex naturâ suâ, vel circumstantiis, remotè inducens ad peccatum.*

De Peccato Originali.

440. *PEccatum originale est iustitiæ originalis, mentem Deo subiicientis, voluntaria priuatio: orta in posteris Adami, ex eo quòd in ipso peccauerunt.* PECCATVM habituale, mortale. ORIGINALE, homini inexistens ob origine, & sui animatione: ducens originem ab Adamo, humani generis origine. EST IVSTITIÆ ORIGINALIS, infusæ Adamo, in sui origine, & creatione. MENTEM DEO SVBIICIENTIS, per gratiam sanctificantem, annexosque habitus supernaturales.

441. Quatenùs autem iustitia originalis subjiciebat corpus, & appetitum sensitiuum rationi, eatenùs priuatio illius, non est peccatum originale, sed eiusdem effectus: habetque

442. rationem pœnæ, potiùs quàm culpæ. * Cœterùm vti (iuxta Tridentinum sess. 6. cap. 7.) vnica formalis causa iustificationis, est Dei iustitia, quâ nos iustos facit; ita è diuerso peccati originalis habitualis, causa formalis, est eiusdem iustitiæ priuatio. Et quemadmodum mors corporalis, est priuatio vitæ; ita peccatum originale, quod est mors animæ, est priuatio iustitiæ, siue gratiæ iustificantis. VOLVNTARIA:

443. quia omne peccatum debet esse voluntarium: & peccatum originale tale est, non propriâ cuiusque voluntate actuali; sed voluntate Adami: quæ morali æstimatione, erat voluntas omnium posterorum ipsius. Quemadmodum enim illorum omnium caro, erat in lumbis Adami, secundùm seminalem rationem; ita eorundem voluntas erat in ipsius voluntate, secundùm moralem æstimationem; vsque ad completam primam transgressionem. PRIVATIO:

444. quia omne peccatum formaliter consistit in

priuatione: peccatum actuale, in priuatione rectitudinis actualis: habituale (cuiusmodi est originale) in priuatione rectitudinis habitualis. *Priuatio* inquam: quia hic carentia iustitiæ originalis, non est pura negatio; sed carentia illius, debitæ inesse, secundùm humanæ naturæ primam à Deo institutionem.

ORTA IN POSTERIS ADAMI, &c.

445. quia non potest intelligi habituale peccatum, propriè dictum, quale est originale, sine respectu ad actuale: quod hic non reperitur, nisi Adami, *in quo omnes peccauerunt.* Rom. 5. Vnde Augustinus ait lib. 2. de nuptijs c. 26. *Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati.*

446. Materiale peccati originalis, est concupiscentia habitualis. Sicut enim actualis peccati materiale, est actualis conuersio ad bonum commutabile: formale autem, est actualis auersio à bono incommutabili; ita & peccati habitualis (cuiusmodi est originale) formale, est auersio habitualis à Deo: & materiale, est conuersio habitualis ad bonum creatum: & consequenter est ipsamet concupiscentia habitualis, id est intellectûs, voluntatis, & appetitûs sensitiui proxima dispositio, ad actus rectæ rationi repugnantes.

447. Peccati originalis effectus primus, & immediatus, fuit substractio iustitiæ originalis: deinde ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu sensitiuo concupiscibili, infirmitas in irascibili: ira Dei, captiuitas sub potestate diaboli: in corpore, fames, sitis, morbus, mors: reatus pœnæ damni, & sensûs.

448. Quæ originalis peccati pœna sensûs probatur ex Matth. 3. *Permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igne inextinguibili.* Et c. 13. *Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum: & mittent eos in caminum ignis.* Et c. 25. *Dicet his, qui à sinistris erunt: Ite maledicti in ignem æternum. Ibunt hi in supplicium æternum.* Apocalypsis 20. *Qui non inuentus est in libro*

uita scriptus, missus est in stagnum ignis. Eòdem inclinant Concilia, Palestinum apud Augustinum epistolâ 106. Carthaginense & Mileuitanum apud eundem epistolâ 90. 92. & 93. Item Florentinum sess. vltimâ definiens, *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere: pœnis tamen disparibus puniendas.* Idem constanter affirmant Augustinus, Fulgentius, Prosper, Gregorius, Anselmus, Isidorus, & alij. Confirmatur, quia peccatum originale, in hac vitâ punitur pœnâ sensûs, scilicet morte corporali: ergò multò magis in futurà vitâ, tempore retributionis, & vindictæ. Deinde peccatum originale dabit habitualem auersionem à Deo, cui respondet pœna damni: & inordinatam conuersionem ad creaturam, cui respondet pœna sensûs.

449. Peccati causa efficiens est voluntas creata, illiusque defectus: ideo autem potest deficere, & peccare, quia est potentia intrinsecè libera, quæ non est suamet regula, nec suæ

450. regulæ inuariabiliter coniuncta. * Diuina autem voluntas, quia est prima regula omnis rectæ operationis, & seipsam negare non potest, nec à se deficere; ideo peccare non potest. Nec obstat, quòd concurrat ad omnem operationem creaturæ, etiam peccantis: quia concurrit tantum ad materiale peccati, id est ad positiuam entitatem actûs, vel omissionem illius; non autem ad formale peccati, id est ad priuationem rectitudinis, & conformitatis ad rectam ratio-

451. nem, legemque æternam. * Nam priuatio formæ, à duabus causis producendæ, solùm tribuitur illi causæ, per quam stat, quo minùs forma producatur: atqui peccatum est priuatio rectitudinis: & causa per quam stat, quò minùs illa, rectitudo producatur, est sola voluntas creata, non Deus: iuxta illud Osee 13. *Perditio tua ex te Israel: tantùmmodò in me auxiliũ tuum:* ergò, &c. E diuerso, in fornace Babylonis, priuatio combustionis, à Deo & igne producendæ, soli Deo

tribuitur: quia per eum, non per ignem ſtetit, quò minùs illa produceretur.

452. Præter voluntatem creatam, primariam cauſam peccati, ſunt & aliæ ſecundariæ. v. g. concupiſcentia per motus ſuos; dæmon & mundus per tentationes, &c.

De motibus animæ, & concupiſcentiæ.

453. M*Otus animæ eſt actualis propenſio potentiarum animæ, in obiectum ſuum.*

454. Motus concupiſcentiæ aliquando reſtringitur ad inordinatam operationem appetitûs ſenſitiui; aliquando latiùs patet. Priori modo

455. *Motus concupiſcentiæ eſt inordinata actualis propenſio appetitûs ſenſitiui in obiectum ſenſibus conueniens.*

Poſteriori modo

456. *Motus concupiſcentiæ eſt potentiarum animæ inordinata operatio.* POTENTIARVM, iuſtitiâ originali deſtitutarum. ANIMÆ rationalis, quà talis; & quà ſenſitiua eſt. POTENTIARVM inquam trium; ſcilicet appetitûs ſenſitiui, intellectûs, & voluntatis. INORDINATA OPERATIO, priuata debito ordine ad rectam rationem, legemque æternam. Hæc potentiarum animæ operatio, & actus, vel eſt plenè deliberatus: vel ſemiplenè, vocaturque motus, ſiue *actus ſecundo-primus*: vel eſt indeliberatus: vocaturque *primò-primus*. Itaque generaliter acceptæ concupiſcentiæ

457. *Motus primò-primus eſt potentiarum animæ actus indeliberatus, rectæ rationi repugnans.* POTENTIARVM ANIMÆ, ſcilicet appetitûs ſenſitiui, intellectûs, & voluntatis. INDELIBERATVS, præueniens omnimodam deliberationem, plenam ſcilicet, & ſemiplenam: actualem, & virtualem.

458. *Motus ſecundò-primus eſt potentiarum animæ actus, rectæ rationi repugnans, præueniens plenam deliberationem*, non autem ſemiplenam. Hîc

459. *Deliberatio est rationis aduertentia super qualitate actuum animæ*: ſcilicet bonitate, malitiâ, & indifferentiâ. Hæc deliberatio, & aduertentiâ rationis, ſubinde eſt actualis, aliquando tantùm virtualis; manens virtute præhabitæ actualis; vel contenta implicitè in negligentiâ aduertendi, quando quis poteſt, & debet aduertere.

De tentatione, & gradibus illius.

460. TEntatio *eſt ſollicitatio ad malum*, ſiue peccatum.

Sunt tres gradus tentationis: ſuggeſtio, delectatio, conſenſus. Tentationis gradus primus,

461. *Suggeſtio eſt res illicita propoſitio, facta voluntati, alliciens eam ad acceptationem*. Rei inquam illicitæ propoſitio, & præſentatio, facta per mundum, carnem, & dæmonem mediatè; immediatè autem per intellectum. *Per mundum*, illiusque diuitias, honores, & illecebras. *Per carnem*, illiuſque appetitum ſenſitiuum, & concupiſcentiam habitualem, & actualem. *Per dæmonem*, illiuſque miniſtros. Tentationis gradus ſecundus,

462. *Delectatio eſt complacentia appetitûs ſenſitiui, & imperfecti voluntatis, in re illicitâ*. COMPLACENTIA, quietatio & fruitio in bono præſente, ſaltem ſic apprehenſo. Complacentia inquam perfecta, vel imperfecta APPETITVS SENSITIVI, aliarumque potentiarum ſubditarum voluntati. ET IMPERFECTA complacentia VOLVNTATIS. Imperfecta inquam, quia non eſt perfecta aduertentia intellectûs, ſed tantùm ſemiplena deliberatio: vel quia eſt imperfecta acceptatio voluntatis. Tentationis gradus tertius,

463. *Conſenſus eſt voluntatis deliberata acceptatio rei illicita, ab intellectu propoſita*. CONSENSVS, ſic dictus, quia eſt cum alio ſenſus: volûntatis ſcilicet cum intellectu immediatè; & mediatè cum appetitu ſenſitiuo. DELIBERATA, plenâ deliberatione, actuali, vel virtuali. Generalius accipitur conſenſus ſuprà n.

105. Quo generaliori modo acceptus consensus, vnus est perfectus, alius imperfectus. Et ille consensus plenus, siue

464. *Consensus perfectus est actus deliberatus voluntatis, aliquid acceptantis, cum plenâ approbatione.* ALIQVID, licitum, aut illicitum. Hic consensus requirit duo: primò intellectûs aduertentiam, & deliberationem, saltem virtualem: secundò voluntatis plenam approbationem. Consensus subreptitius, semiplenus, siue

465. *Consensus imperfectus est actus voluntatis, aliquid acceptantis, absque perfectâ deliberatione, vel approbatione.* Consensus explicitus, siue

466. *Consensus expressus est actus voluntatis, directè in se aliquid acceptantis.* Consensus implicitus, siue

467. *Consensus interpretatiuus est actus voluntatis, indirectè aliquid acceptantis.* Non directè in se, sed indirectè in alio, in quo continetur, aut vnde sequitur, vel in negligentiâ repellendi. Hic consensus interpretatiuus æquiualet expresso, in moralibus.

468. *Delectatio morosa est complacentia in re malâ, sine voluntate illius faciendæ.* Siue, *delectatio morosa est directa, vel indirecta complacentia deliberata voluntatis, in anima motibus inordinatis, circa obiectum illicitum, non patrandum.* DELECTATIO MOROSA, sic dicta quia voluntas, licet momentaneè, ei immoratur; estque in morâ illius repellendæ, quando potest, & debet. EST DIRECTA, per expressum, & explicitum consensum. VEL INDIRECTA, per implicitum & latentem affectum, interpretatiuumque consensum; qui subest in tolerantia, conniuentiâ, & permissione motuum inordinatorum; quos potest, & debet compescere voluntas, tanquam regina, & moderatrix facultatum animæ. COMPLACENTIA, approbatio, & quietatio in re præsente conueniente. DELIBERATA, per intellectûs aduertentiam actualem & explicitam: aut saltem virtualem, remanentem ex præcedente actuali; implicitamue in voluntariâ inaduertentiâ, negli-

469. gentiâue aduertendi. VOLVNTATIS: * quamuis enim delectatio in genere, sit actus appetitûs, tam sensitiui, quàm rationalis, siue voluntatis; tamen hæc delectatio, morosæ & peccaminosæ rationem non habet, nisi voluntatis consensus accedat ad sensum appetitûs sensitiui. IN potentiarum ANIMÆ MOTIBVS, actibus intellectûs, appetitûs sensitiui, & rationalis, INORDINATIS, difformibus rectæ rationi, legique æternæ repugnantibus. In quibus sibi complacere, saltem indirectè censetur voluntas, per suam conniuentiam.

470. Secùs foret, si eiusmodi motus merè permitteret, absque periculo consensûs, ex iusta causâ necessitatis, vel vtilitatis operis cogitationisue, cui insistitur: vel quia renitentia ipsa (vti subinde contingit) est grauiorum motuum iritatio CIRCA OBIECTVM ILLICITVM, in quod, subditæ voluntati potentiæ, directè feruntur; ipsa quoque voluntas subinde: aliàs saltem indirectè, & interpretatiuè. Quia ergo obiecto illicito saltem latenter afficitur, ab eodem inficitur. Secùs foret, si complacentia voluntatis ferretur in meram cognitionem obiecti illiciti, præcisè quâ noui, admirandi,

471. rari, subtilis, astuti, artificiosi, &c. * NON PATRANDVM: nam delectatio morosa excludit voluntatem patrandi operis: aliàs esset verè internum peccatum, illius speciei (v. g. adulterij) ad quam spectat obiectum delectationis. Quale reuera non est peccatum morosæ delectationis: sed tantùm reductiuè pertinet ad eandem speciem.

De effectibus peccati.

EFfectus peccati sunt *macula*, *offensa*, *reatus*, & *pœna*.

472. *Macula peccati est habitualis priuatio nitoris spiritualis*, moraliter voluntaria in actu peccati, non retractato, nec remisso. HABITVALIS, quia macula est quid permanens, & condistinctum contra malitiam

actûs peccaminosi: quæ est actualis priuatio rectitudinis. PRIVATIO, quia macula non est quid positiuum: cum possit oriri ex pura omissione,

473. quæ nihil positiuum post se relinquit. * Non est etiam mera negatio, & absentia nitoris: sed carentia illius debiti inesse; iuxta primam institutionem naturæ rationalis: & quidem, probabiliter, inesse immediatè ipsi essentiæ animæ: & consequenter eidem inest macula, quæ est priuatio

474. nitoris. * Priuatio inquam totalis, & nihil relinquens formæ oppositæ, siue nitoris; quando est macula peccati mortalis. Quando autem est macula peccati venialis, tunc non est totalis priuatio nitoris: vti nec ægritudo, totalis priuatio sanitatis. NITORIS SPIRITVALIS, quia peccati macula dicitur metaphoricè, translatione factâ à corporibus mundis, & nitidis: quæ dicuntur tunc maculari, quando perdunt mundiciem, nitoremque suum, ex contactu alterius corporis sordidi. Sic anima inordinatè adhæ-

475. rens obiectis turpibus, maculam contrahit. * MORALITER VOLVNTARIA IN ACTV, &c. quia hæc priuatio censetur volita, eâdem volitione, quâ volitus fuit actus peccaminosus: ad quem dicit respectum essentialem. Vnde & ipsa priuatio tandiu perseuerat: quamdiu actus peccaminosus non retractatur, nec remittitur: qui si remittatur, tunc macula deletur.

476. *Nitor animæ est illius mundicia splendorque spiritualis, ab irradiante diuino lumine.* NITOR metaphoricus, complectens mundiciam, & emicantem splendorem. Quidquid enim non sordet, non continuò nitet, & splendet. EST ANIMÆ mundicia, ab omni sorde, & coinquinatione peccati; non solùm mortalis, sed & venialis. SPLENDORQVE, ad instar radij reflexi, siue luminis à corpore opaco polito, superficietenùs recepti, & versûs originem suam repercussi. SPIRITVALIS mundicia & splendor. AB IRRADIANTE DIVINO LVMINE, procedens à Deo, spirituali sole, mittente diuinæ gratiæ suæ radios, mundan-

tes animam, & pellentes tenebras peccatorum; reddentesque eam totam luminosam, splendidam, fulgidam, & radiantem; ad instar mundi speculi, sole irradiati. Ex parte offendentis,

477. *Offensa est iniusta alienæ dignitatis, authoritatis, vel amicitiæ violatio.* Ex parte offensi,

478. *Offensa est iusta indignatio personæ, iniuriâ affectæ, contra offendentem.* Peccato fit Deo iniuria: & hæc diuina

479. *Iniuria est violatio diuini iuris*: quo obligamur Deum diligere super omnia, & plusquam creaturam quamcunque.

480. *Reatus culpæ est obligatio reparandæ iniuriæ, Deo per peccatum illatæ.*

481. *Reatus pœnæ est obligatio subeundæ punitionis, peccato promeritæ.* OBLIGATIO, inuoluntaria quidem secundùm se, vti & pœna: vtraque tamen est voluntaria in causâ, scilicet peccato. PVNITIONIS æternæ, vel temporalis. Propriè dicta

482. *Pœna est malum punitiuum, inflictum ad vindicandam culpam, reo intrinsecam.* POENA vindicatoria. EST MALVM PVNITIVVM, afflictiuum, & pœnosum: quod est malum secundùm quid, quia scilicet priuat patientem, bono vtili, vel delectabili: est autem bonum, quatenùs est obiectum iustæ punitionis: quæ est actus iustitiæ vindicatiuæ. INFLICTVM AD VINDICANDAM CVLPAM, quia pœnæ rationem non habebit malum, inflictum citra respectum ad culpam. v. g. ad patientiæ virtutisque exercitium: aut susceptum ad medelam, vel contra recidiuum. REO INTRINSECAM: quia pœna propriè dicta, habet essentialem respectum, ad culpam; in præsenti, vel præterito intrinsecam luenti. Cui si sit extrinseca, non infligetur pœna simpliciter, sed pœna fideiussoria, aut satisfactoria pro altero.

483. Cæterùm pœnæ malum, est positiuum, aut priuatiuum: voluntati, aut naturæ contrarium. POSITIVVM, inquam, *aut priuatiuum*: quia vtrumque habet rationem pœnæ, quando quis scilicet punitur

pœnâ positiuâ temporali, vel æternâ: item quandò priuatur gratiâ, charitate, visione beatificâ. VOLVNTATI non semper actuali, sed ei quam quis actu haberet, si rem ipsam rectè perpenderet. Vnde obstinato peccatori, gratiam Dei non curanti, nihilominùs priuatio gratiæ est pœna. AVT NATVRÆ CONTRARIVM: quia ad rationem pœnæ, non requiritur simpliciter repugnantia voluntatis (vti patet in operibus pœnalibus, voluntariè à pœnitente susceptis) sed sufficit quòd commoditati naturæ aduersentur, sintque afflictiuæ illius.

484. *Pœna vindicatoria est quid afflictiuum, punitiuum culpa intrinseca luenti.*

485. *Pœna satisfactoria est quid afflictiuum, toleratum ad reparandam iniuriam, offenso illatam*, per luentem, eumue pro quo luitur.

486. *Pœna medicinalis est quid afflictiuum, toleratum ad cautelam recidiui, virtutisue profectum:* vel inflictum ad emendationem rei.

487. *Pœna spiritualis est substractio gratia, in peccati punitionem.* GRATIÆ habitualis & actualis, virtutum, donorum, & subsidiorum spiritualium.

488. Idem defectus potest esse pœna diuersimodè: sic mors est pœna vindicatoria in non baptizato: pœnalitas in baptizato: pœna satisfactoria in Christo: pœna medicinalis inflicta iustificato, ne recidat in peccatum, & ne malitia mutet intellectum eius.

489. *Pœnalitas est defectus, per se ortus ex principijs natura, iustitiâ originali destituta.* POENALITAS, sic dicta, quia habet pœnæ similitudinem & affinitatem: non veritatem & proprietatem. Quia etiam dicit indirectum respectum, ad peccati originalis pœnam directam & primariam: scilicet ad substractionem iustitiæ originalis. EST DEFECTVS, prauus affectus, & vitium naturæ. v. g. fames, sitis, morbus, mors. PER SE, suapte naturâ, ORTVS EX PRINCIPIIS NATVRÆ, profluens ex humanæ naturæ temperamento, alterato per actionem caloris primigenij,

in humidum radicale; & primarum qualitatum, in se mutuo. IVSTITIA ORIGINALI DESTITVTÆ, per priuationem, vel per meram negationem. Vnde hic defectus, sine vllo peccato fuisset in homine, condito in statu puræ naturæ

490. *Mulcta est pœna pecuniaria, iudicis arbitrio inflicta*, non lege constituta.

De Legibus.

491. L*Ex est rationis practica ordinatio, obligans ad agendum iuxta bonum commune; promulgata ab eo, qui habet curam communitatis.* EST RATIONIS, &c. Est in superiore politico, siue legislatore, intellectûs practici dictamen, ordinans subditis aliquid agendum, vel omittendum, in ordine ad bonum commune: intimansque idipsum, per promulgationem. Vnde lex continet tres actus legislatoris: primò iudicium intellectûs practici, quo censet esse expediens bono communi, vt subditi faciant aliquid, vel ab eo abstineant. 2. est actus voluntatis, quo vult subditos obligare ad obseruandum illud ipsum. 3. est actus præcepti, quo per promulgationem, subditis intimat voluntatem suam: & obligat eos, vt secundùm eam agant. Itaque

492. Lex *est præceptum superioris politici, stabile, communitati impositum, in bonum commune ordinatum, & promulgatum.* PRÆCEPTVM, quod est genus definiti, latiùs patens lege: quia omnis lex est præceptum superioris, non è diuerso. Hoc autem

493. *Præceptum est intimatio voluntatis superioris, facta inferiori, cum obligatione, vt secundùm illam agat.* SVPERIORIS POLITICI, habentis iuris dicendi potestatem, & politicam iurisdictionem. Eiusmodi enim superioris est, curare bonum commune: & nemo potest condere legem, nisi habens subditos, & iurisdictionem in eos: insuper vim coactiuam ad executionem legis; punitiuam quoque transgressorum: quæ soli superiori politico competunt. STABILE: quia ve-

ra lex dicit durationem, non tantùm ad aliquot dies, aut vſque ad mortem legiſlatoris; ſed durationem ſtabilem, & aliquam perpetuitatem: donec abrogetur materiæ deſitione, ſuperioris reuocatione, vel contrariæ conſuetudinis præſcriptione. COMMVNITATI IMPOSITVM, quia lex eſt præceptum commune, perfectæque communitati impoſitum; condiſtinctum contra præceptum priuatum, & œconomicum, familiæ, imperfectæque communitati impoſitum. IN COMMVNE ORDINATVM, proximè, vel remotè. Nam lex eſt regula communis, dirigens totam communitatem, ad finem communem, qui eſt bonum communitatis. ET PROMVLGATVM, quia officium legis eſt obligare, & dirigere ſubditos: quod facere non poteſt, niſi per promulgationem cognoſcatur.

494. *Communitas perfecta eſt hominum inter ſe coniunctorum multitudo, ſub gubernatione præſidis, poteſtatem politicam habentis.* Eiuſmodi eſt Eccleſia vniuerſalis, regnum, prouincia, ciuitas, municipium, ordo religioſus, vniuerſitas.

495. *Iuriſdictio eſt legitima poteſtas iuris dicendi*: id eſt, decernendi cuique quod ſuum eſt. Poteſtas, ſiue

496. *Iuriſdictio politica eſt legitima poteſtas gubernandi ſubditos*, ius dicendo, ferendo leges, coërcendo refractarios, & puniendo tranſgreſſores. Item

497. *Poteſtas politica eſt authoritas legitima, ad perfectæ communitatis gubernationem ordinata*; habens vim coactiuam inobedientium, & punitiuam tranſgreſſorum.

498. *Promulgatio eſt legis publica denunciatio*: quâ ſuperior politicus ſuum præceptum intimat, & denunciat communitati.

Lex diuiditur in diuinam, & humanam: diuina in legem æternam, naturalem, & poſitiuam. Lex æterna eſt definita n. 398.

499. Lex *diuina naturalis eſt ea, quam Deus naturæ intellectuali indelebiliter impreſſit,* quâ dirigitur in agibilibus. Aliter vocatur *lumen naturæ*, & *dictamen*

rectæ

recta rationis. In genere

500. *Lex positiua est ea, quæ legislatoris liberâ voluntate posita est*, & non indita simul cum naturâ.

501. *Lex positiua diuina est ea, quæ naturali legi superaddita est, ex liberâ* Dei *voluntate*. Hæc est duplex: Mosaïca, & Euangelica.

502. *Lex Mosaïca est lex diuina positiua, data populo* Iudaïco, *per Angelum, mediatore Moyse*. PER ANGELVM, legatum Dei, illiusque personam gerentem, in assumpto corpore: vti constat ex Act. 7. Galat. 3. & Heb. 2. MEDIATORE MOYSE: nam lex fuit *ordinata per angelos*, (Galat. 3.) *in manu mediatoris*: Moysis scilicet, qui Deut. 5. ait: *Ego sequester, & medius fui inter* Do*minum, & vos*.

503. Legis Mosaïcæ erant triplicia præcepta: moralia, cæremonialia, & iudicialia.

504. P*racepta moralia sunt legis naturæ principia prima: vel ex ijs conclusiones eductæ*, immediatè, vel mediatè.

505. *Præcepta ceremonialia sunt legis Mosaïcæ præcepta ordinantia ritus diuini cultûs*.

506. *Præcepta iudicialia sunt legis Mosaïcæ præcepta æquitatis, & iustitiæ, inter Iudæos seruanda*.

507. *Lex Euangelica est lex diuina positiua, vniuersis hominibus data, per Christum legislatorem*: præceptorum moralium, & fidei explicatorem; & institutorem sacrificij, sacramentorumque nouorum.

508. *Præceptum affirmatiuum est præceptum imperans actionem positiuam*. v. g. *Honora patrem, & matrem, &c.*

509. P*receptum negatiuum est preceptum prohibens actionem positiuam*. v g. *Non furtum facies*. &c.

510. *Lex humana est lex positiua superioris ecclesiastici, vel ciuilis, legi naturali conformis*: & ex eâ educta, probabili ratiocinatione.

511. Vt lex humana sit iusta, requisita sunt quatuor primò vt feratur à legitimâ potestate, limites suos non excedente. 2. vt spectetur finis debitus, scilicet bonum commune. 3. vt versetur circa materiam de-

bitam : non præcipiendo malum per se, neque prohibendo bonum. 4. vt habeat formam conuenientem, iustitiæ distributiuæ consonam.

512. Lex humana obligat cum periculo vitæ, in duobus casibus tantùm : primò quando violatio illius, inuoluit aliquid intrinsecè malum : v. g. contemptum fidei, potestatis superioris, &c. Secundò quando violatio eiusdem, cedit in detrimentum Reipublicæ.

Ius accipitur aliquando vt synonimum legi : quo sensu,

513. *Ius naturale est id, quod recta ratio dictat naturæ intellectuali.*

514. *Ius gentium est id, quod communi nationum consensu introductum est.*

515. Ius naturale conuenit naturæ rationali, in se priuatim consideratæ : Ius gentium, eidem in societate constitutæ.

Secundum, Iuriconsultos.

516 *Ius naturale est id, quod natura docuit omnia animalia.* v. g. conseruatio sui, & speciei. Secundùm eosdem,

517. *Ius gentium est id, quod natura docuit omnes homines* v. g. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Item Decalogus totus.

518. *Ius ciuile est quod particularis populi consensu introductum est, ad socialis vitæ finem naturalem.*

519. *Ius municipale est quod ciuitas quæque sibi proprium constituit.*

520. Lex *affirmatiua est ea, quæ præcipit actum positiuum.*

521. *Lex negatiua est ea, quæ prohibet actum positiuum.* Siue, *quæ præcipit abstinentiam ab actu positiuo.*

Lex affirmatiua obligat semper, sed non ad semper : negatiua obligat semper & ad semper. Quia quouis tempore tenemur abstinere ab omni malo: non tamē facere omne bonū. Lex affirmatiua non præcipit omnes actus bonos : negatiua autem prohibet omnes actus malos.

522. *Lex purè moralis est ea, quæ præcipit, aut prohibet aliquid; nullâ pœnâ temporali appositâ violatori.*

513. *Lex pœnalis est lex pracipiens, vel prohibens aliquid; pœnâ temporali appositâ violatori.* Præcipiens inquam, vel prohibens, ſaltem implicitè. Secundùm quoſdam Theologos,

514. *Lex purè pœnalis est lex lata de re aliàs indifferente, non obligans ad culpam, ſed tantum ad pœnam.* Verùm cùm omnis lex ſit præceptum ſuperioris; & illud obliget in conſcientiâ ad culpam; ideo (ſaluo meliore iudicio) non videtur iſto ſenſu, eiuſmodi lex purè pœnalis admittenda. Itaque.

515. *Lex purè pœnalis est lex, implicitè tantùm aliquid pracipiens, aut prohibens: & violatori pœnam expreſſè ſtatuens.* Implicite, & non expreſsè: vti liquet ex hac lege, purè pœnali, Exodi 24. *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.* Nam ſenſus eſt: *Nemo maledicat patri ſuo, vel matri: & qui maledixerit, morte moriatur.*

516. *Lex pœnalis mixta est lex, expreſsè aliquid pracipiens, aut prohibens; violatorique pœnam constituens.* v. g. Geneſ. 2. *De ligno ſcientia boni, & mali, ne comedas: in quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

517. *Lex pœnalis mixta copulatiuè, est lex, expreſsè aliquid pracipiens, aut prohibens: & per coniunctionem, copulatiuam, violatori constituens pœnam.* v. g. *Ciuis coquens cereuiſiam, in ſingula vaſa pendat ærario publico vnum florenum: & qui fraudarit, luat quinquaginta.* Copulativam, copulatiuè acceptam. Coniunctio autem copulatiua *&, ac, atque*, aliaque æquiualens, ſumitur *copulatiuè*, quando connectit plures enunciationes expreſsè, vel implicitè. Sumitur autem *copulatim*, quando connectit tantùm plures partes ſubiecti, vel prædicati; & non plures enunciationes.

518. *Lex pœnalis mixta diſiunctiuè, est lex, expreſsè aliquid pracipiens, aut prohibens: tranſgreſſorique constituens pœnam conditionatè per particulam diſiunctiuam.* v. g *Nemo frumentum exportet prouinciâ: vel ſi exportarit, luat centum.* Disivnctivam, diſiunctiuè acceptam. Particula autem diſiunctiua *aut, vel*, aliaque æquiualens, ſumitur *diſiunctiuè*, quando diſiungit plures enū-

ciationes expresſè, vel implicitè. Sumitur autem diſiunctìm, quando diſiungit tantùm plures partes ſubiecti, vel prædicati; & non plures enunciationes.

529 Omnis vera lex, etiam pœnalis, obligat in conſcientiâ, & ſub peccato: quia iure diuino naturali, & poſitiuo, præceptum ſuperioris ſic obligat. Ita tamen vt lex pœnalis mixta diſiunctiuè, obliget non determinatè ad præſtandum id, quod lege exprimitur: (aliàs indifferens, nullâque aliâ lege priùs præceptum, aut prohibitum) ſed ad alterutram partem diſiuncti. Vera, inquam, lex: nam aliud eſt de conſtitutionibus pœnalibus, quarum latores intendunt non obligare ad culpam, ſed tantùm ad pœnam; eamque non propriè dictam: quia illa ſupponit culpam: itaque tantùm ad opus pœnale. Et quidem ad illud ipſum per modum directionis tantùm, non præcepti, ſtrictæque obligationis: aliàs eatenùs foret lex, obligans in conſcientiâ ad opus pœnale ſubeundum. Proinde à lege diſtinctum ſtatutum ſiue

530. *Conſtitutio eſt ſuperioris ordinatio, ſine intentione præcipiendi, ſtrictèue obligandi.* ORDINATIO, per modum directionis præſcribens ſubditis, quid ab illis agendum ſit. Apud Iuriſconſultos.

531 *Conſtitutio eſt quidquid principi placuit vt vim legis habeat.*

532. Legibus conſtitutæ pœnæ aliquando ſunt latæ ſententiæ, aliâs ferendæ.

533. *Diſpenſatio legis eſt relaxatio obligationis illius facta perſonæ particulari*, abs habente poteſtatem; ex causâ, quæ ſola non ſufficeret obligationi tollendæ: alias foret interpretatio legis.

534. *Irritatio legis eſt illius necdùm perfectè obligantis abolitio*, facta ab eo, cuius eſt illam habere ratam.

535. *Abrogatio legis eſt illius perfectè obligantis abolitio*, per materię debitæ defitionem, ſuperioris reuocationem, vel contrarię conſuetudinis pręſcriptionem.

536. *Derogatio legis eſt illius quoad partem ſublatio*, alterâ manente in vigore ſuo. Eiuſmodi derogatio vi-

fletur accidisse legi sanctificationis festorum minorum, in quibusdam Diœcesibus; sublatâ cessatione operum seruilium, & manente obligatione Missæ audiendæ.

537. *Interpretatio legis est illius explicatio, quâ declaratur hic & nunc non obligare.* EXPLICATIO facta â superiore, vel alio quocumque prudente. Hæc interpretatio legis est duplex: vna verbalis, altera per epikeiam.

538. *Interpretatio verbalis legis est explicatio verborum illius, conformiter ad mentem legislatoris*, quam actu habuit in illâ ferendâ. v. g. *Non occides*, scilicet iniustè, priuatâ authoritate, extra casum necessariæ defensionis, *Ne accipas alienum*, scilicet dominò rationabiliter inuito.

539. *Interpretatio legis per epikeiam est declaratio habitualis intentionis legislatoris, contraria verbis legis* Siue, *est declaratio, quâ decernitur hic & nunc agendam contra verba legis, secundùm habitualem mentem legislatoris.* HABITVALEM MENTEM, quam legislator in condendâ lege, actu non habuit; tamen habuisset, si particularem casum præuidisset. v. g. sit lex: *Nemo mœnia ciuitatis transiliat, sub pœnâ capitis:* contra verba huius legis impunè aget ciuis, exclusus ciuitate, conscius hostilium insidiarum, transiliens mœnia, vt eas aperiat, & ab imminente excidio patriam seruet.

540. *Priuilegium est ius priuatum, indultum à principe, contra ius commune.* Hoc priuilegium supponit concessionis suæ iustam causam: & quamuis proximè cedat bono priuato, remotè tamen debet redundare in bonum commune.

541. Leges humanæ possunt abrogari, contrariæ consuetudinis præscriptione. Et hæc

542. *Præscriptio est noui iuris introductio, per contrariam legi consuetudinem*, renitente superiore. Hæc autem

543. *Consuetudo est continuata frequentatio actuum humanorum eiusdem rationis, cum intentione vt in ius transeat.* CONSVETVDO, prout est noui iuris non

scripti causa efficiens. CVM INTENTIONE, &c, quæ inducendi iuris intentio si absit, fiatque eiusmodi frequentatio, ex merâ libertate; nullatenus habebit vim legis. v. g. consuetudo fidelium sumendi aquam benedictam, audiendi Missam quotidianam. &c.

Sumpta pro iure non scripto

544. *Consuetudo est ius non scriptum, moribus introductum*: habens vim legis, ex longo & continuo vsu Hic autem

545. *Vsus est eiusdem facti crebra continuataque repetitio.* Aliter vocatur *mos.*

546. *Non vsus legis est mera negatio obseruationis legis*, non occurente occasione illius seruandæ.

547. D*issuetudo legis est continuata omissio obseruationis legis, ex neglectu*, in casibus & occasionibus obseruandæ.

548. *Consuetudo legi contraria est continuata frequentatio actuum legi oppositorum*, in casibus illius obseruandę. Hæc abrogat legem, per superioris conniuentiam: & absque eâ, per præscriptionem. Hæc autem

549. *Conniuentia est dissimulatio superioris, scienter tolerantis subditorum actus, legi contrarios*: non puniendo transgressores, cùm facilè possit.

550. *Consuetudo rationabilis est ea, quæ est conformis rectæ rationi, potestque lege statui.* Cuiusmodi est ea, quæ est vtilis bono communi; nec repugnat legi diuinæ æternæ, naturali, aut positiuæ.

551. *Consuetudo bona est ea, cuius actus frequentati, sunt boni*; ex parte obiecti, operantium, & circumstantiarum.

552. *Abusus, & corruptela est continuata frequentatio actuum peccaminosorum, contra legem.*

De Gratia.

GEnerali significatione accepta.

553. *Gratia est donum diuinum, creaturæ intellectuali gratuitò datum.* GTATIA, sic dicta, quia gratis, liberaliter, &

554. gratuitò data. * *Donum, est bonum alicui proprium, liberaliter alteri collatum*, vel conferri aptum, & donabile. *Donum* inquam, increatum vel creatum; supernaturale, vel naturale. DIVINVM, à Deo donatum. CREATVRÆ INTELLECTVALI, angelo, & homini. GRATVITO, liberaliter, absque debito, meritoque rigido. DATVM, actu donatum. Hæc generaliter accepta gratia, vna est increata, alia creata.

555. *Gratia increata est Deus, creaturæ intellectuali gratuitò se donans; eiusque æterna beneuolentia* erga eandem. DEVS, non modò Spiritus-Sanctus, qui est donum personale; sed etiam Pater, & Filius: quia tres personæ diuinæ gratuitò se donant creaturæ intellectuali, ad illam gratificandam: id est gratam sibi faciendam. Itaque Deus est gratia increata, & signanter Verbum, gratuitò se vniens humanitati Christi, est gratia substantialis. ÆTERNA BENEVOLENTIA gratuita, siue *propositum gratiæ Dei*, vt loquitur Apostolus Rom. 4. & Ephes. 1. *Prædestinauit nos in laudem gloriæ suæ*, in laudem gloriosam diuinæ suæ beneuolentiæ: *in quâ gratificauit nos*, per quam gratiam fecit nos sibi gratos, *in dilecto Filio suo*, per merita Christi, Filij sui. Eodem sensu, B. Maria dicitur Lucæ 1. *inuenisse gratiam apud Deum:* item Noë, Genesis 6. & Moyses Exodi 33. *Gratiam* inquam, id est beneuolentiam diuinam.

556. *Gratia creata est donum diuinum creatum, intellectuali creaturæ gratuitò datum*. CREATVM, à Deo causatum, effectum, & productum, etiam aliâ productione, quàm ex nihilo.

Hæc gratia creata potest diuidi in naturalem, & supernaturalem.

557. *Gratia naturalis est donum diuinum, naturale, creaturæ intellectuali gratuitò datum*. NATVRALE, ipsa natura creata, & quod non excedit naturæ facultatem. v. g. corpus & anima, cum suis potentijs, & operationibus; habitibus inditis, & acquisitis. Iuxta hanc impropriam gratiæ acceptionem loquitur Synodus sexta, actione 11. dicens: *Angeli, & animæ, Dei gratiæ*

sunt immortales: per naturam scilicet suam, gratis à Deo productam. Item D. Hyeronymus epistolâ 139. *Gratia Dei est, quòd homo creatus est*. D. Augustinus epistolâ. 95. *Non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quòd creati sumus, vt non nihil essemus*. Et D. Bernardus de libero arbitrio, *Ipsum vt esset, creans gratia fecit*. Hoc eodem improprio sensu accipiebat gratiam Pelagius, quando illam agnoscebat; scilicet pro libero arbitrio; à Deo dato homini gratuitò: vti constat ex Augustino, præfatâ epistolâ 95. & 105.

Propriè dicta gratia, siue

558. *Gratia supernaturalis est donum diuinum supernaturale, internum, vel externum; creaturæ intellectuali gratuitò datum, ad salutem æternam ordinatum*. SVPERNATVRALIS: quia gratia propriè dicta excedit omnem naturæ creatæ facultatem: & EST DONVM SVPERNATVRALE. Subinde tamen gratia dicitur esse naturalis, quia Angelo & primo homini, cum natura data fuit, quia etiam naturæ intellectuali creatæ valde conueniens est, illiusque perfectiua. AD SALVTEM ORDINATVM, datum ad hoc, vt iuuet creaturam intellectualem ad consecutionem salutis, finisque sui surpernaturalis.

Hæc gratia supernaturalis est duplex: externa, & interna.

559. *Gratia supernaturalis externa est donum diuinum externum, creaturæ intellectuali gratuitò datum, ad salutem æternam ordinatum*. EXTERNVM, extra creaturam constitutum. Cuiusmodi incarnatio Verbi, passio, euangelij prædicatio, sacramentorum institutio, miraculorum patratio, &c

560. *Gratia supernaturalis interna est donum diuinum internum, creaturæ intellectuali gratuitò datum, ad salutem æternam ordinatum*. INTERNVM, creaturæ ipsi inhærens, vel per modum qualitatis permanentis, & tanquam quid habituale: vti fides, spes, charitas, & aliæ virtutes infusæ, dona Spiritûs-Sancti, gratia gratum faciens, & quædam gratiæ, gratis datæ. Vel per modum qualitatis transeuntis, & tanquam quid

actuale : vti auxilia ſupernaturalia , quibus Deus præuenit, & iuuat creaturam intellectualem, ad finis ſui ſupernaturalis aſſecutionem. GRATVITO DATVM, & merè liberaliter ei, qui illud non eſt meritus, nec demeritus; qui illo non eſt dignus, nec indignus: quomodo data eſt gratia angelis & primis hominibus, in ſui creatione. Vel ei, qui eſt poſitiuè indignus, illudque donum eſt demeritus: quomodo homini lapſo data eſt gratia, per merita Chriſti. AD SALVTEM, vel directè ad ſalutem propriam accipientis: quomodo ordinatur gratia gratum faciens: vel directè ad alienam ſalutem proximi: quomodo ordinatur gratia gratis data.

561. Gratia ſupernaturalis interna diuidi poteſt in gratiam gratìs datam tantùm; & in gratiam gratis, datam gratum facientem: nam gratia gratum faciens, eſt etiam gratis data; & non ex debito rigoroſo, orto ex meritis, tanquam merces. Nam vt ait Apoſtolus Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm meritum.* Et cap. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non eſt gratia.*

562. *Gratia gratis data eſt ſupernaturale donum diuinum, homini gratuitò donatum, ad proximi ſalutem directè ordinatum.* PROXIMI SALVTEM, &c: nam vt habetur 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritûs ad vtilitatem*, proximorum ſcilicet. Et 1. Petri 4. *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes.*

563. Hæc gratia gratìs data diuiditur ab Apoſtolo 1. Cor. 12. in ſermonem ſapientiæ, ſcientiæ, fidem, gratiam ſanitatum, operationem virtutum, prophetiam, diſcretionem ſpirituum, genera linguarum, interpretationem ſermonum, miniſtrationem, opitulationes, & gubernationes.

564. *Sermo ſapientia eſt diuinitùs data facilitas explicandi altiora fidei myſteria*; eorumque ordinem, modũ, ac rationem, ſecundùm cauſas ſupremas, apto ſermone ad perſuadendum.

565. *Sermo ſcientia eſt diuinitùs data facilitas explican-*

di res fidei, & morum, apto sermone, ad captum rudium, per exempla, rationesque humanas. Hic sermo scientiæ, ab Apostolo Heb. 5. comparatur paruulorum lacti; sermo autem sapientiæ, adultorum solido cibo: *Facti*, inquit, *estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Perfectorum autem est solidus cibus.*

566. *Fides est diuinitùs data excellens intelligentia rerum fidei certaque fiducia impetrandi miracula*, omniaque à Deo petita. FIDVCIA nixa veritate promissioneque diuinâ. De quâ Apostolus 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*, &c.

567. *Gratia sanitatum est diuinitùs data facultas curandi morbos*, etiam sine fidei excellentiâ magnâ.

568. *Operatio virtutum est diuinitùs data potestas patrandi miracula maiora*, à potentiâ naturali remotiora, & à morborum sanitate distincta.

569. *Prophetia est diuinum donum prædicendi futura, cognoscendiue occulta*, vel explicandi sacram scripturam.

570. *Discretio spirituum est diuinum donum penetrandi intentiones cordis alieni*, illarumque originem: quod scilicet illæ procedant ab instinctu diuino, dæmonis, aut naturæ.

571. *Genera linguarum est diuinum donum loquendi diuersis linguis.*

572. *Interpretatio sermonum est diuinum donum facilè exponendi ea, quæ ab alio prolata sunt* linguâ peregrinâ, aut vernaculâ obscurâ. Ministerium, siue

573. *Ministratio est diuinum donum ritè ministrandi sacramenta, muniaque ecclesiastica*: quin & corporalia fidelibus necessaria; pro ratione episcopatûs, presbyteratûs, alteriusue gradûs ecclesiastici.

574. *Opitulatio est diuinum donum iuuandi hilariter ægros, pauperes, peregrinos, & hospites.*

575. *Gubernatio est diuinum donum, benè regendi fideles, ex officio suo.*

Gratia sanctificans, siue generaliter sumpta

576. *Gratia gratum faciens est donum diuinum supernaturale internum, creaturæ intellectuali gratuitò datum, ad reddendum illam sanctam, Deoque gratam.* AD REDDEN-

pvm., &c. efficienter, vel formaliter. *Efficienter* quidem, vti facit gratia actualis primò dispositiuè, quia gratia actualis disponit ad sanctitatem. 2. conseruatiuè, quia eadem gratia conseruat sanctitatem. 3. directiuè, quia eadem dirigit ad opera sanctitatis. *Vel formaliter*, absolutè quidem, vti gratia habitualis gratum faciens: Completè autem, vti virtutes theologicæ, & morales infusæ: quæ iunctæ gratiæ habituali, complent sanctitatem.

577. Hæc gratia sanctificans, & gratum faciens, generaliter sumpta, subdiuiditur in habitualē, sanctificantem formaliter, & actualem sanctificantem efficienter. Gratia gratum faciens, & sanctificans formaliter absolutè, siue

578. *Gratia habitualis est donum diuinum, reddens subiectum suum formaliter Deo gratum.* Siue, *est donum diuinum supernaturale, internum, creatura intellectuali gratuitò collatum permanenter; reddens eam diuinæ naturæ consortem, formaliter sanctam, Deo gratam, & ad vitam æternam acceptam.* Gratia, sic dicta, quia gratìs data, & quia gratum facit. Habitvalis, primæ speciei qualitas permanens. Svpernatvrale, naturæ vires superans. Internvm, infusum animæ, eamque informans. Creatvræ intellectvali, angelo, & animæ rationali. Gratvito, liberaliter, absque debito, ex proprijs meritis Christi. Permanenter, tanquam qualitas perfecta, stabilis, & fixa. Collatvm per infusionem. Reddens eam divinæ natvræ consortem, iuxta illud 2. Petri 1. *Pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Vnde gratia est specialis participatio diuinæ naturæ: non quidem particula illius, eiusdem cum illâ substantiæ; sed qualitas supernaturalis, à naturâ diuinâ deriuata, habens singularem cum illâ similitudinem, & conuenientiam: quam etiam tribuit animæ, dum eam informat, & dat esse diuinum. Sicut autem charitas est specialis participatio diuinę voluntatis, & amoris: & fides visioque beatifica, diuini intellectûs & cognitionis; ita gratia

sanctificans est specialis participatio diuinæ naturæ. FORMALITER, tanquam forma inhærens, reddens animam SANCTAM, mundam ab omni peccato mortali. DEO GRATAM, dilectam & gratiosam: quia gratia, tanquam qualitas perfecta denominat suum subiectum simpliciter quale, id est gratum & gratiosum. ET AD VITAM ÆTERNAM ACCEPTAM, pro eo statu, beatitudinis æternæ certam & infallibilem hæredem, vtpote Dei filiam: *Si autem filij, & hæredes.* Rom. 8.

579. Quamuis gratia habitualis in communi, secundum D. Thomam in 3. p. q. 62. a. 2. habeat se ad gratiam primam, & secundam; sacramentalem, & extrasacramentalem, tanquam genus ad species; tamen reuera habitualis est specie infima. Habitualis

580. *Gratia prima est ea, quæ creaturam intellectualem, ex non iustâ reddit formaliter iustam.* EX NON IVSTA, merè negatiuè: cuiusmodi fuit prima gratia angelorum, & primorum hominum. Vel *ex non iustâ* priuatiuè, carente iustitiâ debitâ in esse, id est, *ex iniustâ*: cuiusmodi est prima gratia peccatoris iustificati.

581. *Gratia secunda est ea, quæ creaturam intellectualem iustam reddit iustiorem*, intensiuè Deo gratiorem, & magis acceptam ad vitam æternam. Hæc licet meritis acquiratur, tamen gratis datur; quia absque debito rigoroso, meritoque nostro: debitum enim illud est fundatum in radice gratiæ primę, & gratuitâ Dei promissione: & meritum nostrum, non est ex nobis, quasi ex nobis Nam meritum hoc nostrum, gratia est; vtpote gratuitò donatum: ipsumque augmentum gratiæ, quod meremur, gratia est. *Et sic nuncupatur non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur*, vt ait D. Augustinus epistolâ 105. de gratiâ consummatâ, siue vitâ æterna.

582. Gratię habitualis causa efficiens principalis est Deus; instrumentalis, sacramentum; meritoria. Christus; finalis, gloria Dei: formalis nulla est, quia

ipsa est forma simplex: materialis in quâ, est animæ essentia: ex quâ componatur, aut naturaliter educatur, nulla est.

583. Gratiȩ habitualis, fidei, spei, charitatis, & aliarum formarum, seu qualitatum supernaturalium productio, in rigore loquendi, non est creatio, nec concreatio, nec eductio è potentia naturali, vel obedientiali animæ; sed est infusio.

584. Non est creatio, quia non est entis ex nihilo productio. Entis inquam (vti diximus in 1. p. n. 486.) per se subsistentis: & totius, siue secundùm totam rationem suæ entitatis, & dependentiæ in suo esse; ita scilicet, quòd ens creatum, à solo creatore, & à nullo alio dependeat, in quocunque genere causæ. Gratia autem, aliæque formæ supernaturales, non sunt entia per se subsistentia, sed accidentia: quæ propriè non habent esse, sed subiecto tribuunt esse, in genere causæ formalis: ita vt per illa, subiectum sit in tali esse determinato. Insuper eædem formæ accidentales habent esse dependens ab alio, quàm à Deo, scilicet à subiecto, in genere causæ materialis: sine quo subiecto vti non possunt inesse, ita nec esse: nisi miraculosè, vti in Eucharistiâ.

585. Non est etiam concreatio, quia non est gratiæ, cum alio simultanea productio ex nihilo: prout diximus in 1 p. n. 487. Quando enim gratia producitur, nec ipsa, nec subiectum ipsius anima creatur: saltem physicâ creatione, secùs est de morali. De quâ ait D. Th. 1. 2. q. 110. a 2. ad 3. *Secundùm hoc gratia dicitur creari, ex eo quòd homines secundùm ipsam creantur: id est, in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est, non ex meritis.* Quemadmodum enim subiectum substantiale creatur, quando accipit esse substantiale, ex nullo præsupposito naturæ: ita etiam de nouo creatur, quando accipit nouum esse gratiæ, ex nullo merito præsupposito.

586. Non est quoque eductio è potentiâ naturali nimæ, quia gratia superat vires naturales animæ, & uiuscumque agentis naturalis. Nec est eductio è

potentiâ obedientiali animæ: quia deberet in animâ præexistere quædam inchoatio gratiæ, illiusque aliquod esse imperfectum; quod ab agente supernaturali inde educeretur ad esse perfectum. Eductio enim è potentiâ subiecti, vel materiæ, illud ipsum significat; scilicet quòd res ante sui eductionem, habeat in materiâ vel subiecto, concreatum aliquod esse potentiale imperfectum. Secundûm fidem autem, nullum esse potentiale gratiæ, est concreatum animæ. Nec refert, quòd gratia dicatur educi, non è potentiâ naturali animæ, sed obedientiali: quia hæc potentia obedientialis animæ, est ipsamet entitas naturalis illius; formaliter dicens subiectionem ad Deum; & obedientiam ad recipiendum supernaturales formas, supra ordinarias naturæ vires.

587. Itaque quamuis aliquo sensu, gratiæ productio possit dici creatio, concreatio, & eductio è potentiâ obedientiali animæ, à quâ in fieri, esse, & conseruari dependet; tamen propriè loquendo, est infusio, conformiter ad scripturam Rom. 5. & Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. Hæc autem

588. *Infusio est productio formæ, dependentis à materiâ, vel subiecto; in cuius potentiâ non continetur, nec inde educitur.* FORMÆ, tam accidentalis, quàm substantialis; tam naturalis, quàm supernaturalis. DEPENDENTIS in genere causæ materialis, A MATERIA, VEL SVBIECTO, sine quo forma accidentalis non potest esse, absque miraculo. IN CVIVS POTENTIA NON CONTINETVR, secundùm esse potentiale & imperfectum. NEC ab agente naturali, vel supernaturali INDE EDVCITVR, ad esse actuale, & perfectum.

589. *Eductio formæ è potentia subiecti, est formæ contentæ in potentiâ subiecti, productio; dependenter ab eo sustentante.* FORMÆ, accidentalis, vel substantialis naturalis. CONTENTÆ, inexistentis secundùm suum esse inchoatum, potentiale, & imperfectum, concreatum subiecto. IN POTENTIA obiectiuâ, siue potentialitate naturali, vel obedientiali SVBIECTI, præexisten

tis tempore, vel naturâ. DEPENDENTER à subiecto concausante in genere causæ materialis, & SVSTENTANTE formam.

Vnde patet quòd eductio non definiatur plenè, nec sufficienter, dicendo:

590. *Eductio formæ de potentiâ materiæ, vel subiecti, est productio formæ, dependenter à materiâ, vel subiecto, eam sustentante.* Nam ista definitio competit productioni animæ rationalis, dependentis à materiâ, sustentante informationem illius: quæ tamen non continetur in potentiâ materiæ, neque ex eâ educitur. Itaque ad propriè dictam eductionem formæ, è potentiâ materiæ, vel subiecti, requiritur præfata dependentia: & insuper continentia passiua formæ, in materiâ, vel subiecto: ita vt ab agente naturali vel supernaturali inde extrahatur ab esse potentiali & imperfecto, ad esse actuale & perfectum.

591. Gratia habitualis, per peccatum mortale, destruitur moraliter, & demeritoriè: quin & efficienter physicè, iuxta sententiam probabilem. Quæ est D. Thomæ 2. 2. q 24. a. 10. *Peccans, inquit, mortaliter, effectiuè expellit gratiam, hoc ipso, quo effectiuè introducit in animam, actum peccati mortalis: cum quo non potest consistere gratia. Sicut qui effectiuè introducit nigredinem in subiectum, expellit ab eo effectiuè albedinem.*

De gratia actuali.

592. GRatia actualis, varijs modis potest definiri, & describi, ex Augustino l. 1. ad Simplicianum. q. 1. & l. 4. ad Bonifacium c. 5. aliisque locis. Item ex Conciliis Cartaginiensi, Mileuitano Arausicano, & Tridentino. Itaque primò

593. *Gratia actualis est illuminatio, & inspiratio Spiritûs-Sancti, dantis suauitatem,* siue dilectionem, & delectationem, concupiscentiæ victricem; quâ agere delectat, quod agendum est. Ex Augustino lib. 2. de peccat. meritis c. 19. & lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. & alibi: ex Concilio Arausicano 2. can. 7. Tridentino sess. 6. cap. 5.

594. Secundò, *Gratia actualis est adiutorium cognitionis, quo ea quæ facienda sunt, nouimus: & inspiratio dilectionis, vt bona cognita, sancto amore faciamus* Inspiratio, inquam, dilectionis, *quæ propriè gratia est*; inquit Augustinus l. 4. ad Bonifacium c. 5.

595. Tertiò, *Gratia actualis est adiutorium, quo aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus: & quo præstatur, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* Ex Augustino, Concilio Cartaginiensi, & Mileuitono can. 4.

596. Quartò, *Gratia actualis est supernaturale Dei donum, creaturæ intellectuali, ad salutem æternam, gratuitò datum, per modum actûs transeuntis.* DONVM illuminans intellectum, & inspirans voluntatem.

597. Quintò, *Gratia actualis est virtus motioque diuina gratuita, libero arbitrio impressa, illud reducens de potentiâ ad actum supernaturalem*; eundemque cum illo operans, tanquam principium effectiuum, vel tanquam influxus supernaturalis GRATIA, quia data gratis, & ad reddendum gratum. ACTVALIS, quia est diuinus actus momentaneus, & qualitas transiens vnâ cum opere, ad quod efficiendum datur: estque similis Aristotelicæ patibili qualitati, v.g. rubori in pudente, pallori in timente: cuiusmodi qualitas euanescens non denominat subiectum suum simpliciter quale: & consequenter gratia actualis. non denominat gratum, nec gratiosum. EST VIRTVS DIVINA, Dei vis, & efficacia creata. MOTIOQVE Dei mouentis. v.g. illustratio intellectûs, & inclinatio voluntatis in bonum salutare; transeunter data, & subiectata in libero arbitrio moto. Hæc autem motio distinguitur ab actu creato supernaturali, cui producendo datur; tanquam illius principium effectiuum, cùm deest habitus supernaturalis, illius vicem supplens, eleuansque potentiam ad actûs supernaturalis productionem. GRATVITA, data liberaliter, absque debito orto ex proprijs meritis, sed Christi. LIBERO ARBITRIO IMPRESSA transeunter, quâ Deus tanquam instrumento suo, virtutem

sui principalis agentis, intentionaliter continente, *operatur velle, & perficere, pro bonâ voluntate* ILLVD arbitrium creatum REDVCENS DE PO-

598. TENTIA AD ACTVM. Quemadmodum enim causa secunda non potest exire in actum naturalem, sine concursu generali causæ primæ, reducentis eam de potentiâ ad actum; & cum eâ operantis eundem actum: neque in actum moraliter bonum, sine auxilio generali; ita neque in actum supernaturalem, sine auxilio speciali, & gratiâ actuali: quâ Deus liberum arbitrium actuat, & facit vt bonum supernaturale velit, & perficiat. SVPERNATVRALEM secundùm substantiam, v. g. actum fidei, spei, charitatis, &c. vel secundùm modum, v. g. comestionem, potationem, locutionem, relatam ad honorem Dei, finemque supernaturalem. EVNDEMQVE CVM ILLO OPERANS: Nam præter habitus infusos: quibus liberum arbitrium eleuatur, & fit potens ac habile actu primo, ad eliciendos actus supernaturales; eget insuper auxilio speciali, quo tanquam vltimo actûs primi complemento (iuxta Thomistas) exeat in actum secundum: vel (iuxta alios) quo tanquam influxu causæ primæ, in ordine gratiæ, operetur eosdem actus supernaturales.

Hæc gratia actualis identificatur auxilio diuino speciali. In genere

599. *Auxilium est id, quo quis iuuatur ad aliquid faciendum, quod solus facere non posset, vel nonnisi difficulter.*

600. *Auxilium diuinum est virtus & efficacia, à Deo creaturæ data, ad faciendum id, quod absque eâ, sola facere non posset.* Nam, *sine me, nihil potestis facere*, inquit Christus, Ioannis 15.

601. *Auxilium diuinum speciale est virtus diuina, motioque actiua realis, creaturæ intellectuali transeunter inhærens: quâ redditur in actu secundo potens ad producendam operationem supernaturalem.* Siue, *est donum diuinum supernaturale actuale, quo creatura intellectualis, ad salutem æternam transitoriè iuuatur.* Iuuatur inquam, Nam per gratiam habitualem, aliosque habitus infu-

ſos, liberum arbitrium eleuatur vt ſit potens in actu primo, ad operationes ſupernaturales: ſed vt actualiter eas operetur, & exeat de potentiâ in actum ſecundùm, eget auxilio ſpeciali mouente ad agendum, & ſecum operante.

Operatio ſupernaturalis eſt duplex: quoad ſubſtantiam, & quoad modum.

602. *Operatio ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, eſt ea, quæ ſecundùm entitatem ſuam, ſuperat vires naturæ:* ita vt fieri non poſſit per facultatem arbitrij creati, cum ſolo concurſu generali, naturæ debito. v. g. actus fidei, ſpei, charitatis, &c.

603. *Operatio ſupernaturalis quoad modum eſt ea, quæ ſecundùm entitatem ſuam non ſuperat vires naturæ, ſed tantùm ſecundùm ſui relationem in finem ſupernaturalem.* Eiuſmodi eſt ambulatio, locutio, &c. relata ad maiorem Dei gloriam.

604. Ad vtramque hanc operationem bonam ſupernaturalem, adiuuat nos Deus, non tantùm concurſu ſuo generali; ſed auxilio ſpeciali. Adiuuat, inquam, nos, non quòd nobis proprias vires, propriamque actionem ad opus adhibentibus; ſuas etiam vires & actionem adiungat ad idem opus: ſed adiuuat nos Deus in toto opere ſalutari, tanquam prima cauſa ſecundam: id eſt, totum nos operari facit; ita vt tota noſtra bona operatio ſit à Deo, in nobis operante: quin & ad eam applicante voluntatem noſttam; facienteque eam facere operationem bonam.

605. *Concurſus generalis eſt actualis influxus cauſæ primæ, influentis eſſe in effectum, cum causâ ſecundâ,* Siue, *eſt cauſa prima coëfficientia entitatis effectûs cauſæ ſecundæ.*

606. Conformiter ad D. Fulgentium, epiſtolâ 6. cap. 9. & Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. dicens: *Chriſtus Ieſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influit. Quæ virtus, bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur,* &c. poteſt diuidi gratia actualis in *antecedantem, comitantem, & ſubſequentem.*

607. Antecedentis nomine comprehenditur *præueniens, operans, præoperans, excitans, vocans, præparans, aspirans, inspirans, inchoans, dux, ducens conuertens, trahens, compellens*, &c.

608. Comitantis nomine comprehenditur, *comes, concomitans, cooperans, dirigens, gubernans, protegens, prosequens, adiuuans*; etiam *subsequens*, cum respectu ad gratiam antecedentem, siue præuenientem: & ad meram operis salutaris volitionem. Sic gratiam subsequentem accipit Fulgentius ad Monimum dicens: *Præuenit Deus, & donat homini bonam voluntatem: deinde subsequitur benè volentem, operando in illo boni operis facultatem.* Aliàs *subsequens* dicitur cum respectu ad comitantem, & cooperantem; imò ad iusti opus bonum, & salutare; cuius efficacem volitionem operata est gratia præueniens, siue antecedens: & perfectionem cooperata est gratia concomitans: vti constat ex citatis verbis Conc Trid. Itaque

609. Subsequentis nomine comprehenditur *prosequens, finiens, consummans, confirmans, corroborans, consolidans*, &c. Hoc sensu

610. *Gratia antecedens est gratia actualis, inspirans boni salutaris velle*; siue volitionem.

611. *Gratia concomitans est gratia actualis, dans perficere bonum salutare.* Siue, operans boni salutaris voliti executionem. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntate*, Philip. 2.

612. *Gratia subsequens est gratia actualis, dans boni salutaris perseuerantiam.* Boni salutaris per gratiam antecedentem voliti, per concomitantem perfecti, confirmationem, consolidationem, & perseuerantiam. Itaque

613. *Gratia antecedens est gratia actualis, præcedens excitansque boni salutaris volitionem.* Præcedens prioritate naturæ, & præueniens liberi arbitrij desiderium, conatum, & omne initium bonæ operationis. Excitansque, tanquam actuale principium effectiuum. Boni salutaris, non merè moralis, sed ad salutem æternam conducentis, de condigno,

vel congruo, VOLITIONEM *siue velle*, vt loquitur Apostolus Philip. 2.

614. Gratiæ antecedenti synonima est *praeueniens, operans*, &c: quæ agnoscenda est contra Semi-Pelagianos, tribuentes Deo consummationem salutaris operationis; initium autem libero arbitrio. Sed à nobis *auertat Deus hanc amentiam, vt in donis eius, nos priores faciamus, posteriorem ipsum*, ait Augustinus l. 2. ad Bonifacium cap. 9.

615. *Gratia praeueniens est gratia actualis, praeocupans liberum arbitrium, vt incipiat velle bonum salutare.*

616. Idem esto iudicium de gratiâ aspirante, *qua aspirando praeuenit boni salutaris volitionem*: de inspirante, *qua inspirat boni salutaris volitionem*, de inchoante, &c.

617. *Gratia operans est gratia actualis, efficiens sola boni salutaris volitionem*, in libero arbitrio, præuiè id non desiderante, conante, aut merente: sed subinde demerente, auerso, & repugnante. SOLA, conformiter Augustino, libro de gratiâ, & libero arbitrio c. 5. Non quòd creata voluntas in eiusmodi boni salutaris volitionem non influat; imò verò influit, cùm sit actus vitalis: sed quia eam non operatur præuio merito, conatu, aut imperio: ideoque non est actus imperatus. Quo etiam sensu idem Augustinns eodem libro c. 17. dicit de Deo, *Vt velimus, sine nobis operatur.* Sine nobis scilicet, præuium actum elicientibus; quo ad boni salutaris volitionem nos excitemus, eam desideremus, aut mereamur. Non tamen sine nobis, boni volitionem actiuè liberèque elicientibus. In illâ enim primâ boni volitione, voluntas liberè vult: non tamen præuiâ deliberatione, aut imperio facit se velle; sed solus Deus, per gratiam operantem: quam *praeoperantem* vocat Prosper, in epistolâ ad Augustinum.

618. Gratiæ operantis effectus, est actus voluntatis, non tantùm vt subiecti; sed vt causæ elicientis velle: nam effectus, est *velle*, iuxta Apostolum Philippensium 2. & citatum Augustinum, dicentem, *Vt velimus operatur.*

619. *Gratia cooperans est gratia actualis, opus salutare operans non sola*; sed simul cum libero arbitrio operante, per eiusmodi operis salutaris præuium desiderium, & aliquale meritum: & non tantùm per simultaneum influxum in opus salutare: Sic enim operatur etiam cum gratiâ operante.

Gratiæ cooperantis effectus, est *perficere* opus salutare volitum. Nam

620. *Gratia operans est illa, quâ fit vt bonum salutare velle incipiamus.*

621. *Gratia cooperans est illa, quâ fit vt bonum salutare, quod voluimus, perficiamus.* Secundùm D. Thomæ 1. 2. q. 111. a. 2. sensum, Augustino consonum,

622. *Gratia operans est ea, in cuius effectu, mens est à Deo mota, & non mouens.* Non quòd mens physicè nil agat, & merè passiuè se habeat; cùm eliciat volitionem vitalem. Non etiam, quòd moraliter nil agat, per modum mentis; sed eliciat tantùm volitionis actum primò-primum naturaliter, & necessariò: Deus autem illum operetur, tanquam causa efficiens. Quomodo Apostolus Rom. 7. agens de concupiscentiæ motibus primò-primis dicit, *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* quia scilicet hi motus concupiscentiæ, quamuis eliciti physicè ab homine; non procedunt tamen ab eo, liberè operante. Non pariformiter pij motus, per gratiam operantem excitati, Deo attribuuntur, & non voluntati motæ, quasi voluntas vitaliter in illos influat,

623. non tamen liberè, sed necessariò. * Non inquam illa est mens D. Thomæ, quando dicit, quòd in effectu gratiæ operantis, voluntas nostra est mota, & non mouens: sed quòd boni salutaris volitionem liberam, voluntas non eliciat, per aliquod suum præuium imperium, quo seipsam ad eiusmodi volitionem moueat; sed à solo Deo mota. Consequenter

624. *Gratia cooperans est ea, in cuius effectu, mens est à Deo mota, & mouens.* Tunc autem mens, siue voluntas est à Deo mota, & se mouens, quando per

gratiam operantem diuinitùs præmota, elicit per se, vel potentiam sibi subditam, actum salutarem, à se imperatum.

625. Præfata diuisio gratię in operantem, & cooperantem, iuxta mentem D. Augustini, & scripturas, Isaiæ 26. Rom. 8. & Philip. 2. ab eodem citatas, potest aptari increatæ gratiæ, Deo; immediatè per se operanti, & cooperanti. Potest insuper aptari gratiæ habituali: quo modo secundum D. Thomam

626. *Gratia operans est gratia habitualis, quatenùs dat esse diuinum* creaturæ intellectuali, eamque formaliter sanctificat.

627. *Gratia cooperans est gratia habitualis, qatenùs est meriti principium*, libero arbitrio cooperans, ad illud producendum. MERITI PRINCIPIVM: licet enim gratia habitualis sanctificans sit habitus essendi, & non operatiuus immediatè; tamen reuera est operationis meritoriæ principium radicale; & originale. Quemadmodum enim anima est radicale principium operationis vitalis, mediantibus potentijs; ita gratia habitualis est operationis meritoriæ principium radicale; charitate, alijsque virtutibus mediantibus, tanquam principijs immediatis Et sic gratia habitualis operatur formaliter, & cooperatur efficienter.

628. *Gratia excitans est gratia actualis, quâ mens excitatur à somno peccati, vel torpore spirituali.* Excitatur, inquam, à morte peccati, ad vitam gratiæ: vel à torpore spirituali, quo cessat ab operatione salutari, incitatur ad illam: item à simili torpore, quo tepidè, & remissè operationem salutarem exercet, incitatur ad illius intensionem, & feruorem.

629. *Gratia adiuuans est gratia actualis, mentem excitatam roborans, in boni voliti executione.*

Gratiæ excitantis effectus est mentis spiritualiter mortuæ resuscitatio: illiusue cessantis, aut torpentis incitatio ad boni spiritualis volitionem, per virium ministrationem.

Gratiæ adiuuantis effectus est corroboratio volitionis boni, & cum libero arbitro cooperatio ad illius voli-

ti executionem.

630. DD. Augustinus, Prosper, Fulgentius, & alij, agentes contra Pelagianos, de iustificatione peccatoris, à lapsu; restrictiùs hic loquuntur. Vnde iuxta eundem D. Augustinum, libro de gratiâ & libero arbitrio cap. 5.

631 *Gratia operans est ea, qua sola efficit primam boni salutaris volitionem in homine auerso.* Similiter

632. *Gratia excitans est ea, qua mentem Deo mortuam excitat; & in eâ auersâ, conuersionis volitionem efficit.* Contra comitantem, siue adiuuantem condistincta.

633. *Gratia subsequens est gratia actualis, mentem adiutam confirmans, & in opere salutari constantem perseuerantemque reddens.*

634. Gratiæ subsequentis effectus, est perseuerantia, & confirmatio in gratiâ.

635. Gratia antecedens siue præueniens subdiuiditur in gratiam sanitatis, siue naturæ integræ, ante lapsum; & in gratiam medicinalem Christi redemptoris, à lapsu.

636. * Siue, iuxta D. Augustinum libro de correptione & gratiâ cap. 11. & 12. & alibi sæpè, in adiutorium *sine quo non*, & adiutorium *quo*. Vnde allegato cap. 12. ait: *Adiutoria distinguenda sunt aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit: & aliud est adiutorium, quo aliquid fit.* Itaque sensu Augustiniano,

637. *Adiutorium ante lapsum est illud sine quo bonum salutare non fit; & non quo fit.*

638. *Adiutorium post lapsum est illud, sine quo bonum salutare non fit, & quo fit.* Consequenter iuxta D. Augustini sequaces,

Gratia sanitatis, ante lapsum; siue

639. *Gratia naturæ integræ est gratia actualis præueniens, dans menti posse elicere actus supernaturales, si velit: non autem vt velit.*

Gratia medicinalis Christi redemptoris, siue

640. *Gratia naturæ lapsæ est gratia actualis, operans velle, & perficere,* pro bonâ voluntate Dei. Philipp. 2. Humanum arbitrium reddens verè liberùm: illud à

concupiscentiæ dominatione liberans; & ab ignorantiâ infirmitateque sanans. Vnde naturæ integræ gratia expectabat nutum liberi arbitrij, vt cum eo concurreret ad boni salutaris volitionem, & operationem; naturæ lapsæ gratia liberum arbitrium viribus attenuatum & inclinatum determinat ad actum salutarem; operans in eo velle, & perficere.

Iuxta sequaces D. Thomæ, explicans D. Augstinum,

641. Gratia sanitatis ante lapsum, siue *Gratia naturæ integræ est gratia præueniens, in creaturâ integrâ operans volitionem boni salutaris.* IN CREATVRA intellectuali, negatiuè immeritâ.

642. Gratia medicinalis Christi redemptoris, siue *Gratia naturæ lapsæ est gratia præueniens sanatiua, in creaturâ corruptâ operans volitionem boni salutaris.* SANATIVA vulnerum spiritualium naturæ humanæ, corruptæ per peccatum. Vide n. 234.

643. Horum D. Thomæ sequacium ratio est, quia Deus, tam ante, quàm post lapsum, est prima causa, primusque motor: ideoque intimè & immediatè operatur omnes causarum secundarum motiones, volitiones, & operationes: non ab illis determinationem suæ operationis accipiens; sed ipse causas omnes ad agendum determinans. Præcipuè liberum arbitrium, per diuinam suam gratiam: *comitante, non ducente; pedissequâ, non præuiâ voluntate*, vt loquitur D. Augustinus epistola 106. Ne scilicet *in donis Dei, nos priores faciamus, posteriorem ipsum*, ait idem lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. Vnde verificantur etiam in homine integro, ante lapsum, Scripturæ Rom. 2. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* 1. Cor. 4. *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* & cap. 12. *Qui operatur omnia in omnibus.* & Philip. 2. *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntate.*

Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursùm est, descendens à patre luminum.*

644. Eadem gratia antecedens, siue præueniens, potest etiam subdiuidi in sufficientem tantùm, & effi-

facem. Istam sufficientem, & quidem proximè sufficientem quidam agnoscunt tantùm in statu naturæ integræ: alij in statu etiam naturæ lapsæ eam agnoscunt, vnà cum remotè sufficiente. Ista autem

645. *Gratia sufficiens proximè est gratia præueniens, cuius virtute voluntas redditur proximè potens ad volendum bonum salutare*, quod non vult. REDDITVR, &c. Sufficienter ex parte diuini principij actiui, antecedenter necessarij, voluntas creata redditur vltimatè & completè potens ad producendam actualitatem volitionis salutaris.

646. *Gratia sufficiens remotè est gratia præueniens, cuius virtute voluntas redditur in actu primo potens ad volendum bonum salutare:* non tamen in actu secundo; sed insuper est opus alio diuino principio actiuo, scilicet gratiâ efficace. In actu secundo

647. *Gratia efficax est gratia præueniens, physicè determinans voluntatem, ad boni salutaris volitionem.* PRÆVENIENS, antecedens, excitans, operans, cum reliquis suis synonimis. PHYSICE, reali influxu, non naturali necessitate,

648. * DETERMINANS VOLVNTATEM, ad operationem applicans illam, fortiter, & suauiter; ita vt non lædat illius libertatem. Nam *Deus attingens à fine, vsque ad finem fortiter; ac disponens omnia suauiter*, Sapientiæ 8. attemperat motionem suam causis secundis, à se motis. Vnde mouens liberum arbitrium, relinquit illi libertatem suam, & facultatem, quâ possit non agere. Vnde Prosper libro 2. de vocatione gentium cap. 27. & 28. ait: *Quod Deus voluit eos velle, voluerunt, qui ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, vt a perseueraturis, illam mutabilitatem, qua potest nolle, non auferat.* AD BONI SALVTARIS, cui volendo datur, & ad quod proximè à Deo ordinatur, absolutâque voluntate, ab eo intenditur: non autem semper ad boni vlterioris volitionem, ad quod gratia efficax remotè vltimoue ordinatur, tum ex se, tum ex Dei voluntate antecedente, Augustinus libro de

correptione & gratiâ cap. 12. vocat *Adiutorium quo fit, propter quod datur.* Vnde euenit quòd gratia sit efficax v. g. conuersionis ad fidem; non autem obseruationis mandatorum diuinorum, nec perseuerantiæ: quorum respectu est inefficax, vacua, & in vacuum recepta.

649. *Gratia efficax in actu primo, est ea, quæ priùs naturâ, quàm voluntas eliciat boni salutaris volitionem; habet in se virtutem faciendi vt velit.*

650. *Efficacia gratiæ est virtus diuina realis, impressa voluntati, ipsam determinans ad boni salutaris volitionem*: eandemque cum ipsâ operans, tanquam principium effectiuum. Realis, & non moralis tantum, internè suasoria, alliciens, & congrua, cum præuisione secuturi consensûs voluntatis, in indifferentiâ suâ relictæ. Cùm enim volitio boni salutaris, sit effectus physicus, & realis; requirit causam efficientem realem per se, & habentem ad hunc effectum, vim sufficientem: qualem voluntas creata non habet.

Ex definitione Concilij Palæstini, contra Pelagium, actualis

651. *Gratia datur ad singulos actus* salutares: quales sunt, non tantùm actus iustorum, vitæ æternæ meritorij; sed & pœnitentium, disponentes ad iustificationem. Non sufficit itaque iusto gratia habitualis ad operandum: sed est ei insuper opus gratiâ actuali, quâ moueatur ad salutariter operandum.

652. D. Augustinus epistolâ 107. ad Vitalem, inter duodecim propositiones, & sententias capitales, de quibus catholica fides non dubitat, ponit in primis tres sequentes.

Scimus gratiam Dei, non omnibus hominibus dari,

Et scimus, eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari.

Et scimus eis quibus non datur, iusto iudicio Dei, non dari.

653. Axioma illud, *Facienti quod in se est, Deus non deest; nec denegat gratiam*, est catholicum, intelle-

ctum hoc primo sensu, Iusto facienti, per auxilium diuinum actuale, quantum est in se; Deus non deest in ijs, quæ sunt necessaria ad perseuerantiam. Quia (vti post scripturam 2. Paralip. 15. & Psal 36. & Augustinum lib. de naturâ, & gratiâ cap. 26. ait Tridentinum sess. 6 cap. 11.) *Deus suâ gratiâ semel iustificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* Item intellectum hoc secundo sensu, facienti quod in se est, per gratiam actualem, Deus non denegat habitualem.

654. Idem axioma, alio duplici sensu intellectum, est falsum. Primò, Facienti quod in se est, per solas naturæ vires, Deus certâ lege, infallibiliter dat gratiam actualem, aut habitualem, intuitu eiusmodi operum. Et hic sensus est Pelagianus. Secundò, Facienti quod in se est, per solas naturæ vires, Deus certâ lege, infallibiliter dat gratiam, ex misericordiâ, & merâ liberalitate suâ; ad positionem eiusmodi operum, tanquam ad conditionem sine quam non. Et hic sensus est etiam falsus.

655. *Facere quod est in se, est facere tantum, quantum quis potest*, iuxta latitudinem virium, quas habet, naturales aut supernaturales.

656. *Status puræ naturæ est considitio naturæ humanæ, considerata in meris suis naturalibus, absque gratiâ, & peccato.* CONSIDERATAE, & ex suppositione, sic creatæ quoad corpus & animam.

657. *Status naturæ integræ est conditio naturæ humanæ, cùm iustitiâ originali creatæ.*

658. *Status naturæ lapsæ est conditio naturæ humanæ, iustitiâ originali priuatæ, &* Adami peccato vitiatæ.

659. *Status naturæ reparatæ est conditio naturæ humanæ, iustitia per Christum restitutæ.*

De Donis Diuinis.

GEneraliter loquendo,

660. *Donum diuinum est quid naturale, vel supernaturale, liberaliter à Deo datum.*

Donum diuinum latiùs patet virtute: nam gratia ha-

bitualis, & actualis, & gratiæ gratis datæ, sunt dona Dei, & non sunt virtutes.

661. *Donum Spiritûs-Sancti est habitus supernaturalis, cum Charitate infusus animæ, ut instinctum diuinum promptè sequatur.* Siue, *est qualitas supernaturalis, quâ homo benè disponitur ad extraordinariam inspirationem diuinam promptè recipiendam, & exequendam.* EXTRAORDINARIAM excellentioris actûs INSPIRATIONEM.

662. Sunt septem præcipua dona Spiritus-Sancti: *Spiritus sapientiæ, & intellectûs: Spiritus Consilij, & fortudinis: Spiritus scientiæ, & pietatis, & timoris Domini.* Isaiæ 11. Spiritus, siue

663. *Donum sapientiæ est quo diuina æternaque contemplamur; & secundùm ea, de rebus omnibus iudicamus.*

664. *Donum intellectûs est quo fidei, scripturæque sacræ æterna mysteria penetramus.*

665. *Donum scientiæ est quo temporalia, ad salutem nostram conducentia cognoscimus.*

666. *Donum consilij est quo prudenter deliberamus & resoluimus quid sit optimun factu, in rebus, Dei gloriam salutemque nostram concernentibus*

667. *Donum fortitudinis est quo firmatur animus in periculis mortis, alijsque rebus terribilibus.*

668. *Donum pietatis est quo* Deo *tanquam patri exhibetur cultus, ipsi debitus.*

669. *Donum timoris est quo auersamur offensam Dei, ut patri; omnemque illius irreuerentiam.* TIMORIS filialis, & reuerentialis.

670. *Beatitudo euangelica est virtutis opus eximium, conferens in præsenti inchoatam beatudinem; & singulariter disponens ad æternam.* Eiusmodi beatitudo numeratur octuplex apud Matt. c. 5.

671. *Fructus Spiritûs est actus humanus supernaturalis, delectabilis, auxilio Spiritûs-Sancti productus.* Eiusmodi fructus numeratur duodenarius ab Apostolo Galat. 5.

672. *Donum perseuerantiæ est speciale auxilium diuinum, dans iusto actualem, sine interruptione, continuatio-*

nem iustitia, vsque in finem vitæ.

673. *Perseuerantia est actualis continuatio in iustitiâ, absque interruptione, vsque in finem vitæ.* ABSQVE INTERRVPTIONE : vnde Perseuerantiæ terminus à quo, non est semper primo-prima hominis iustificatio : sed illa, à quâ deinceps non excidit iustus.

674. Hæc Perseuerantia coincidit cum generaliter sumptâ confirmatione in gratiâ ; quâ *confirmat iustos Dominus*, Psal. 36. Specialiter autem sumpta confirmatio, superaddit presèuerantiæ, quandam inflexibilitatem ad peccatum. Itaque.

675. *Donum confirmationis in gratiâ est auxilium diuinum, reddens iustum in gratiâ stabilem ; & absolutè, aut secundùm quid impeccabilem.*

676. *Confirmatio in gratiâ est corroboratio iusti in iustitiâ suâ ; & ad peccandum inflexibilitas, absoluta, vel secundùm quid.*

677. Hæc confirmatio in gratiâ est duplex : vna à principio intrinseco, quâ quis ità firmatur, vt non possit omninò peccare : scilicet ab vnione hypostaticâ, & visione beatificâ. Alia est partim à principio intrinseco, scilicet à perfectione gratiæ, virtutumque infusarum : partìm ab extrinseco, scilicet ab auxilio diuino, assistentiâque particulari continuâ. Quod vtrumque fuit in Beatissimâ Mariâ, quoad peccata mortalia, & venialia : etiam in animabus Limbi, & Purgatorij. Quoad mortalia autem fuit in Apostolis, post Pentecosten.

678. Sunt quatuor gradus impeccabilitatis : primus ex naturâ propriâ, soli Deo competens : secundus ex supposito diuino, competens Christo, ratione vnionis hypostaticæ : tertius ratione statûs beatifici, competens beatis : quartus ratione confirmationis in gratiâ, competens viatoribus, eiusmodi dono præditis.

679. Sine reuelatione diuinâ, nemo potest certitudine fidei scire se gratiam Dei esse consecutum, se prædestinatum, se perseueraturum, se in gratiâ confirmatum : vti constat ex Trid. sess. 6. cap. 9. 12. & 13. Seclu-

est de certitudine morali.

680. *Reuelatio diuina est obscura veritatis manifestatio, à Deo facta creaturæ intellectuali.*

681 *Certitudo est infallibilitas assentûs, conformiter se habentis ad rem intellectam*

682. *Certitudo fidei est infallibilitas assensûs, circa obiectum indubiæ veritatis, propter authoritatem primæ veritatis reuelantis.*

683. *Certitudo absoluta est infallibilitas assenisûs, versantis cir-*

684. *cà obiectum indubiæ veritatis.* INFAILIBILITAS firmitasque assensûs, absque oppositi formidine: nam ordinarie sic accipitur certitudo, vt inuoluat firmitatem; & vt teneat se primariò ex parte intellectûs, assentientis obiecto firmiter, & absque formidine oppositi. Vnde D Th. in 3. dist. 26. q. 2. a. 4. ait: *Certitudo est firmitas adhæsionis virtutis cognitiuæ ad suum cognoscibile.*

685. *Certitudo moralis est assensûs infallibilitas, probabiliter æstimata:* ob authoritatem, rationemue prægnantem; ita vt non subsit verisimilitudo dubitandi de veritate obiecti.

De Iustificatione.

686. I*Vstificatio est iustitiæ acquisitio.* Siue, *est mutatio, quà quis fit iustus.* IVSTIFICATIO passiua, receptioque iustitiæ. MVTATIO, id transitus entis ab vno termino in alium. QVIS, angelus, vel homo, FIT IVSTVS, per gratiæ primæ infusionem, vel per infusæ intensionem.

687. Iustificatio habet duos terminos: vnum à quo alterum ad quem: & pro solito more mutationis, denominatur non à termino à quo, sed ad quem; & ab acquisitione nouæ formæ: vti & calefactio, dealbatio, &c. Itaque iustificatio pro termino à quo habet vel iustitiæ priuationem, vti iustificatio peccatoris: vel meram & simplicem negationem iustitiæ absolutè, vti iustificatio angeli, & primi hominis: vel nega-

tionem iuſtitiæ intenſioris, vti iuſtificatio ſecunda. Pro termino ad quem habet iuſtitiam, eamque primam, vel ſecundam.

688. *Actiua iuſtificatio eſt actio, quâ Deus iuſtam facit creaturam intellectualem*: angelum vel hominem reddit iuſtum formaliter, per gratiæ habitualis infuſionem: vel efficienter, per gratiæ actualis motionem.

689. *Paſſiua iuſtificatio eſt iuſtitiæ receptio.*

690. *Iuſtificatio prima eſt infuſio iuſtitiæ in ſubiectum, eâ carens*, per meram negationem, vel priuationem.

691. *Iuſtificatio ſecunda eſt infuſæ iuſtitiæ intenſio.* Hæc ſecunda, æquè ac prima, vocatur Iuſtificatio: quia formæ admittentes gradus intenſionis, habent incrementa homogenea: & earum intenſio ſortitur idem nomen, cum ipsâ introductione.

692. Iuſtificationis primæ ſpecies eſt iuſtificatio peccatoris, ſiue ſit à ſolo peccato originali, ſiue ab actuali ſolo, ſiue ab vtroque.

Itaque à ſolo peccato originali, cumulatoue actualibus,

693. *Iuſtificatio impij eſt tranſlatio hominis, à ſtatu iræ, in quo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ,* & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum, ſaluatorem noſtrum, inquit Trident. ſeſſ. 9. cap. 4. Impij autem adulti, ratione vtentis

694. *Iuſtificatio eſt peccatorum remiſſio, & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*: vnde homo ex iniuſto fit iuſtus; & ex inimico amicus; vt ſit hæres, ſecundùm ſpem, vitæ æternæ: inquit idem Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. Cæterùm generaliter loquendo,

695. *Iuſtificatio impij eſt mutatio, quâ quis ex iniuſto fit iuſtus.* Iuſtificatio quatenùs eſt gratiæ infuſio, fit in inſtanti, quatenus autem eſt impij diſpoſitio præuia ad iuſtitiæ infuſionem, ordinariè eſt ſucceſſiua. Hoc poſteriori ſenſu, ſancta ſynodus Tridentina *declarat ipſius iuſtificationis exordium, in adultis, à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratiâ, ſumendum eſſe.* Seſſ. 6. cap. 5.

696. *Huius iustificationis* (eâdem sess. 6. cap. 7.) *vnica formalis causa, est iustitia Dei: non quâ ipse iustus est; sed quâ ipse nos iustos facit.* Hæc verò iustitia, quâ præcisè constituitur quis formaliter iustus, est simplex & vnicus habitus gratiæ sanctificantis: vti innuere videtur Trid. eâdem sess. 6. can. 11. Quâ autem constituitur completè iustus, est complexio plurium habituum; scilicet virtutum theologicarum, & moralium infusarum, ac donorum, constituentium vnicam completam formam iustificationis. Gratia quidem dando esse diuinum; virtutes autem, ordinando animæ potentias ad operationem meritoriam. Et hoc est conforme Tridentino eâdem sess. 6. cap. 7.

De Merito.

Generaliter acceptum

697. *Meritum est opus, præmio supplicionè dignum.*

Propriè acceptum

698. *Meritum est opus bonum, præmio dignum, ex iustitiâ, vel decentiâ.* PRÆMIO, siue retributione, commensâ ad æquiualentiam operis meritorij. EX IVSTITIA, vti meritum de condigno: VEL DECENTIA, vti meritum de congruo. Nam meritum diuiditur in meritum de congruo, & de condigno: & hoc subdiuiditur in meritum de condigno rigorosum, & ordinarium.

699. *Meritum de congruo est opus bonum, retributione diuinâ dignum, ex decentiâ, & gratuita liberalitate:* non ex obligatione iustitiæ. RETRIBVTIONE: per quam partem, meritum de congruo distinguitur à nuda oratione, & petitione obtinente effectum petitum; qui illius intuitu conceditur per modum meræ impetrationis, & non retributionis, compensationis, aut præmij liberalis: vti fit in merito de congruo. Quo, inter cætera, peccator pœnitens potest primam gratiam sanctificantem, & peccatorum remissionem mereri sibi; iustus etiam alteri. EX GRATVITA LIBERALITATE, &c. quâ parte distinguitur à merito de condigno.

700. *Meritum*

700. *Meritum de condigno rigorosum est opus bonum, cui merces debetur ex perfecto rigore iustitiæ.* CVI, ex ipsius operis, operantisque dignitate, MERCES DEBETVR. Eiusmodi est meritum Christi, quod ex dignitate operis & operantis, absolutè habet æqualitatem ad mercedem; absque vllà gratiâ merenti factâ. Quæ facta quidem fuit humanitati Christi, non tamen supposito merenti: quod erat diuinum, & cuius erant actiones. Ordinarium

701. *Meritum de condigno est opus bonum, cui ex suâ, operantisque dignitate, merces debetur ex iustitiâ*: non tamen ex illius rigore perfecto. Nam origo meriti prouenit à gratiâ habituali, & actuali. Eiusmodi merito iustus meretur vitam æternam.

702. Ad hoc meritum de condigno requiruntur & sufficiunt duæ conditiones: prima, vt opus ex se, & ex operante habeat dignitatem, mercedi commensam: secunda, vt sit conuentio soluendæ mercedis, sub præstatione operis. His enim positis, oritur in operante ius ad mercedem: & in pa-

703. ciscente, obligatio illius persoluendæ. * Interim maioris explicationis gratiâ, duæ præfatæ conditiones possunt resolui in quinque. Primò, vt opus sit bonum, Deoque obsequiosum: 2. vt sit voluntarium, & liberum: 3. viatoris: 4. factum ex gratiâ actuali, & ab existente in habituali: 5. vt præcesserit diuina promissio de mercede retribuendâ. Itaque 1. *opus bonum, Deoque obsequiosum.* Opus inquam, id est voluntatis actus elicitus, vel imperatus. Vnde ad concupiscendum tentati, omissio concupiscentiæ, non erit meritoria; nisi directè vel indirectè sit voluntaria. *Bonum* ex obiecto, nullâ circunstantiâ vitiatum: ex obiecto saltem formali siue ex fine operantis. Cuiusmodi est comestio, ambulatio, similisue operatio indifferens in specie moris, relata ad honorem Dei. *Deoque obsequiosum*, factum ad Deum demerendum & deuinciendum. Nam ad meritum etiam de congruo, requiritur vt opus fiat expresse, vel implicitè in obsequium illius, à quo expectatur retributio: aliàs deforet vel apparen

prætextus illius expectandæ ab eo, cui demerendo nihil præstitum sit. 2. *Voluntarium, & liberum* à coactione, & naturali necessitate: id est, spontaneum, & liberum quoad exercitium. 3. *Viatoris*, personæ tendentis ad terminum ęuiternitatis. Qualis est homo viuens in corpore mortali, conditione mortali; vnde per priorem partem excluduntur existentes in purgatorio: per posteriorem, Enoch & Elias; qui viuunt absque labore, concupiscentiâ, cibo, somno, & eiusmodi conditione mortali: ideoque habent suspensionem meriti, vsque in aduentum Antichristi. 4. *Factum ex gratia actuali*, vt opus meritorium ab eâ participet condignitatem ad mercedem: *& ab existente in habituali*, vt operans sit filius Dei, & filiationis dignitas reddat opus, condignum mercede. 5. *Vt praecesserit diuina promißio de mercede retribuenda*: quia hoc meritum de condigno, parit iustitiæ debitum: quo non potest Deus, seclusâ promissione, obligari creaturæ suæ: quæ se, suaque omnia ei debet, titulo creationis, redemptionis, & seruitutis: à quo etiam vires merendi habet gratuitò acceptas: cui nihil dare potest, quin ab eo acceperit; & in eius dominio manserit.

704. *Merces est quid commensum, & ex iustitia repensum operi meritorio.*

705. *Mercenarius est operans principaliter intuitu mercedis.*





BREVIARII THEOLOGICI

PARS SECVNDA SECVNDÆ.

1. ECVNDÆ secundæ obiectum est Deus, quatenus finis hominis, acquirendus per media: scilicet per virtutes theologicas, cardinales, religionem, sacrificium, contractus legitimos, &c.

De virtute.

VIrtus potest variè definiri.

2. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.* DISPOSITIO, qualitas perfecta, benè disponens suum subiectum, & inclinans ad actum optimum. Itaque Virtus est habitus operatiuus, benè dispositiuus PERFECTI, suppositi intellectualis, potentijs & facultatibus naturalibus completè instructi.

3. * AD OPTIMVM, ad actum bonum: qui respectiuè est quid optimum: respectu inquā potentiæ, & habitûs. Nam potentia est quid bonum, habitus est quid melius, actus ab iisdem elicitus, est quid optimum, in genere causæ finalis. Actus enim est finis, & complementum potentiæ, & habitûs operatiui: cùm vtraque ordinentur ad actum: & habitûs operatiuus non dicatur bonus, nisi quia inclinat ad actum bonum. Quamuis ergo potentia, & habitus, in ratione principij, & causæ

efficientis præcellant actum; ipse tamen præcellit in genere causæ finalis: secundùm quam consideratur ratio bonitatis.

4. Itaque hic *dispositio* non est qualitas condistincta contrà habitum: siue, non est primæ speciei qualitas imperfecta, facilè à subiecto amouibilis: sed est habitus, & qualitas perfecta. Idque conformiter Aristoteli 5. Metaph. c. 20. dicenti.

5. * *Habitus est dispositio, qua aliquid benè, aut malè se habet ad se, vel ad aliud,* ad operationem scilicet. *Benè ad se*, v. g. sanitas, pulchritudo, gratia habitualis, & quicumque bonus habitus essendi. *Malè.* v. g. morbus, turpitudo, macula peccati. *Benè ad operationem.* v. g. iustitia, charitas, & quicumque habitus bonus operatiuus *Malè.* v. g. intemperantia, omnesque habitus vitiosi.

6. Quod attinet ad *optimum*, id est suppositi intellectualis actum bonum imò optimum; ille est duplex: vnus est veri cognitio certa & firma: alter est boni honesti affectio constans, & perfecta, Secundò

7. *Virtus est habitus bonus mentis, quo benè viuitur, & quo nemo malè vtitur.* HABITVS determinans potentiam ad actum, & reddens habilem ad eum. BONVS, benè disponens subiectum ad se, & ad operationem, rectæ rationi conformem: reddens habentem bonum, ipsiusque actum. MENTIS, animæ rationalis, quà talis: quatenùs scilicet est prædita intellectu & voluntate. Nam virtus superadditur his potentijs ad perficiendum earum operationes; intellectionem, inquam, & volitionem: vt sit veri cognitio certa, & firma: & boni honesti affectio constans & perfecta.

8. Itaque subiectum immediatum virtutis est intellectus & voluntas; mediatum, anima rationalis, quà talis; non quà vegetatiua, vel sensitiua. Vnde non potest esse subiectum virtutis, imaginatio secundùm se: quia non potest solido iudicio discernere verum à falso; neque honestum à turpi. Similiter appetitus sensitiuus non potest affici bono, sub ratione honesti: quia non potest ferri extra proprium obiectum, quod est

conueniens ſenſibus; præſcindendo ab ordine ad rectam rationem. Secundùm autem quòd potentiæ illæ inferiores ſubſunt motioni intellectûs & voluntatis: ſic poſſunt eſſe ſubiecta virtutis: vnde eatenûs temperantia acquiſita eſt in appetitu concupiſcibili, & fortitudo in iraſcibili. QVO, tanquam principio proximo & immediato, BENE VIVITVR, vitâ ſecundâ: exercentur inquam operationes vitales, conformes rectæ rationi, & legi æternæ. Quâ parte, à virtutis definitione excluditur habitus eſſendi, vti gratia habitualis: quæ eſt radicale & remotum bonæ operationis principium mediantibus virtutibus infuſis, quæ fluunt ab eſſentiâ ipſius. ET QVO, tanquam principio elicitiuo operationis NEMO MALE VTITVR: imò omnis habens eum, eodem inclinatur ad bonum vſum, & actum. Tertiò

9. *Virtus eſt mentis bonus habitus operatiuus, reddens ſubiectum ſuum, actumque illius bonum.* OPERATIVVS, non merus eſſendi habitus, benè diſponens ſubiectum, ſecundùm ſe tantùm: ſed inſuper inclinans ad actum bonum. Quarto iuxta Tullium, ab Auguſtino approbatum,

10. *Virtus eſt animi habitus, natura, modo, atque rationi conſentaneus.* NATVRAE CONSENTANEVS, conueniens naturæ intellectuali; eique adferens perfectionem. MODO, & menſuræ actuum humanorum conſentaneus: tenens modum illum; non deficiendo ab eo, neque excedendo eum. Nam

Eſt modus in rebus: ſunt certi denique fines:
Quos vltrà, citràque nequit conſiſtere rectum, Ideoque
Virtus eſt medium vitiorum, vtrimque reductum.

RATIONI conſentaneus: conformis rectæ rationi naturali: quæ eſt immediata regula actuum humanorum, eos rectificans.

11. Virtus poteſt diuidi in diuinam, & humanam. Diuina poteſt ſubdiuidi in theologicam, & in moralem infuſam, ſiue chriſtianam, veram, formatam, perfectam. Humana in moralem acquiſitam, & intellectualem; in heroicam, philoſophicam, imperfectam, &c.

12. *Virtus diuina est virtus, diuinitùs infusa, inclinans ad operationem, conformem legi æternæ*; ordinansque ad beatitudinem supernaturalem. Eiusmodi est virtus theologica, & moralis infusa.

13. *Virtus humana est virtus acquisita, inclinans ad operationem rectæ rationi conformem.*

14. *Virtus acquisita est virtus, actuum frequentatione parta*, viribus naturæ.

15. *Virtus infusa est virtus à Deo producta, animæque indita*: & non acquisita viribus naturæ. Item

16. *Virtus infusa est bonus habitus mentis, quò rectè viuitur, & quo nullus malè vtitur: quem Deus in nobis, sine nobis operatur.* SINE NOBIS causantibus & producentibus: non autem sine nobis adultis consentientibus, & disponentibus.

Virtus infusa est duplex: vna per se, alia per accidens.

17. *Virtus infusa per se est virtus, naturâ suâ postulans à Deo produci*, animæque donari: non acquisibilis viribus naturalibus, per actuum frequentationem. Item

18. *Virtus infusa per se, est ea, quæ non potest aliter haberi, quàm à Deo eam infundente*: quia non potest educi è potentiâ subiecti, ab agente naturali. Eiusmodi est virtus theologica, quæ à Deo est producta in animâ, dependenter ab eâ, tanquam subiecto sustentante: non tamen est educta è potentiâ illius. Nam hæc virtutis

19. *Infusio est productio virtutis, non contentæ in potentiâ subiecti, nec inde eductæ; sed eidem necessariò inexistentis.*

20. *Virtus infusa per accidens est virtus à Deo producta, animæque donata; viribus illius acquisibilis*, non tamen acquisita. Eiusmodi foret virtus moralis, inclinans ad operationem merè conformem rectæ rationi naturali; si diuinitùs infunderetur: quæ etiam non differret specie, ab acquisitâ: vti non differt visus, diuinitùs donatus cæco, à visu aliorum videntium.

21. Nihilominùs virtutes morales infusæ, probabiliter specie distinguuntur ab ijsdem acquisitis: quia habent obiectum formale, specie distinctum. Nam infusæ morales pro obiecto habent bonum honestum,

conforme rationi supernaturali, legique diuinæ; ordinatum ad finem supernaturalem. Eædem acquisitæ, pro obiecto habent idem bonum honestum, conforme rectæ rationi naturali; ordinatum ad finem naturalem. Vnde licet vtræque habeant idem obiectum materiale; illud tamen respiciunt sub diuerso motiuo honestatis, & sub distinctâ ratione formali.

22. *Virtus moralis est virtus inclinans voluntatem, ad constantem boni honesti prosecutionem; iuxta præscriptum rectæ rationis.* VOLVNTATEM, siue appetitum rationalem: ideoque vocatur virtus *Appetitui*, ab hoc appetitu rationali, non à sensitiuo: qui per se non potest esse subiectum virtutis, vti diximus num. 8. AD BONI HONESTI PROSECVTIONEM: & consequenter ad mali inhonesti fugam. RECTÆ RATIONIS, naturalis; & tunc est moralis infusa, coinciditque cum virtute vera, christiana & perfecta. Eiusmodi virtus moralis est iustitia, temperantia, fortitudo, &c.

23. *Virtus intellectualis est virtus inclinans intellectum, ad veri assensum & firmum; iuxta præscriptum rectæ rationis.* AD VERI ASSENSVM, & consequenter ad falsi dissensum. RATIONIS, naturalis; & tunc est virtus intellectualis acquisita: vel rationis supernaturalis; & tunc est infusa. Eiusmodi est prudentia, & sapientia,

Virtus intellectualis eatenùs reuocatur ad moralem, quatenùs ad sui perfectionem requirit imperium voluntatis: in quâ subiectatur moralis, & intellectualis in intellectu.

24. *Virtus philosophica est virtus inclinans ad actum, rectæ rationi naturali conformem*: sistendo in merâ illâ conformitate.

25. *Virtus christiana est virtus infusa, inclinans ad actum, rationi supernaturali conformem*; eumque dirigens ad æternam beatitudinem.

26. *Virtus vera est virtus, habens statum perfectæ virtutis, inclinansque ad actum, vitæ æternæ meritorium.* Virtus autem habet statum perfectæ virtutis, quando facit promptè, & delectabiliter operari.

27. *Virtus informis est virtus destituta gratiâ habituali, & charitate*; tanquam sui formâ extrinsecâ

Virtus formata est virtus, gratiâ habituali, & charitate informata: id est, habens illas sibi iunctas, in eâdem animâ.

28. Est enim gratia habitualis, & charitas, omnium virtutum theologicarum, & moralium infusarum forma: non intrinseca (cùm virtutes sint habitus formęque simplices, & vnus habitus non possit esse subiectum alterius) sed extrinseca: quâ scilicet cæteræ virtutes formantur in ratione veræ, christianæ, perfectæque virtutis; earumque actus fiunt meritorij vitæ æternæ. Itaque gratia est forma virtutum, tanquam illarum origo, è quâ fluunt; & à quâ accipiunt condignitatem meriti ad vitam ęternam. Charitas etiam est forma virtutum, quia inclinationi illarum ad suum particulare bonum, superaddit ordinationem ad summum bonum, & finem vltimum: quod est proprium charitatis obiectum. Insuper charitas adiuncta cuicumque virtuti, dat ei statum perfectæ virtutis. Et cùm virtus sit dispositio perfecti ad optimum, singulari ratione charitas dat illam dispositionem; cuiusque virtutis actum bonum referendo actualiter, virtualiter, aut habitualiter in Deum optimum, finemque vltimum: & sic reddens illum meritorium æternæ beatitudinis.

Virtus potest dici imperfecta tribus modis, & totidem perfecta. Primo modo

29. *Virtus imperfecta est virtus informis, destituta gratiâ & charitate.*

30. *Virtus perfecta est virtus, gratiâ & charitate formata*. Secundo modo

31. *Virtus inperfecta est ea, quæ inclinat ad actum bonum; sed habentem non reddit simpliciter bonum*. v. g. prudentia, sapientia.

32. *Virtus pefecta est virtus efficiens habentem, actumque ipsius, bonum*. Siue, *est ea, quæ se habentem coniungit vltimo fini*. Tertio modo

33. *Virtus inperfecta est virtus inclinans ad actum bo-*

uum; firmansque animum contra tentationes tantùm contrarias sibi: sed non contra quascumque alias. v. g. communis & ordinaria castitas, firmans animum habentis, contra tentationes luxuriæ; sed non metûs, infamiæ, turpis lucri, &c.

34. *Virtus perfecta est virtus inclinans ad actum bonum perseueranter continuandum; firmansque animum contra quascumque tentationes irruentes*, etiam virtuti non contrarias. Hæc perfecta virtus includit perseuerantiam: quæ

35. *Perseuerantia est virtus inclinans ad operis boni continuationem*, non obstantibus quibuscumque tentationibus.

Hoc tertio modo accepta virtus perfecta, quadantenùs coincidit cum virtute heroicâ: quæ interim superaddit virtuti perfectæ excellentiam actûs. Nam virtus existens in gradu heroico, siue

36. *Virtus heroica est virtus perfecta, obiecto suo inexpugnabiliter inhærens, producensque actus excellentes.* INEXPVGNABILITER, habens scilicet firmum & inexpugnabile propositum inhærendi obiecto suo; ita vt commodis & *incommodis* omnibus contrarijs illud præferat; nec impelli possit ad illud violandum.

37. *Virtus cardinalis est virtus principalis inter morales, earumque cardo.*

38. *Virtus theologica est virtus infusa, pro immediato obiecto habens Deum, supernaturaliter cognitum.* THEOLOGICA, diuina strictè dicta, condistincta contra diuinam moralem. Vocatur autem theologica, siue *diuina*, primò quia habet Deum pro immediato obiecto: 2. quia à solo Deo infunditur. 3. quia per hanc virtutem, peculiariter efficimur diuinę consortes naturę. 4. quia hac tanquam principio supernaturali, dirigimur ad assequendum Deum, finem nostrum supernaturalem. EST VIRTVS, quia est bonus habitus operatiuus, reddens habentem, actumque ipsius bonum, imò est præcipua virtutum omnium. INFVSA per se, non acquisita, nec acquisibilis per actuum frequentationem, viribus naturalibus. Diuinitùs in-

quam *infusa*, à Deo producta, animæque indita. PRO IMMEDIATO OBIECTO, ad quod directè & terminatiuè tendit; illud attingens immediatè actu suo interno.

39. * HABENS DEVM, pro obiecto materiali; & diuinam perfectionem, Deo identificam, pro obiecto formali v.g. fides habet Deum, vt primam veritatem reuelantem: spes Deum, vt summum bonum nostrum: charitas Deum, vt summum bonum suum. Vnde virtutes omnes theologicæ habent idem obiectum materiale, Deum; distinctum autem formale; ideoque distinguntur inter se: quia vnitas, & distinctio habituum desumenda est ab obiecto formali. SVPERNATVRALITER COGNITVM, Deum consideratum tanquam finem supernaturalem, assequendum virtutibus theologicis, tanquam medijs ad hoc directis.

40. Sunt tres virtutes theologicæ, iuxta Apostolum 1. Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.*

De Fide.

41. FIdes *est virtus theologica, quâ creatus intellectus firmiter assentitur omnibus reuelatis à Deo, tanquam primâ veritate.* QVA, tanquam principio eleuante intellectum, & cum eo producente assensum supernaturalem. CREATVS INTELLECTVS, angelicus, & humanus, FIRMITER ASSENTITVR: nam primæ veritati reuelanti debet adhiberi assensus firmus, absque vllâ oppositi formidine. Quæ formido si deliberatè misceatur assensui, euertet fidem theologicam, & relinquet tãtùm opinionem humanam. OMNIBVS quia si reuelatorum vni, cum pertinaciâ dessentiat intellectus amittet fidem omnium: quia amittet fidei rationem formalem. Id est, desinet assentiri creditis, ideo quia reuelata sunt à Deo, tanquã primâ veritate. Nam si assẽtiretur ijs, ideo quia reuelata sunt à Deo; etiam assentiretur discredito, quia & illud reuelatum est. Ergò creditis assentit, discredito dissentit, quia sic ei lu-

bet: & quia ex cerebri proprij persuasione iudicat illa esse à Deo reuelata, hoc non. REVELATIS, internâ, vel externâ Dei locutione, intimatis simpliciter, & obscurè: id est, sine probatione, & absque euidentiâ. PRIMA VERITATE: eatenus enim Deus est formale obiectum fidei, & ratio credendi: vtpote in quam fit vltima resolutio assensûs fidei. Item

42. *Fides est donum Dei, ac lumen, quo illustratus homo, firmiter assentitur omnibus, quæ Deus reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit: siue in sacris literis illa scripta sint, siue non sint.* DONVM DEI. munus diuinum, superans vires naturę, eique indebitum, datumque gratuito. AC LVMEN spirituale, emanans à sole diuino: quo creatus intellectus illustratur, & ad credendum reuelata iuuatur: vti lumine corporali oculus illustratur, & ab videndum colorata iuuatur. QVO lumine spirituali, *tanquam lucerna lucente in caliginoso loco*, in intellectu humano, igorantiæ tenebris obscurato, ILLVSTRATVS HOMO: generaliter quidem angelus & homo: sed hic particulariter definitur fides, infusa homini. QVAE DEVS REVELAVIT, internâ vel externâ, immediatâ vel mediatâ reuelatione. ET NOBIS PER ECCLESIAM CREDENDA PROPOSVIT: nam Ecclesia, columna & firmamentum veritatis, proponit credenda, omnibus communia; illisque applicat rationem formalem fidei catholicæ, & vniuersalis: de quâ hic agitur, non de particulari priuatæ personæ, cui fit reuelatio diuina. SIVE SCRIPTA SINT, in veteri nouoque testamento; SIVE NON SINT, sed merè contenta in verbo Dei tradito. Item tertiò, iuxta Apostolum Heb. 11.

43. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Id est, Fides est habitus infusus, rebus speratis tribuens subsistentiam in animâ credentis; faciensque illius intellectum, authoritate diuinâ motum, perinde ac demonstratione clarâ conuictum, firmiter assentiri reuelatis obscu-

44. rè, & non apparentibus. * Itaque in sensu causali *Fides est sperandarum substantia rerum*, quia

res ſperatas, futuras licet, nondumque exiſtentes, exhibet tanquam præſentes; dando illis hypoſtaſim in mente fidelium: qui eas tam certas habent, quàm ſi reipsâ pręſentes exiſterent. Eſt etiam elenchus, ſiue *argumentum*, oſtenſio, demonſtratio, & conuictio *non apparentium:* fides enim nixa reuelatione authoritateque diuinâ, in ſeruitutem redigit omnem intellectum; & conuincit illum ad aſſentiendum reuelatis à Deo: non ſecùs quàm ſi euidenti demonſtratione oſtenderentur.

45. Obiectum materiale fidei, quatenùs fidei eſt, non poteſt eſſe viſum, neque ſcitum: quia fides habet ineuidentiam, & obſcuritatem: nam *Fides eſt argumentum non apparentium.* Heb. 11. & 2. Petri 1. comparatur *Lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Hic autem

46. *Viſum eſt quid, ſenſu exteriori perceptum: aut euidenter cognitum, tanquam primò verum.*

47. *Scitum eſt quid euidenter, cognitum per demonſtrationem:* per ratiocinationem, procedentem ex primò veris.

48. *Dogma fidei eſt illius articulus, vel punctum.* Ab articulo diſtinctum.

49. *Punctum fidei eſt propoſitio diuinitùs reuelata, non habens in fide principij rationem*, nec ab omnibus explicitè credenda.

50. *Articulus fidei eſt propoſitio catholica, principij rationem in fide habens, ſpecialemque difficultatem; ab omnibus explicitè credenda.* PROPOSITIO CATHOLICA, ſpectans ad fidem vniuerſalem, communem omnibus fidelibus. PRINCIPII, &c. pertinens ad pręcipua fidei capita, è quibus educuntur concluſiones, & puncta fidei. SPECIALEMQVE DIFFICVLTATEM habens: v. g. hoc dogma fidei, *Chriſtus eſt paſſus*, ſpecialem difficultatem habet, diſtinctam ab hoc, *Reſurrexit à mortuis:* ideoque eſt diſtinctus articulus paſſionis, ab articulo reſurrectionis. Sed quòd ſit *paſſus, mortuus, & ſepultus*, non habet niſi vnam & eandem difficultatem, ac ineuidentiam: ita vt primo puncto ſuſcepto, non ſit intellectui difficile aſſentiri alijs: ideoque

tria ista puncta pertinent ad vnum articulum. EXPLICITE in se, & expressis terminis suis CREDENDA.

51. Articulus fidei dicitur ad similitudinem articuli corporalis. Quemadmodum enim corpus diuiditur in membra, & artus: hi autem subdiuiduntur in minores artus, siue articulos; ita fides diuiditur in mysteria, & dogmata: & hæc partitè subdiuiduntur in articulos.

52. Porrò corporis articulus accipitur dupliciter: primò pro quacumque corporis parte indiuisibili in alias partes, nomine distinctas: secundò pro particulari eiusmodi parte indiuisibili. Primo modo, corporis

53. *Articulus est corporis pars, indiuisibilis in vlteriores partes, nomine vsuque distinctas.* Secundo modo

54. *Articulus est digitus manûs.* Hoc sensu accipitur ab authoribus profanis, & à Daniele capite 5. & 10.

55. *Fides formata est fides, gratiâ habituali, & charitate informata*, tanquam sui formâ extrinsecâ: habens illas sibi iunctas in eâdem animâ, secundùm dicta n. 28.

56. *Fides informis est fides, gratiâ habituali, & charitate destituta.*

57. *Fides viua est fides, que per charitatem operatur*, Galat. 5. Siue, *est ea, quæ producit opera viua, & æternæ vita meritoria.*

58. *Fides mortua est fides operibus charitatis destituta* Nam vt ait Iacobus c. 2. *Fides, si non habeat opera* charitatis, *mortua est in semetipsa. Sicut enim corpus, sine spiritu, mortuum est; ita & fides sine operibus*, à charitate profectis, *mortua est*. Ex quo scripturæ loco conuincitur esse eundem specie, & numero habitum fidei, modò informis, & antea formatæ: quo modo est idem numero corpus, quod modò mortuum est, & ante viuum fuit.

59. *Fide credere est certò & firmiter assentiri obiecto, propter authoritatem primæ veritatis reuelantis.*

60 *Assentiri certò est intellectu adhærere obiecto indubiæ veritatis.*

61. *Assentiri firmiter est intellectu adhærere obiecto, æstimato vero expulsa oppositi formidine.*

62. *Assensus est adhæsio intellectûs, ad obiectum verum:* saltem æstimatum tale.

63. *Assensus certus est adhæsio intellectûs, ad obiectum indubiæ veritatis.*

64. *Assensus firmus est adhæsio intellectûs, ad obiectum, æstimatum verum, expulsa oppositi formidine.*

65. *Assensus verus est adhæsio intellectûs, conformis obiecto;* vti à parte rei se habet.

66. Ex prefatis constat quòd certitudo assensûs propriè se teneat ex parte obiecti, quod est dubiæ veritatis. Firmitas autem se teneat ex parte intellectûs assentientis intrepidè, & absque vllâ oppositi formidine. Nihilominùs certitudo assensûs, sępè ita accipitur, vt inuoluat firmitatem: vti notauimus 1. 2. n. 684.

67. *Formido de opposito est intellectûs hæsitatio, mixta assensui opinatiuo.* Hæsitatio, quâ intellectus expressè, aut virtualiter dubitat ne fallatur, & oppositum sit verum. Interim cùm formido & metus pertineat ad appetitum, & voluntatem; probabiliter poterit dici, quòd

68. *Formido de opposito est actus voluntatis, timentis ne assensui intellectûs subsit falsum.* Ne scilicet verum sit contradictorium propositionis, cui assentitur intellectus.

69. *Credere aliquid explicitè est ei assentiri in se, & in terminis expressis.*

70. *Credere aliquid implicitè, est ei assentui non in se, & in terminis expressis:* sed in præparatione animi; vel in alio, explicitè credito: in quo continetur, tanquam particulare in vniuersali: vel tanquam instrumentum in causâ principali: vel medium in fine: vel figuratum in figurâ: vel assensus discipuli, in sensu magistri fidei. In præparatione animi, quâ quis ratione fidei habitualis, & propriæ dispositionis,

est in animo suo paratus aliquid expresſè credere. Sic tenens B. M. V. esse conceptam in peccato originali, paratus tamen credere contrarium, vbi Ecclesia id definierit; implicita credit eiusdem à peccato originali præseruationem. Similiter qui explicite credit omnia reuelata à Deo, idem implicite credit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, *tanquam particulare contentum in vniuersali*. Et qui explicite credit, in nouâ lege Deum esse iustificatorem; idem implicitè credit Baptismum, *tanquam instrumentum, contentum in causa principali*. Item explicitè credens beatitudinem æternam esse finem vltimum, adultorumque mercedem; idem implicitè credit exercitium bonorum operum, *tanquam medium, contentum in fine*. Et qui explicitè credit agnum paschalem, idem implicitè credit Christum, *tanquam figuratum, contentum in figura*. Et catechumenus aut parochianus explicitè credens esse vera, quæ in materiâ fidei sentit suus catechista, aut parochus; idem, implicite credit articulos fidei, per *assensum discipuli, contentum in sensu magistri fidei*.

71. *Catechumenus est discipulus fidei, voce tradita*. Sine, *est Baptismi candidatus*.

72. *Christianus est baptizatus, Christi fidem doctrinamque tenens*.

73. *Catholicus est baptizatus, vniuersalem fidem christianam profitens*.

74. *Orthodoxus est is, qui rectam doctrinam tenet*.

75. In omni statu naturæ humanæ, integræ, lapsæ, & reparatæ, fuit adultis, necessitate præcepti, & medij. necessaria fides explicita aliquorum articulorum. Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet*, &c. Marci 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*.

76. *Fides explicita est assensus circa obiectum, in se, terminisque suis creditum*: propter authoritatem primæ veritatis reuelantis.

77. *Fides implicita est assensus circa obiectum, non in se, sed in alio creditum*; vel in præparatione animi: vti explicauimus supra num. 70.

De necessario ad salutem.

78. *Necessarium necessitate medij ad salutem est illud; sine cuius concursu & causalitate, salus haberi non potest.*

79. *Necessarium necessitate præcepti ad salutem est illud, sine quo non potest caueri peccatum, salutis impedimentum.*

80. Inter necessarium necessitate medij, & præcepti ad salutem, est multiplex discrimen. Primò necessarium necessitate medij ad salutem, concurrit ad illius assecutionem directè, positiuè, & effectiuè: necessitate autem præcepti necessarium, concurrit indirectè, & negatiuè; amoliendo scilicet impedimentum salutis, peccatum: & consequenter efficiendo ne iustificatio impediatur, vel amittatur. Secundò, inuoluntaria & inculpabilis omissio necessarij necessitate medij, causat iacturam salutis: secus est de omissione necessarij necessitate præcepti tantùm. Tertiò, omissio necessarij necessitate medij, potest esse sine peccato: secùs est de omissione præcepti: quæ formaliter loquendo, semper est peccatum Quartò, in adultis, ex necessitate medij oritur necessitas præcepti, respectu eiusdem obiecti, existentis in illorum potestate: non è conuerso. Quintò, necessarium necessitate præcepti, semper est in nostrâ potestate, saltem remotè: & si desinat esse in nostrâ potestate, consequenter desinit esse necessarium necessitate præcepti: secùs est de necessario necessitate medij. Sexto, necessarium necessitate medij, concernit omnes absolutè: secùs est de necessario necessitate præcepti: quod tantùm concernit vtentes ratione.

81. Est duplex necessarium ad salutem, necessitate medij: vnum absolutè, alterum hypotheticè, & ex suppositione

82. *Absolutè necessarium necessitate medij ad salutem, est quid, ad eam assequendam, diuinitùs ordinatum; ita vt sine illo reipsâ habito, ea obtineri non possit*, secundùm legem Dei ordinariam: quantum libet illo careat quis, absque

absque culpâ suâ. Eiusmodi est fides, spes, charitas, gratia habitualis. Dixi, secundùm legem Dei ordinariam; quia secundùm absolutam Dei potentiam, salus posset obtineri, absque eiusmodi medio: hoc enim non implicat contradictionem. Non absolutè, sed

83 *Hypotheticè necessarium necessitate medij ad salutem, est quid, ad eam assequendam, diuinitùs ordinatum; ita vt sine illo, in se, vel æquiualenti habito, ea obtineri non possit*, secundùm legem Dei ordinariam: quantumlibet illo careat quis, absque culpâ suâ. Eiusmodi est Baptismus fluminis, cuius æquiualens est baptismus flaminis, & sanguinis.

84. *Necessitate præcepti, necessarium ad salutem, est quid, positiuo præcepto diuino requisitum, ad eam assequendam: nisi omissionem illius, excuset causa rationabilis*. Sic ad salutem necessaria est. v. g. restitutio alieni: cuius omissionem excusat impossibilitas, iusta compensatio, & damnificati remissio.

85. *Absoluta necessitas medij ad salutem, est obligatio habendi alicuius, ad eam assequendam, diuinitùs ordinati; ita vt sine illo, actu habito, ea obtineri non possit*, secundùm legem Dei ordinariam: quantum libet quis inculpatè eo careat. Vide n. 82. Non absoluta, sed

86. *Hypothetica necessitas medij ad salutem, est obligatio habendi alicuius, ad eam assequendam, diuinitùs ordinati; ita vt sine illo, in se, vel æquiualenti habito, ea obtineri non possit*, secundum legem Dei ordinariam. Vide n. 83. Vocatur hæc *necessitas hypothetica*, & præfato n. 83. *hypotheticè necessarium*; scilicet supposito quòd non habeatur æquiualens medio necessario: & sic est necessitas ex hypothesi.

87. *Necessitas præcepti ad salutem est obligatio habendi alicuius, ad cauendum præuaricationis peccatum, salutis impeditiuum*: nisi omissionem illius excuset causa rationabilis. v. g. impossibilitas, ignorantia vel inaduertentia inuincibilis, metus mortis, &c. Obligatio promanans à præcepto Dei, vel creati superioris. Habendi, per actionem, vel passionem.

88. Potest statui triplex necessitas alicuius ad salu-

tem. Prima, *medij tantùm*: exempli causâ, gratiæ præuenientis, quæ non est in potestate adulti. Secunda, *præcepti tantùm*, v. g. restitutionis alieni. Tertia, *medij & præcepti*. v. g pœnitentiæ, in adulto peccatore.

89. Præceptum assensûs, internique actûs fidei obligat per se, quando obligatio illius eliciendi oritur directè & immediatè ex ipsâ fide, non aliundè. Idque primò, quando primâ vice fides proponitur sufficienter. Secundò in susceptione Baptismi: & quotiescumque est facienda externa fidei professio: quæ sine interno assensu fieri non potest. Tertiô aliquotiès per vitam: & quidem totiès, quotiès opus erit ad cauendum ne omissio eiusmodi assensûs, censeatur interpretatiuus fidei contemptus. Quartò, quando vrget vehemens tentatio contra fidem; ita vt sit periculum consensûs, nisi tentatus resistat fortis in fide.

90. Præceptum assensûs fidei obligat per accidens, quando obligatio illius eliciendi oritur, non directè & immediatè ex fide; sed ex præcepto alterius virtutis obligantis: ad cuius exercitium est necessarius fidei assensus, saltem virtualis. v. g. præcepto pœnitentiæ, orationis, sanctificationis sabbati, &c. Item quando vrget vehemens tentatio alia, quàm contra fidem: cui succumbendi est periculum, nisi eliciatur assensus fidei.

Actus externus fidei est confessio. Quæ

91. *Confessio est interni assensûs fidei externa manifestatio.*

92. Præceptum confessionis fidei obligat per se, in susceptione Baptismi: & quando quis interrogatur de fide, ab authoritate publicâ, siue iure, siue iniuriâ. Per accidens obligat ratione aliarum virtutum v. g. obedientiæ, si legitimè imperetur à superiore, in susceptione episcopatûs, pastoratûs, canonicatûs, gradûs academici, &c. Ratione religionis, si ex fidelis taciturnitate, honor & cultus Dei periclitetur. Ratione charitatis, si immineat scandalum, vel periculum salutis proximi. Ratione veracitatis, si aliàs immineat periculum mendacij.

Fidei opposita peccata sunt infidelitas, apostasia, hæresis, &c.

93. *Infidelitas negatiua est fidei carentia simplex*, in eo, cui fides non est annunciata saltem sufficienter vt credere possit, & debeat.

94. *Infidelitas priuatiua est carentia fidei, debita inesse* ei cui fides est annunciata sufficienter vt credere possit, & debeat.

95. I*nfidelitas praua dispositionis est error in fide, cum pertinaciâ.*

96. *Error in fide est assensus falsi, in materiâ fidei; vel dissensus veri.* ASSENSVS FALSI, æstimati veri: vel DISSENSVS VERI, æstimati falsi. In hac fidei materiâ,

97. *Apostasia est recessio à christianismo, totâque fide catholicâ*; per acceptationem Iudaïsmi, atheïsmi, turcisini paganismi.

98. *Hæresis est pertinax error in fide.* Siue, *est hominis christianismum profitentis erronea assertio pertinax, contra aliquod dogma fidei.* CHRISTIANISMVM PROFITENTIS, vt excludatur error illius, qui per apostasiam deseruit christianismum: & includatur error non modò baptizati; sed etiam catechumeni, & illius, qui ex paganismo, aut iudaïsmo, immediatè transit ad hæreticos, non baptizantes, saltem validè. ERRONEA, quia hæresis est error in fide. ASSERTIO, quia furtum, fornicatio, simileue factum contra fidei veritatem, non est hæresis: nisi quis asserat illa non esse peccata. PERTINAX, & obstinata: nam si sit præparatio animi ad mutandam sententiam, eamque subijciendam iudicio Ecclesiæ, non erit hæresis. CONTRA ALIQVOD DOGMA FIDEI: nam error in alia materiâ, quàm fidei, non est hæresis: & si foret contra omnia dogmata, esset apostasia Hîc

99. *Pertinacia est obstinata persistentia in sententiâ contra fidem*, post sufficientem veritatis manifestationem.

De Pontifice.

100. P*Ontifex est potens facere.* Siue, *est persona habens legitimam potestatem faciendi*, id est sacrificandi.

101. Pontifex quà talis, habet directè potestatem spiritualem in totam Ecclesiam; & indirectè temporalem. Quia scilicet potestas ipsius extendit se ad temporalia, quatenùs sunt media ad finem supernaturalem: & quia finis potestatis temporalis subest fini spirituali, quem Pontifex debet ex officio curare.

102. Christi vicarius primus, & Ecclesiæ visibile caput fuit B. Petrus: cuius successor est Pontifex Romanus: qui legitimè electus, accipit immediatè à Deo potestatem suam, & est superior Concilio generali omnium orbis vniuersi Episcorum; vtpote totius Ecclesiæ caput.

103. Pontificis ex cathedrâ definientis iudicium de rebus fidei & morum, est infaillibile, iuxta illud Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Similis infaillibilitas est in pontificiâ canonizatione Sanctorum. Quæ

104. *Canonizatio est solennis declaratio sanctitatis, & beatitudinis defuncti.* Siue, *est hominis defuncti relatio in canonem sanctorum*, numerum & catalogum. Itaque Canonizatio est publicum Ecclesiæ testimonium, de sanctitate & beatitudine defuncti; & decretum de exhibendis ei Sanctorum honoribus.

105. *Pontifex definit ex cathedrâ, quando vt Pontifex proponit Ecclesia, in materiâ fidei, & morum, aliquid tenendum, sub pœnâ anathematis.* EX CATHEDRA, non Moysi, sed Christi: id est, ex supremâ authoritate Ecclesiam docendi, acceptâ à Christo. VT PONTIFEX, non vt priuata persona. PROPONIT ECCLESIÆ vniuersali, non dubitanter; sed asseueranter, & certò. IN MATERIA FIDEI, tanquam reuelatum à Deo. ET MORVM, tanquam agibile,

moraliter per se bonum, aut malum; virtuosum, vel vitiosum.

106. Itaque Pontifex ex cathedrâ definiens, non potest errare in qualificatione propositionum fidem concernentium; decernendo v. g. propositionem esse hæreticam, erroneam, &c.

107. *Propositio hæretica est propositio fidei contraria:* & opposita dogmati fidei.

108. *Propositio erronea est propositio, opposita propositioni fidei proxima.*

109. *Propositio temeraria est propositio opposita communi prudentium iudicio,* in materiâ fidei; destituta solido fundamento.

110. *Propositio male sonans est propositio opposita circumspecto sermoni*, in argumento controuerso cum hæreticis.

111. *Propositio periculosa est propositio, ex quâ facilè possunt deduci consequentia contra fidem.*

112. *Propositio errorem sapiens est propositio, quæ non potest excusari à falsitate in fide, nisi futili euasione.*

113. *Propositio scandalosa est propositio nata inducere infirmos in errorem fidei*, & ruinam spiritualem.

114. *Propositio piarum aurium offensiua est propositio, aduersans cultui Dei, sanctorumue.*

De Ecclesia.

IN genere sumpta

115. *Ecclesia est cœtus angelorum & hominum, Dei cultu coadunatus, sub Christo capite.* ECCLESIA comprehendens militantem, triumphantem, & patientem. EST COETVS multitudo adunata, & vocatorum congregatio ordinata. ANGELORVM viatôrum, beatorumque, ET HOMINVM viuentium fidelium; defunctorum, in limbo vel purgatorio existentium; & in cœlo beatorum. DEI veri CVLTV legitimo COADVNATVS. Omnia enim membra Ecclesiæ, vnius veri Dei cultu latriæ, tanquam spirituali compâge, inter se vniuntur. SVB CHRISTO CAPITE mystico. Nam

Deus Pater *proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt--- Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Ephes. 1 *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Colos. 1. *Est caput omnis principatûs, & potestatis.* Coloss. 2.

Ecclesia militans accipitur duobus modis; latè, & strictè. Latè accepta comprehendit omnes fideles legis naturæ, veteris, & nouæ. Sic accepta.

116. *Ecclesia militans est cœtus hominum eiusdem veri Dei cultu, fideique professione coadunatus, sub capite Christo,* legitimisque superioribus, sacramentis, sacrificijs, ac cæremonijs. MILITANS, spiritualiter pugnans contra salutis suæ hostes, mundum, carnem & dæmonem; auxilioque diuino eos vincere satagens. LEGITIMISQVE SVPERIORIBVS, &c. quamuis diuersis. Nam superiores, sacramenta, sacrificia, & cæremoniæ erant diuersa in lege naturæ, Mosaicâ, & Euangelicâ. Huiusque ecclesiæ militantis membra erant, non tantùm Iudæi (stante etiam lege Mosaicâ) sed & Melchisedech, cum suâ familiâ; Iob cum filiis numerosâque progenie; aliarumque gentium fideles, non agnoscentes pro religionis superiore Pontificem synagogæ; nec vsurpantes cæremonias iudaïcas.

Strictè sumpta, nouæque legis

117. *Ecclesia militans est cœtus hominum, eiusdem Dei cultu, fideique professione coadunatus, sub Christi vicario, Pontifice Romano.* FIDEIQVE eiusdem, quoad dogmata, sacrificium, & sacramenta, PROFESSIONE, tanquam spirituali compâge COADVNATVS. SVB CHRISTI semper viuentis, supremumque ac sempiternum sacerdotium habentis VICARIO; Christi vices gerente, non successore.

118. *Ecclesia patiens est cœtus animarum fidelium, sub Christo capite, patiens pœnam damni tantum, vel sensus simul.* COETVS veri Dei cultu, fideque coadunatus. ANIMARVM corpore solutarum. FIDELIVM, præditarum habituali actualique fide, necdum euacuatâ per visionem beatificam, quam sperant. PATIENS, & propriè satispatiens, toleransque pœnam promeritam

adæquatam. Patiens inquam, vel POENAM DAMNI
TANTVM, non sensûs inflictam ab igne, alioue exter-
no cru-
119. ciante. * Qualem pœnam damni, animæ
existentes in limbo, & sinu Abrahæ patiebantur, ex
carentiâ visionis beatificæ; & ex illius dilatione affli-
gebantur, tolerabantque hos inferni dolores, vt lo-
quitur Actor. 2. D. Petrus. Sed (iuxta Lucæ 16.) mi-
stos consolatione futuræ beatitudinis, cum perfectâ
subiectione voluntatis suæ, ad diuinam. Patiebantur
inquam, donec eò descenderet Christus; & *solutis do-*
120. *loribus inferni*, eos bearet. * Huic Patrum
cœtui accensendus venit exiguus numerus animarum
Purgatorij, nullam amplius patiens pœnam sensus;
sed in vestibulo Paradisi consistens. VEL SENSVS
SIMVL, quam pœnam damni & sensus, animæ Purga-
torij ordinariè patiuntur.

121. *Ecclesia triumphans est cœtus angelorum, hominumque beatorum, Dei cultu coadunatus in cœlo, sub capite Christo.*

122. *Schisma est baptizati discessio ab vnitate Ecclesiæ*, retentâ christianæ fidei professione.

123. *Schismaticus est baptizatus, separans se ab vnitate Ecclesiæ:* capitis scilicet, aût membrorum.

124. Iuxta Clementem Alexandrinum, & Augustinum, Ecclesia est instar humani corporis animati. Illius anima est fides, spes, charitas, & dona Spiritus-Sancti: corpus est externa professio fidei, communio Sacramentorum, agnitio Romani Pontificis, tanquam capitis. De animâ tantùm, sunt catechumeni, habentes votum Baptismi, fidem, spem, & charitatem. De corpore tantùm, sunt hæretici occulti. De corpore & animâ sunt baptizati iusti.

125. Ab Ecclesiâ nouæ legis excluduntur primò omnes infideles, turcæ, iudęi, hæretici aperti, & apostatę: quia non habent fidei christianæ professionem. Secundò catechumeni, & excommunicati; quia non habent eorumdem sacramentorum communionem: ad quæ isti non sunt admissi: hi sunt dimissi. Tertio sciss-

matici, quia non ſubdunt ſe Romano Pontifici abſolutè, vel non cum hierarchicâ ſubiectione ad legitimos ſub eo epiſcopos: vti fecerunt Donatiſtæ, deficientes à Cæciliano Carthaginienſi.

126. Sunt quatuor præcipuæ notæ Eccleſiæ nouæ legis: *vna*, *ſancta catholica*, & *apoſtolica*.

127. *Nota Eccleſiæ eſt ſignum externum, quo vera Chriſti Eccleſia dignoſcitur, & à profanis cætibus diſtinguitur.*

128. *Vna*, in ſe indiuiſa: quia membra illius ſunt inter ſe, & cum capite vnita. Item *Vna*, vnica: quia non ſunt plures Eccleſiæ, neque permanenter, neque ſucceſſiuè: eſt enim â tempore Chriſti, imò ab initio mundi, vſque ad finem, idem eccleſiæ corpus cōtinuum; per partes, abſque interruptione, ſibi ſuccedentes.

129. *Sancta*, quia caput ipſius Chriſtus, eſt ſanctus ſanctorum: quia fides, doctrina, eique conformes mores; ſacrificium, ſacramenta ſunt ſancta: in eâ ſolâ eſt vera ſanctitas: omnes qui in eâ ſunt, vocati ſunt ſancti; id eſt, vocatio omnium illorum eſt ad ſanctitatem.

130. *Catholica*, vniuerſalis vniuerſitate temporum, locorum, & hominum. *Temporum*, quia à ſui inſtitutione, vſque ad mundi conſummationem, omni tempore durat. *Locorum*; quia eſt per totum orbem ſucceſſiuè diſperſa. *Hominum*, quia complectitur omnis nationis homines,

131. *Apoſtolica*, quia apoſtolorum prædicatione fundata, illorum fidem doctrinamque inuiolatam tenet: quia apoſtolorum principi Petro, eiuſque legitimo ſucceſſori Romano Pontifici, continuâ ſucceſſione adhæret.

De conciliis.

132. *Concilium eſt congregatio præſulum eccleſiaſticorum, legitimâ authoritate conuocatorum, ad tractandum de rebus Eccleſiæ grauioribus.*

133. *Concilium œcumenicum eſt congregatio epiſcoporum vniuerſæ Eccleſiæ, à Pontifice conuocatorum, grauioris rei tractandæ causâ*: eodem Pontifice, per ſe, vel legatos, præſidente.

134. *Concilium nationale est congregatio episcoporum totius regionis, à patriarchâ, vel primate conuocatorum.* REGIONIS, regni scilicet, aut nationis; continentis plures episcopos, & archiepiscopos.

135. *Concilium prouinciale est congregatio episcoporum, & prælatorum vnius prouinciæ, à metropolitano conuocatorum.* PROVINCIÆ rectæ ab vno archiepiscopo, siue metropolitano.

136. *Concilium diœcesanum est congregatio prælatorum & presbyterorum vnius diœcesis, ab episcopo conuocatorum.* Vtimur hic terminis Concilij nationalis, prouincialis, & diœcesani, ad sensum nomenclaturæ modernæ: antiquitùs fuit nonnulla in illis variatio.

De traditione.

GEneraliter, & indistinctè sumpta

137. *Traditio est doctrina, ab vno alteri communicata, viuâ voce, vel scripto.* Sic accipitur 2. Thessal. 2. *Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Et Actor. 6. *Mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.*

Distinctè, contra doctrinam scriptam, sumpta

138. *Traditio est doctrina, viuâ voce communicata, & in posteros transfusa.*

139. Habitâ ratione materiæ, potest in nouâ lege statui triplex traditio; fidei, rituum, & morum.

140. *Traditio fidei est viuæ vocis doctrina fidei, in posteros transfusa.*

141. *Traditio rituum est viuæ vocis doctrina cæremoniarum Missæ, sacramentorum, & sacramentalium, in posteros transfusa.*

142. *Traditio morum est viuæ vocis doctrina festorum, ieiuniorum, & obseruantiarum salutarium; in posteros transfusa.*

Conformiter explicandæ sunt traditiones legis naturæ, & Mosaïcæ.

143. Habitâ ratione authorum, iterum est triplex traditio: diuina, apostolica, & ecclesiastica.

Traditio diuina est ipsum verbum Dei traditum, & non scriptum. Siue

144. *Traditio diuina est fidei doctrina, diuinitùs hominibus reuelata, & ab ijs viuâ voce transfusa in posteros:* absque scripto authoris hagiographi. Eiusmodi traditio fuit remedium, diuinitùs institutum, contra peccatum originale, in lege naturæ pro omnibus; & in Mosaïcâ, pro femellis,

145. Hæc traditio diuina est duplex: vna externa, altera interna; pro modo reuelationis, exteriùs vel interiùs factæ: significante idipsum Concilio Trid. sess. 4. in decreto de canonicis *libris scriptis*, & *sine scripto traditionibus: quæ ab ipsius Christi ore, ab Apostolis acceptæ; aut ab ipsis Apostolis, Spiritu-Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt.* Et infra ait se suscipere *Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenùs à Christo, vel à Spiritu-Sancto dictatas, & continuâ successione in Ecclesiâ catholicâ conseruatas.* Itaque

146. *Traditio diuina externa est fidei doctrina, ore Christi exteriùs reuelata Apostolis; & ab ijs, viuâ voce fidelibus transfusa*, absque scripto authoris hagiographi. Eiusmodi est doctrina de materiâ, formâ, ministro quorundam sacramentorum: de numero illorum: de baptismo infantium, &c.

147. *Traditio diuina interna est fidei doctrina, à Spiritu-Sancto interiùs dictante reuelata Apostolis; & ab ijs, viuâ voce transmissa fidelibus*, absque scripto authoris hagiographi. Eiusmodi est doctrina de inuocatione Sanctorum: de cultu sacrarum Imaginum: de perpetuâ virginitate B. Mariæ, &c.

148. De vtrâque hac traditione diuinâ ait Apostolus 1. Thess. 2. *Cùm accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum; sed (sicut est verè) verbum Dei.*

149. *Traditio apostolica est obseruantia sacra, vel salutaris, ab Apostolis viuâ voce transmissa fidelibus; ad ritus religiosos, moresue fidelium formandos.* Prioris membri exemplum sunt cæremoniæ Missæ, Sacramentorum,

&c. Posterioris, est obseruatio diei dominicæ, quadragesimæ, &c.

150. *Traditio ecclesiastica est obseruantia salutaris, quæ sensim obtinuit vim legis, vel spontanea consuetudinis.* OBSERVANTIA ab antiquis ecclesiæ prælatis, vel populo christiano introducta. OBTINVIT VIM LEGIS v. g. iejunium quatuor temporum: obseruatio festorum: abstinentia à carnibus, ouis, lacticinijs, &c. SPONTANEÆ CONSVETVDINIS laudabilis v. g. vsus & mos formandæ crucis, aspersionis aquæ benedictæ, cinerum, &c.

De Spe.

AD maiorem elucidationem spei theologicæ, præmittenda est definitio spei naturalis. Itaque

151. *Spes est efficax desiderium absentis boni, ardui, possibilis: cum fiduciâ illius assequendi.* Quia est *efficax desiderium*, differt à velleitate, & amore simplici: quia *boni*, differt à timore: quia *absentis*, à gaudio: quia *ardui*, ab appetitûs concupiscibilis cupiditate: quia *possibilis*, à desesperatione. Item

Spes est motio appetitûs, bonum absens, arduum, possibile, efficaciter prosequentis; cum fiduciâ assecutionis MOTIO, operatio, quâ agens se reducit de potentiâ ad actum. APPETITVS, tam sensitiui irascibilis, quàm rationalis. BONVM per se, siue ens conueniens, sui gratiâ appetibile. ABSENS, non adeptum, nec possessum; ad quod spes dicit tendentiam, & anhelationem: sicut è diuerso gaudium, delectatio, & fruitio dicit quietem in bono adepto, & possesso ARDVVM, difficilè adeptu; tamen POSSIBILE adeptu, viribus proprijs, alienoue auxilio. EFFICACITER PROSEQVENTIS, efficaci desiderio ad illud bonum anhelantis, & cum electione medij necessarij. CVM FIDVCIA ASSECVTIONIS: aliàs sequeretur desponsio animi, & desperatio; si fiducia abforet. Spes accipitur pro habitu, actu, obiecto: item pro eo, à quo bonum speratur, tanquam principali authore, Deo: vel merente, Christo: vel impetrante, B. Mariâ. Cæterùm infusa & diuina.

152. *Spes est virtus theologica, quâ beatitudini æternæ, per ordinata media assequendæ fiducia habetur.* VIRTVS, habitus bonus, reddens habentem, actumque ipsius bonum. THEOLOGICA, diuinitùs infusa, pro immediato obiecto habens Deum, vt summum bonum nostrum; cuius possessione beandi sumus. QVA, tanquam principio supernaturali, elicitiuo operationis, eleuante voluntatem ad actum supernaturalem. BEATITVDINIS ÆTERNÆ obiectiuæ: siue Dei, vltimi finis nostri, possidendi per visionem beatificam, formalemque beatitudinem. PER ORDINATA à Deo MEDIA ASSEQVENDÆ: nam hæc spes theologica est desiderium efficax finis vltimi, per media assequendi. FIDVCIA HABETVR. Quæ

153. *Fiducia est promptitudo voluntatis, orta ex persuasione assequendi boni*, & superandi mali. PROMPTITVDO, actus voluntatis, expeditæ à diffidentiâ, torpore, alioue impedimento. ORTA EX intellectûs persuasione superandi difficultates omnes in adipiscendo bono arduo, & simili malo vitando. Item theologica.

154. *Spes est virtus diuinitus infusa, per quam certâ cum fiduciâ, nostræ salutis, & æternæ vitæ bona expectantur.* DIVINITVS INFVSA per se: quia non est acquisibilis viribus naturæ; nec potest aliter haberi, quàm à Deo, eam infundente animæ. PER QVAM, tanquam elicitiuum principium operationis supernaturale. CERTA, certitudine non fidei, neque absolutâ; sed morali, excludente hæsitantiam, & fluctuationem inordinatam. Est autem spei theologicæ fiducia, certa ex tribus capitibus. Primò ex obiecto, quod est infallibile & certissimum. Secundò ex modo tendendi in idem obiectum: nam spes voluntatem inclinat & dirigit in rem speratam, non hæsitanter, diffidenter, & formidolosè; sed promptè, confidenter, & certò. Quemadmodum enim nauis fundatur & stabilitur per anchoram; ita & sperantis animus per *spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam* Heb. 6. Tertiò ex suppositâ fide omnipotentiæ Dei, miseri-

cordiæ, promissionis, veracitatis, & auxilij: quod iuramento pollicitus est nobis, ad assequendas res speratas: vti vrget Apostolus Heb. 6. & 11. affirmans quòd *fides est sperandarum substantia rerum*. Vnde quod fidelis credit in communi per fidem; idipsum in particulari sibi applicat sperans, per fiduciam. Itaque certâ CVM FIDVCIA expeditâ promptitudine voluntatis. NOSTRÆ SALVTIS bona expectantur: scilicet gratia diuina actualis, & habitualis; sacramenta, merita, perseuerantia, omniaque assequendæ beatitudinis media: quæ sunt secundarium spei obiectum. Et ÆTERNÆ VITÆ BONA, beatitudinis cælestis. Hæc enim beatitudo obiectiua, siue Deus, vt summum bonum nostrum, cuius possessione beandi sumus; est primarium spei obiectum, EXPECTANTVR: ista salutis nostræ, vitæque æternæ bona, non ex proprijs viribus; sed ex auxilio diuino obuentura spectantur. Nam

155. ***Exspectare est futurum quid, ex alio obuenturum spectare.*** Vnde non omnis spes est exspectatio: sed tantùm illa, quæ est boni, auxilio alterius obuenturi. Illa autem, quæ est boni, proprijs viribus adipiscendi, non est propriè exspectatio.

156. Spei theologicæ obiectum materiale primarium, est beatitudo obiectiua: id est, Deus visione beatificâ possidendus, & fruendus. Secundarium autem obiectum est omne medium assequendæ beatitudinis: quod vt tale speratur propter bonitatem finis.

Eiusdem spei obiectum formale, iuxta D. Thomam, est auxilium diuinæ potestatis, & pietatis: secundum alios est increata bonitas Dei. Nam spes fertur in Deum, summum bonum nostrum, sub ratione formali bonitatis.

157. ***Sperare est boni ardui obtinendi fiduciam habere.***

158. ***Spes viua est spes animata gratia habituali,*** & charitate.

Aliter vocatur spes formata. Hæc autem

159. ***Spes formata est spes gratiâ habituali, & charitatè informata:*** id est, habens iunctam gratiam, & charita-

tem, tanquam sui formam extrinsecam: iuxta præcedentem n. 28. Spes enim, & quecumque alia virtus formatur à charitate, & gratiâ: quia constituitur in esse perfectæ virtutis; & ipsius actus sit de condigno meritorius vitæ æternæ.

160. *Spes informis & mortua est spes destituta gratiâ & charitate.* Hæc spes informis, est reuera virtus: quia est habitus inclinans ad actum honestum, sub ratione honesti: & formaliter est principium actûs moraliter boni. Non est tamen perfecta virtus: quia habentem non coniungit vltimo fini.

Peccatum oppositum spei per defectum, est desperatio. Hæc autem

161. *Desperatio est actus appetitûs, fugientis bonum absens, tanquam impossibile adeptu.* APPETITVS irascibilis sensitiui, vel rationalis. IMPOSSIBILE absolutè, vel moraliter, id est nimis difficile adeptu: & consequenter apprehensum vt incommodum, & sub ratione mali. Spei theologicæ opposita

162. *Desperatio est diffidentia beatudinis per media assequenda.* Siue, *est diffidentia assequendi beatitudinem, mediauè ad illam.* Itaque est duplex desperatio: vna est diffidentia versans circa ipsam beatitudinem: alia circa media, necessaria ad illam assequendam. Hæc autem

163. *Diffidentia est animi desponsio, orta ex persuasione impossibilitatis assequendi boni, malíue vitandi.*

Quia Deus est spei theologicæ obiectum, tendentia in illud non potest esse excessiua; neque potest quis nimis sperare in Deo: sed modus tendendi in Deum potest esse excessiuus; quia scilicet per media inordinata. Sic spei per excessum opposita

164. *Præsumptio est temeraria expectatio beatitudinis, mediorumue illius.* TEMERARIA, inconsulta, futilis, malèque fundata. Temeraria inquam, ex duobus capitibus præcipuè scilicet innitendo nimium proprijs viribus; vel innitendo inordinatè diuinæ misericordiæ, & potentiæ

165. Spes fertur in Deum, amore concupiscentiæ;

eique afficitur in commodum proprium: idque ex ordinatissimo instituto Dei, quo se nobis proposuit tãquam summum bonum nostrum, vltimunque finem. Itaque per spem non referimus Deum ad nos, tanquam ad finem; sed illum nobis appetimus, tanquam nostrum vltimum finem. Et consequenter illius adeptionem, visionem, fruitionemque beatificam, nos, nostraque omnia referimus ad ipsum: quia vltimi finis gratiâ, omnia alia fiunt.

166. Præceptum spei obligat per se, quando necessitas eliciendi actûs spei, oritur directe & immediate ex ipsius præcepto, non aliunde. Vti quando quis initio vsûs rationis, vel prædicationis fidei, sufficienter illuminatur circa supernaturalem beatitudinem. Item quando vrget periculosa tentatio contra spem: & per vitam toties, vt moraliter loquendo omissio actûs spei, non censeatur esse interpretatiuus contemptus summi boni nostri.

167. Præceptum spei obligat per accidens, quando necessitas eliciendi actûs spei oritur non immediate, & directe ex ipso precepto spei; sed aliunde: scilicet ex præcepto alterius virtutis obligantis, ad cuius exercitium est necessarius spei actus; saltem virtualis: v.g. præcepto contritionis, orationis, sanctificationis sabbati, &c. Item quando vrget vehemens tentatio, alia quàm contra spem; cui succumbere est euidens periculum, nisi eliciatur actus spei, ad illam superandam.

De timore.

CVm ad eandem virtutem pertineat boni prosecutio, & fuga mali contrarij; ideo ad spei considerationem spectat timor, definitus 1, 2. n. 125. & 178. Itaqu

168. *Timor est motio appetitus, malum imminens auersantis* EST MOTIO, appetitûs sensitiui irascibilis passio: vel appetitûs rationalis affectio. MALVM absens, arduum, imminens, saltem apprehensum vt tale.

Timor vnus est mundanus, alius seruilis, initialis, filialis, & reuerentialis.

169. *Timor mundanus est motio voluntatis, malum temporale fugientis, mediante peccato.* Siue, *est fuga temporalis mali, per offensam Dei.* Nam hoc mundano timore perculsa voluntas, resoluta est offendere Deum, ad amoliendum temporale malum

170 *Timor seruilis est motio voluntatis: fugientis peccatum, vt pœna causatiuum.* Siue, *est fuga peccati, vt pœna causatiui*: non vt offensæ Dei.

171. *Timor seruilis cum seruilitate est fuga peccati, vt pœnæ causatiui: cum affectu illius committendi, si hæc abesset.*

172. *Timoris seruilitas est æstimatio pœna peccati, præ culpa: & resolutio huius committenda, si illa abesset.*

173. *Timor seruilis absque seruilitate, est fuga peccati, vt pœna causatiui; sine affectu illius committendi, si hæc abesset.*

174. *Timor initialis est fuga peccati, vt mali culpæ; secundariò vt causatiui pœnæ.* INITIALIS, sic dictus, quia competit incipientibus ambulare viam mandatorum Domini: qui partim ducuntur virtutis amore, partim formidine pœnæ. Et quia *Initium sapientiæ, timor Domini*, Psal. 110. Timor castus, siue

175. *Timor filialis est motio voluntatis, auersantis offensam Dei, vt patris*, & ab eo separationem.

176. *Timor reuerentialis est motio voluntatis, in cultu diuino indecentiam sollicitè cauentis.* INDECENTIAM, agendi modum, minùs decentem diuinam maiestatem & propriam colentis submissionem.

De Charitate.

177. CHaritas *est virtus theologica, quâ Deus propter se diligitur: & proximus, propter Deum.* EST VIRTVS, quia est habitus bonus, reddens habentem, actumque illius bonum. Estque perfecta virtus, quia habentem coniungit fini vltimo; datque perfectionem alijs virtutibus, tanquam illarum forma. Imò est omnium

omnium virtutum excellentissima, tam in genere naturæ, quoad physicam suam entitatem, & perfectionem in esse habitûs : quàm in genere moris, quoad moralem honestatem, & bonitatem. THEOLOGICA, habens Deum, pro immediato obiecto. QVA, tanquam principio elicitiuo supernaturali voluntati superaddito. DEVS PROPTER SE, non propter bonitatem accidentalem, essentiæ diuinæ superadditam : sed propter suam bonitatem essentialem : quæ scilicet bonitas, est essentia diuina, & Deus ipse : DILIGITVR, volendo ei suum summum bonum, & complacendo in eo. Diligitur, inquam, Deus ex toto corde, ex totâ mente, ex totâ animâ, ex omni virtute. ET PROXIMVS, quæuis creata persona intellectualis, particeps aut capax æternæ beatitudinis, *diligitur* complacendo in bono, quod habet; & desiderando ei bonum quod nondum habet. Diligitur, inquam, à nobis; sicut nos diligimur à nobis ipsis. PROPTER DEVM, propter essentialem bonitatem diuinam, participatam à proximo, & relucentem in eo.

178. *Diligere aliquem, est ei velle bonum* : in eo complacendo, si adsit; eiuè desiderando, si absit.

179. *Diligere*, & *amare*, passìm accipiuntur vt synonima : Ciceroni tamen, alijsque purioris Latij authoribus *Amare* est ex merâ beneuolentiâ diligere valdè.

180. *Diligere Deum, est ei velle summum suum bonum*, & in eo complacere : *propter se*, propter essentialem suam bonitatem. Nam Deus est diligendus, non propter bonitatem accidentalem, essentiæ suæ superadditam : sed propter suam bonitatem essentialem : quæ scilicet est suamet essentia diuina, & Deus ipse.

181. Est insuper diligendus propter se, non propter aliud, tanquam finem : quia ipse est vltimus finis, aliò non referibilis ; cuius gratiâ omnia alia fieri debent.

182. *Diligere Deum super omnia, est eum præponere omnibus* : amicitiam illius præferendo omnibus bonis : & omnia mala postponendo offensæ illius.

183. *Diligere Deum ex toto corde, est eum sincerè, &*

perfectè diligere. In verbis *ex toto corde*, includuntur ver-
ba sequentia *ex tota mente, ex totâ anima*, &c: equæ ad-
duntur maioris explicationis, & emphasis gratiâ. Si
autem accipiantur vt condistincta; tunc *ex toto corde*,
est idem, quòd ex totâ voluntate: *ex totâ mente*, intel-
lectu: *ex totâ animâ*, appetitu sentiuo: *ex omni virtu-
te*, siue *ex omnibus viribus*, siue *ex totâ fortitudine*, pro
virili, ex omnibus potentijs & facultatibus interiori-
bus & exterioribus; ita scilicet vt voluntas, intel-
lectus, appetitus sensitiuus irascibilis & concupiscibi-
lis; omnes sensus interiores & exteriores sint Deo sub-
diti; inque nihil ferantur, quod non sit conforme legi
diuinæ.

184. *Noster proximus est quauis creata persona intel-
lectualis, æterna beatitudinis particeps, vel capax.* PARTI-
CEPS, vti angelus, homoque beatus: CAPAX, vti ani-
ma purgatorij, homoque viator. Vnde proximus no-
ster non est dæmon, nec damnatus: quia per decreto-
riam Dei sententiam vterque est à beatitudine exclu-
sus: quam proinde illi charitate velle non possumus.

185. *Diligere proximum est ei velle bonum*, per affec-
tum beneuolentiæ, & effectum beneficentiæ. BONVM
beatitudinis æternæ, & media ad illam: bonum illud
desiderando proximo, si non habet & in eo complacen-
do, si habet.

186. *Diligere proximum, propter Deum,, est proximo
velle bonum, propter essentialem bonitatem diuinam*, ab
eo participatam, & in eo relucentem: tanquam beati-
tudinis participe, aut capace.

187. *Diligere proximum, sicut seipsum est eum dilige-
re adinstar sui.* Vti quis sibi benè vult, & benè facit, se-
cundùm animam & corpus; ita etiam proximo benè
velit, & benè facit, secundum animam & corpus; ita
etiam proximo benè velit, & benè faciat, præstando
illi affectum effectumque salutarem.

188. Itaque *Sicut* hìc non significat æqualitatem,
sed similitudinem: & sui dilectio est exemplar & re-
gula dilectionis proximi, non è diuerso. Et quia re-
gula est potior eo, quod illi commensuratur; hinc

consequens est, quòd vnusquisque debeat se magis diligere, quàm proximum. Itaque in hoc præcepto implicite mandatur dilectio sui, tanquam exemplar, & mensura dilectionis proximi.
Cæterùm charitas hominis ad seipsum, non est proprie amor amicitiæ, qui tendit in alterum: sed est quid amicitiâ maius, quod est forma amicitiæ creatæ. Quæ

189. *Amicitia est reciprocus amor beneuolentia.* Siue, *est plurium mutua beneuolentia.* PLVRIVM, vt minimùm duorum, MVTVA & reciproca BENEVOLENTIA, volitio boni, in commodum amati. Beneuolentia, inquam, mutua; fundata in peculiari communione sanguinis, religionis, patriæ, ciuitatis, eruditionis, militiæ, &c.

190. Charitatis obiectum materiale est Deus, nos ipsi, & proximus noster: formale est essentialis infinita bonitas diuina: quæ est Deus ipse. Et consequenter charitas nostri, & proximi, est virtus theologica; vtpote habens Deum pro immediato obiecto formali. Quod quia vnicum est, ideo est vnicus habitus charitatis: nam vnitas diuersitasque habituum desumenda est ab vnitate diuersitateque obiecti formalis.

191. Hìc *bonitas diuina* non est vnicum particulare attributum diuinum; sed absolutissimum complementum omnium attributorum, & infinitarum perfectionum diuinarum. Ideoque charitas superat omnes alias virtutes, etiam fidem & spem theologicas: quia attingit Deum, sub perfectiori ratione formali. Fides enim illum attingit, sub ratione formali vnici attributi, scilicet primæ veritatis reuelantis. Spes autem sub ratione bonitatis diuinæ, complectentis quidem omnes perfectiones diuinas; non tamen vt infinitas, sed limitatas: quatenus scilicet Deus est summum bonum nostrum, limitatâ visione beatificâ possidendum.
Inter obiecta materialia charitatis, Deus est magis diligendus appretiatiuè, & obiectiuè; non autem necessariò intensiuè.

192. *Diligere vnum plus alio obiectiuè, est ei velle maius bonum*: ei desiderando illud, si absit: & in eo complacendo, si adsit.

193. *Diligere vnum plus alio appretiatiuè, est illud pluris æstimare*, & maiori in precio habere.

194. *Diligere vnum plus alio intensiuè, est ei bonum velle conatu maiore*, & amore feruentiore.

195. Charitatis habitus inclinat suppositum suum, ad diligendum Deum, magis quàm seipsum, & proximum, obiectiuè, & appretiatiuè: non autem intensiuè. Quia est simplex habitus, æquè intensus, vt respicit proximum, ac Deum: ideoque æquali pondere mouet voluntatem, ad actualem vtriusque dilectionem; secundùm totam suam latitudinem habitualem (quod clarum est in beatis, Deum & proximum sic diligentibus:) actibus tamen in perfectione disparibus, & modo vtrique proportionato; ita scilicet vt Deus diligatur super omnia, & proximus vt nos ipsi.

196. Charitas est forma extrinseca omnium aliarum virtutum, quia eas format in esse veræ perfectæque virtutis, dando illud esse: imperando etiam illarum actus, referendoque ad proprium suum obiectum, Deum; reddit eos, vitæ æternæ meritorios Est enim charitati proprium, tanquam reginæ virtutum, & versanti circa vltimum finem, imperare actus aliarum virtutum. Hoc autem

197. *Imperium charitatis est applicatio virtutum, ad eliciendos, actus, ex motiuo charitatis*, affectuque vltimi finis.

198. Nihilominus inferiores virtutes possunt imperare actus charitatis, virtutumque superiorum: id est, Voluntas potest sibi, alteriue potentiæ imperare, vt eliciat actum charitatis, alteriusue virtutis superioris, ad assequendum finem virtutum inferiorum, ipsasue virtutes inferiores. Tunc enim

199. *Virtus vna imperat actum alterius, quando voluntas se, aliamue potentiam applicat ad producendum actum secunda, ex motiuo prima; ad eam assequendam, eiusue finem.* v.g. castitas imperat actum religionis,

quando volo offerre sacrificium Missæ Deo, ad assequendum castitatem, eiusue finem, id est moderamen affectûs voluptatum carnalium.

200. Est ordo in charitate, & inter illius obiecta materialia, vnum debet præ alio diligi. Scilicet primò Deus super omnia. 2. anima propria. 3. anima proximi. 4. vita, corpusque proprium. 5. vita corpusque proximi. 6. honor, fama, bonaque temporalia propria, exinde proximi. Vnde charitas obligat, vt proximo in extremâ necessitate spirituali constituto succurratur, cum periculo vitæ propriæ. Eidemque proximo, in extremâ necessitate corporali constituto succurratur cum iacturâ bonorum temporalium, statui proprio necessariorum, sed vitæ propriæ superfluorum.

201. Censetur autem proximus esse in extremâ necessitate spirituali, respectu mei; quando nisi eum iuuero, certò ei imminet æterna damnatio: à quâ non potest se eripere, nec est eripiendus ab alio, quantumuis potente & debente. In eiusmodi necessitate foret infans, sine baptismo moriturus.

202. Inter proximos, illi sunt magis appretiatiuè diligendi à nobis, & in necessitate prius iuuandi subsidio spirituali, vel temporali; qui nobis sunt coniunctiores, coniunctione spirituali, carnali, vel ciuili. Iuuandi inquam, per bona spiritualia, vel temporalia, quæ tali coniunctioni respectiuè debita sunt. In coniunctione quidem carnali, hoc ordine pater, mater, filius, coniux (vel, coniux, filius) consanguinei secundum gradum suum: itidem affines: amici, inimici. In coniunctione spirituali, simili ordine: pater spiritualis, filius, frater, &c. In coniunctione ciuili: pater, mater, filius familias, &c. Violatio huius ordinis, in casu necessitatis aliquando foret mortalis, aliquando venialis.

203. Præceptum dilectionis Dei obligat per se, quando necessitas eliciendi actus dilectionis, oritur directè & immediatè ex præcepto charitatis, non aliundè. v.g. primò quando initio vsûs rationis, homo sufficienter illuminatur circa Deum, vt summum

bonum, 2. in articulo mortis. 3. quando vrget vehemens tentatio odij Dei; ita vt sit periculum consensûs, nisi eliciatur actus dilectionis. 4. aliquoties per vitam; & quidem toties, vt omissio dilectionis non possit censeri interpretatiuus contemptus Dei, summè diligibilis. Probabiliter singulis octiduis, conformiter ad institutionem Dei, sabbatum præcipientis, & qualibet hebdomade se coli volentis.

204. Idem præceptum dilectionis Dei, obligat per accidens, quando necessitas eliciendi actûs dilectionis, oritur non directè & immediatè ex præcepto charitatis, sed aliunde. v. g. primò quando elicienda est contritio, actuali charitate perfecta. 2. quando ex obligatione exercendi sunt actus religionis, orationis, &c. 3. quando est euidens periculum succumbendi alteri peccato mortali, quàm contra charitatem; nisi eliciatur actus dilectionis Dei.

205. Præceptum dilectionis proximi, obligat per se, primò post vsum rationis, sufficientemque huiusce obligationis notitiam. 2. in casu necessitatis spiritualis temporalisue proximi. 3. quando proximus petit reconciliationem. 4. quando vrget tentatio inimicitiæ proximi, cum periculo consensûs, nisi eliciatur actus dilectionis. 5. aliquoties per vitam: & quidem toties, vt omissio actus dilectionis non censeatur interpretatiuus contemptus proximi, illiusue tacitum odium.

206. Idem præceptum dilectionis proximi obligat per accidens, quando aliarum virtutum actus, sunt ex præcepto exercendi v. g. correptionis fraternæ, orationis, &c. qui sine actu dilectionis proximi, non possunt debitè exerceri.

207. Quando præceptum charitas obligat per se, tunc omissio dilectionis, est speciale peccatum contra charitatem. Secus est, quando obligat tantûm per accidens: tunc enim est peccatum contra virtutem illam, cuius actus elici debebat: vel coalescit cum peccato, cuius periculo quis se exponit. Idem censendum est, de omissione actuum fidei, spei, &c.

De misericordia, & Eleemosina.

CHaritati affinis virtus est misericordia : & hæc

208. *Misericordia est virtus inclinans voluntatem, ad aliena miseria compassionem, & subleuationem.*

209. *Actualis misericordia est aliena miseria voluntaria compassio, & subleuatio.* MISERICORDIA, sic dicta à miserante corde : quia cor miseretur, constringitur, & dolet de miseriâ alienâ. MISERIAE, nam motiuum misericordiæ, est miseria. COMPASSIO cum patiente passio. Hæc autem

210. *Compassio est tristitia de miseria aliena.* Nam ratione coniunctionis, amicitiæ, & charitatis, malum alienum tanquam proprium æstimamus; ideoque patienti compatimur.

211. *Miseria est malum, voluntati naturaue contrarium.* MALVM, quid disconueniens, & dissentaneum. CONTRARIVM VOLVNTATI actuali, vel ei, quam quis haberet actu, si malum bene perpenderet NATVRAEVE, contrarium rectitudini, commoditatiue naturæ, Vnde patet quòd peccatum sit miseria, & quòd possit esse motiuum misericordiæ. Quod etiam est malum inuoluntarium, ratione ignorantiæ, infirmitatis, tentationis, & reatûs pœnæ æternæ.

212. *Eleemosyna est actus externus misericordiæ, subleuans miseriam alienam,* Est actus imperatus à charitate, quin & ab eâ mediate elicitus, immediate autem à misericordiâ.

Eleemosyna est duplex : spiritualis, & corporalis; pro ratione similis duplicis miseriæ proximi, quæ potest à nobis subleuari. Vtriusque sunt septem opera, comprehensa his versiculis :

213. *Consule, carpe, doce solare, remitte, fer, ora*
Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

214. *Extrema necessitas est eiusmodi status persona, in quo, ex indigentiâ certò periclitatur de vitâ* : nisi ei subueniatur : & quidem à me, quando est extrema necessitas in ordine ad me.

215. *Grauis necessitas est eiusmodi status personæ, in quo, ex indigentiâ notabiliter patitur in vitâ*: ita vt ægre illam sustentet; vel sit periculum incurrendi morbi, notabilisue incommodi, morte minoris

216. *Communis necessitas est eiusmodi status personæ, in quo, ex indigentiâ difficulter victitat.*

217. *Bona temporalia, vitæ necessaria, sunt ea, sine quibus illa sustentari non potest*: ita vt si quis illis careat, ipse vel sui redigendi sint ad extremam necessitatem.

218. B*ona statui necessaria sunt ea, sine quibus decorum personæ seruari non potest*: ita vt si ijs careat, sui suorumue conditionis decentia salua esse nequeat.

219. Bo*na superflua vitæ, vel status, sunt ea, quæ ad sustentationem vitæ vel status necessaria non sunt*: sed eidem superabundant. Hic

220. *Sui sunt personæ, alicui arctè coniunctæ: aut aliæ, ad quarum sustentationem obligatur*, ex iustitiâ vel officio. v. g. parentes, filij, coniux: pupilli respectu tutoris; alumni, &c.

221. In medicis, chirurgis aduocatis, &c. qui in necessitate tenentur gratis mederi pauperibus, causasue illorum suscipere, & iuuare de superfluo; illud superfluum spectandum est ex tempore abundante supra id, quod necessarium est ad acquirenda necessaria vitæ & statui.

222. *Spiritualis extrema necessitas est eiusmodi status alicuius, vt certò sit damnandus, nisi ei subueniatur*, sacramento, sacrificio, oratione, correptione fraternâ, similiue auxilio spirituali.

223. *Spiritualis grauis necessitas est eiusmodi status alicuius, vt certò sit in peccatum mortale lapsurus, nec facilè ab eo surrecturus; nisi ei subueniatur.*

224. *Correptio fraterna est externus actus misericordiæ, quo monitione salutari peccator ad emendationem inducitur*, efficaciter, vel inefficaciter.

225. *Corripere est monitione reprehendere peccatorem*, etiam non secuto effectu emendationis.

226. *Corrigere est efficaciter reprehendere*, cum effectu emendationis.

227. *Correctio fraterna est efficax reprehensio peccatoris*, cum effectu emendationis.

De peccatis contra Charitatem.

VAria sunt pecata contra charitatem : vti odium, inuidia, &c.

Quid sit odium in genere ; quid odium abominationis, & inimicitiæ, videri potest in 1. p. n. 201. 203. 204. & in 1. 2. num. 114. 115. & 116.

Odium Dei, & proximi ; est duplex ; abominationis, & inimicitiæ.

228. *Odium Dei est actus voluntatis, Deum vt disconuenientem auersantis* : saltem apprehensum vt talem.

229. *Odium abominationis* Dei *est actus voluntatis auersantis Deum, vt incommodum sibi*, vel amato ; quem æstimat tanquam alterum se.

230. *Odium inimicitiæ Dei est actus voluntatis, Deo malum optantis, vt ei malè sit.*

231. Odium inimicitiæ ferè oritur ex odio abominationis : qui enim auersatur aliquem, tanquam disconuenientem & incommodum sibi, vel amato; facilè mouetur vt ei malè velit. Sic impius apprehendens Deum, vt sibi contrarium, per suas leges, & pœnas; auersatur illum odio abominationis: quin & odio inimicitiæ, volendo illi malum, & priuationem perfectionum suarum, suique esse.

232. *Odium proximi est actus voluntatis, proximum vt disconuenientem auersantis*: saltem apprehensum vt talem.

233. *Odium abominationis proximi est actus voluntatis, auersantis proximum, vt incommodum sibi*, vel amato ; quem æstimat tanquam alterum se.

234. *Odium inimicitiæ proximi est actus voluntatis, proximo malum optantis, vt ei malè sit.*

235. *Inuidia est tristitia de proximi bono, tanquam malo proprio* ; excellentiæque propriæ diminutiuo.

236. *Æmulatio est tristitia de proximi bono, tanquam proprij boni priuatione:* quia scilicet æmulus non habet eiusmodi bonum.

237. *Nemesis, siue Indignatio est tristitia de bono proximi, tanquam illo indigni.*

238. *Discordia est dissensio voluntatum, aut iudiciorum.*

239. *Contentio est dissentio verborum.*

240. Odium Dei & proximi, ex genere suo est grauissimum peccatum: quia euertit excellentissimam virtutem Charitatem; illiusque rationem formalem. Quia etiam importat directè auersionem à Deo, alia autem peccata tantùm indirectè, & interpretatiuè: scilicet in suâ inordinatâ conuersione ad creaturam.

De bello, & duello.

241. *BEllum est publica armorum assumptio, reipublicæ tuendæ, vindicandæue gratiâ.* BELLVM, sic dictum per antiphrasim, quia minimè bellum. PVBLICA, facta per communitatem, & publicam authoritatem. ARMORVM, sic dictorum ab armis humerisque, vnde dependent gladius, scutum, arcus, tela. TVENDÆ, per bellum defensiuum: VINDICANDÆ, per offensiuum.

142. *Bellum defensiuum est publica amorum assumptio, reipublicæ tuendæ gratiâ:* ne ei iniuria ab hoste inferatur.

243. *Bellum offensiuum est publica armorum assumptio, rei publicæ vindicandæ gratiâ:* vt iniuriâ ab hoste illatâ vindicetur, aut reparetur.

244. Vt bellum sit licitum requiruntur tres conditiones: legitima authoritas, iusta causa, & recta intentio. Si vna illarum desit, erit illicitum: si prima, vel secunda, erit insuper iniustum. Legitima authoritas indicendi bellum defensiuum, est in quouis principe, & republicâ, etiam agnoscente superiorem, indicendi offensiuum, ordinariè tantum est in supremo, non agnoscente superiorem in temporalibus.

245. Bellum potest esse iniustum ex vtrâque parte: si videlicet vna foueat causam iniustam, & altera in-

dicat bellum, sine legitimâ authoritate. Potest etiam bellum esse ex vtrâque parte iustum formaliter, non autem materialiter.

246. B*ellum iustum formaliter tantùm, est bellum legitimâ authoritate indictum; sine causâ iustâ, prudenter æstimatâ tali.*

247. *Bellum iustum materialiter tantùm, est bellum legitimâ authoritate causâque indictum, contra conscientiam erorneam*, practicè dictantem contrarium.

248. *Bellum iustum formaliter & materialiter est bellum legitimâ authoritate causâque indictum, iuxta rectam conscientiam.*

249. *Impignoratio, siue Repræsalia est reipublica læsa, contra lædentem vindicatio, vel compensatio.* LÆSÆ, iniuriâ affectæ in se, vel in suis. VINDICATIO, repensio pœnæ, pro modo culpæ. COMPENSATIO ad æqualitatem. CONTRA LÆDENTEM rempublicam, vel lædentis subditos, etiam innoxios: quibus restitutio fieri debet à noxijs, eorumue superioribus. Monomachia, siue

250. *Duellum est duorum paucorumue pugna ex condicto.* DVORVM, singulare certamen vnius cum vno: v. g. Dauidis cum Goliath. 1. Reg. 17. PAVCORVMVE, v. g. duodecim militum Abner, cum totidiem alijs sequacibus Ioab. 2. Reg. 2. EX CONDICTO, ex prouocatione vnius, & acceptatione alterius.

251. Duellum rarò est licitum, sæpissimè illicitum. Est autem licitum, *Primò* quando est necessarium ad euitandam iniustam mortem, certò imminentem ab inuadente: quia vbi non superest alia via suæ iustæ defensionis, potest quis se exponere periculo mortis, vt eandem certam iuiustamque euadat. *Secundò* quando fit promouendi iusti belli causâ. Sic eiusmodi bellum sequens miles, potest à contrariæ factionis milite oblatum duellum, acceptare; quinet offerre, ad suos animandos, hostesque deterrendos. Quia est hîc quoddam bellum partiale, habens iustitiæ causam eandem, cum bello totali; eundemque victoriæ finem: ad quam hoc duellum est quoddam præludium. Quia

etiam priuatus potest se exponere periculo vitæ, pro boni communis promotione. *Tertiò* quando fit finiendi belli causâ. Sic potest dux imparis debilioris que exercitûs, mutare bellum, ex parte suâ iustum, in duellum acceptatum, vel oblatum, cum duce hostili; quò possit suos seruare ab internecione. Quia cùm hîc habeatur ratio boni communis, quod est sufficiens causa adeundi periculi mortis; cessat malitia duelli. *Quartò* probabiliter quando duo rei, iustè condemnati, componuntur inter se; & per duellum, à iudice constituuntur mutui executores sententiæ; eâ lege, vt victori donetur vitâ.

251. Sæpissimè inquiebam duellum est illicitum: illiusque malitia in eo consistit, quòd vterque duellantium sese conijciat in periculum mortis, sine causâ legitimâ: quòd prodigat vitam suam, & alienam: quòd conetur priuatâ authoritate occidere innocentem, aut saltem indemnatum. Sunt & aliæ malitiæ accessoriæ, vindictæ priuatæ, tentationis Dei, &c. Vnde *Primò* est illicitum duellum, pro ostentatione virium, peritiæ digladiandi, & oblectatione spectatorum: quia finis est vanus; & medium est prohibitum præcepto diuino naturali, & positiuo, *Non occides*: item humano canonico, & ciuili. *Secundò* illicitum est duellum, pro defensione honoris, & euitatione infamiæ imaginariæ; quæ alioquin contraheretur, per recusationem duelli, ab altero oblati. Quia reuera apud cordatos non est infame, sed honorificũ renuere duellum, tanquam repugnans legi diuinæ, & humanæ. Accedit quod imaginaria infamia, etiam apud mundanos possit euitari, dicendo: *Nolo acceptare duellum, quia est prohibitum: sed si me inuaseris, facto senties virum.* *Tertiò* illicitum est duellum, pro vindicandâ iniuriâ illatâ: quia priuata persona absolutè non potest vindicare iniuriam: *Scriptum est enim: Mihi vindicta, & retribuam, dicit Dominus.* Siue: *Mea est vltio, & ego retribuam.* Deut. 32. & Rom. 12. Publica autem persona non potest vindicare, nisi viâ iuris, aut belli vindicatiui: extra casum, tertio loco allegatum præ-

cedenti n. 251. *Quartò* illicitum est duellum, pro criminis imputati conuictione, vel purgatione. Quia præter malitiam communem duelli, subest hic tentatio Dei, secluso instinctu diuino, vti constat ex cap. *Monomachiam*: subest etiam fallacia, quia duellum est fallax medium asserendæ veritatis; cùm contingat innocentem in eo occumbere, vt habetur cap. *Significantibus*. *Quintò* illicitum est duellum, pro tuitione bonorum temporalium: quia cùm vita duorum præponderet bonis externis, non est ex condicto exponenda periculo, pro illis, absque necessitate: nam absque duello, est hîc in promptu simplex defensio, & via iuris.

Dè scandalo.

253. EThymologicè *Scandalum est lapis eminens in via, scandendus, ne sit offendiculo*, & causa lapsûs. *Est offendiculum: ad quod offendit quis pedem suum, & ruit. Est lapis offensionis, & petra scandali.* Isaiæ 8. Rom. 9. & 1. Petri 2.

254. Theologicè *Scandalum est offendiculum spirituale, quo quis offendit, & in peccatum ruit.* OFFENDICVLVM, non lapideum, sed SPIRITVALE, datum & acceptum; vel alterutrum. QVO QVIS, dans & accipiens; vel alteruter OFFENDIT, impingendo non pedes corporis, sed animæ; Deumque ipsum offendit.

Scandalum diuiditûr in actiuum, & passiuum. Et iuxta Tertullianum, libro de velandis virginibus, c. 3. Actiuum

255. *Scandalum est rei malæ exemplum, ædificans ad delictum.* Siue, *est dictum, vel factum, minùs rectum, proximo præbens occasionem ruinæ spiritualis.* DICTVM, VEL FACTVM: item emissio dicti, vel facti. MINVS RECTVM, quod licet per se fortè non sit malum; est tamen tale, defectu alicuius circunstantiæ debitæ. Dicto, vel facto non additur *concupitum*, vti in definitione peccati: quia licet coucupiscentiæ actu interno peccari possit; non potest tamen proximus eo scan-

dalizari, quamdiu non manifestatur externo dicto, vel facto. PROXIMO PRÆBENS, intentione expresſâ, vel interpretatiuâ ſcandalizantis, OCCASIONEM RVINÆ SPIRITVALIS, etiam ſi illa ruina, ſcandalumque paſſiuum non ſequatur. Si prima intentio adſit, erit ſcandalum formale, & directum: ſi ſecunda, erit interpretatiuum. Itaque

256. *Actiuum ſcandalum formale, & directum, eſt dictum vel factum, minùs rectum, quo expreſſè intenditur proximi ruina ſpiritualis*, illiuſque peccatum.

257. *Actiuum ſcandalum interpretatiuum eſt dictum, vel factum, minus rectum: quo implicitè intenditur proximi ruina ſpiritualis.* IMPLICITE, eo ipſo, quo dictum, vel factum, ex ſe vel circumſtantijs tale eſt, vt ſit natum inducere proximum in ruinam ſpiritualem.

258. *Paßiuum ſcandalum eſt proximi ruina ſpiritualis, orta ex dicto, vel facto alterius*: ſæpè minûs recto, ſubinde recto, aut indifferenti: & hoc ſecundum tertiumque patet ex ſcandalo phariſaïco, & infirmorum accepto tantùm.

Scandalum paſſiuum ſubdiuiditur in acceptum datumque ſimul, & in acceptum non datum.

259. *Scandalum paßiuum acceptum datumque ſimul, eſt proximi ruina ſpiritualis, orta ex alterius dicto factoue minùs recto,*

260. *Scandalum paßiuum acceptum tantùm, eſt ruina ſpiritualis, propriâ malitiâ, vel infirmitate, orta ex dicto factoue alterius recto, vel indifferenti.* Si ex propriâ malitiâ, erit ſcandalum phariſaïcum: ſi ex infirmitate, erit ſcandalum infirmorum, acceptum tantùm.

261 *Scandalum phariſaïcum eſt ruina ſpiritualis, propria malitia accepta ex dicto alterius, factoue recto.* PHARISAICVM, ſic dictum à Phariſæis qui ſuapte malitiâ accipiebant occaſionem ſuæ ruinæ ſpiritualis, ex Chriſti dictis & factis rectiſſimis.

262. *Scandalum infirmorum, ſiue puſillorum, eſt ruina ſpiritualis proximi infirmi, ſuapte fragilitate orta ex alterius dicto vel facto.* INFIRMI, imperfecti & procliuis ad peccatum, in quod facilè labitur per propriam

fragilitatem, aut ignorantiam. SVAPTE FRAGILITATE, non propriâ malitiâ, vti Pharisæus; sed infirmitate aut ignorantiâ. EX ALTERIVS DICTO VEL FACTO; eoque recto, vel indifferente: & tunc est scandalum infirmorum, acceptum tantùm: aut dicto factoue minùs recto, habenteque speciem mali: & tunc est scandalum infirmorum, datum & acceptum. Itaque scandalum infirmorum potest subdiuidi in acceptum tantùm, & in acceptum datumque simul.

263. *Scandalum infirmorum acceptum tantùm est ruina spiritualis proximi infirmi, suapte fragilitate orta ex alterius dicto, vel facto recto, aut indifferente.*

264. *Scandalum infirmorum acceptum datumque simul, est ruina spiritualis proximi infirmi, suapte fragilitate orta ex alterius dicto, vel facto minùs recto*, habenteque veritatem aut speciem mali. Hoc sensu accipitur scandalum pusillorum Matth. 18. siue infirmorum 1. Cor. 8. & Rom. 14.

265. Iure diuino naturali & positiuo obligamur ad vitandum scandalum actiuum. Ad vitandum autem passiuum, non est nobis omittendum vllum præceptum: quia tenemur magis vitare proprium peccatum, quàm alienum; vbi non possumus vitare vtrumque. Tamen ad vitandum passiuum ex ignorantiâ, vel infirmitate, tenemur differre opus bonum, non præceptum: & opus vtile, non habens speciem mali; donec cesset scandalum, aut monitus fuerit proximus ne scandalizetur. Si autem monitione factâ, & facti nostri redditâ ratione, scandalum perduret; erit merè acceptum, & non datum. Ad quod cauendum non tenemur omittere opus, non habens mali veritatem, nec speciem; cuius faciendi subest iusta causa:

266. Scandalum actiuum mortale (non tantùm formale, sed & interpretatiuum) est necessariò confitendum, præter actum principalem.

De virtutibus Cardinalibus.

SVnt quatuor virtutes cardinales: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia: iuxta illud Sapien-

tiæ 8. *Sobrietatem, prudentiam docet* (sapientia diuina) *& iustitiam & virtutem: quibus vtilius nihil est in vita hominibus.*

267. *Virtus cardinalis est virtus principalis inter inter morales, earumque cardo* metaphoricus. PRINCIPALIS, tenens primum & principem locum, saltem post Religionem. INTER MORALES, virtutes componentes mores hominum, iuxta præscriptum rectæ rationis. CARDO metaphoricus: cui virtutes.

268. morales innituntur, & in quo firmantur. * Omnis enim virtus debet esse *prudens* in operando, ne degeneret in vitium; per inconsiderationem, aut negligentiam. Debet esse *iusta*; vt reddat Deo, sibi, & proximo, quod cuique debitum est. Debet esse *fortis*, vt constanter recto inhæreat. Debet esse *temperans*, ne excedat modum, à ratione præscriptum.

De prudentia.

IVxta D. Augustinum lib. 1 de libero arbitrio cap. 3.

269. *Prudentia est rerum appetendarum, & fugiendarum scientia.* SCIENTIA, certa notitia singularum actionum, verè honestarum, vt appetantur; & verè inhonestarum, vt vitentur..

Iuxta Aristotelem, *Prudentia est recta ratio agendorum*: id est, notitia directiua actionum humanarum. Itaque

270. *Prudentia est virtus intellectus, qua scitur quid honestum sit, quid turpe*, in quouis negotio occurrente. EST VIRTVS directrix aliarum virtutum: regiâ mediàque viâ eas ducens; & à dextrâ læuâque deflectens, ne ad excessum defectumue exorbitent. INTELLECTVS; in eo tanquam immediato subiecto residens; illiusque intellectionem perficiens in veri assecutione, firmoque assensu. Vnde prudentia est essentialiter virtus intellectualis: accensetur tamen morali virtuti voluntatis, ratione suæ materiæ, & finis: quia tota versatur in cognitione & directione morum: quorum est directiua quamuis non elicitiua per se, sed mediantibus

mediantibus virtutibus moralibus QVA, tanquam principio elicitiuo, SCITVR, certò & firmiter cognoscitur QVID verè *honestum sit*, & agendum: QVID vere *turpe*, & fugiendum. *In quouis negotio occurrente*: in singulis quibusque actionibus humanis obeundis.

271. Prudentiæ sunt tria munia: *benè consultare*; *rectè iudicare*, & *benè dirigere executionem*. Sunt etiam octo functiones prudentiæ, sine quibus non habetur perfectus vsus illius. Scilicet *memoria*, *intelligentia*, *prouidentia*, *ratio*, *docilitas*; *sagacitas*, siue; *solertia*, *circumspectio*, *cautio*. Hîc autem

272. *Memoria est recordatio præteritorum.*

273. *Intelligentia est notitia præsentium, & principiorum moralium.*

274. *Prouidentia est consideratio futurorum euentuum, ex actione sequi natorum.*

275. *Ratio est promptitudo ratiocinandi, & ex vno aliud colligendi.*

276. *Docilitas est affectus, & promptitudo discendi.*

277. *Sagacitas est bona coniectatio.*

278. *Solertia est subita & expedita inuentio medij conuenientis.*

279. *Circumspectio est attenta consideratio circumstantiarum actionis humanæ, ne qua requisita desit.*

280. *Cautio est cura & sollicitudo vitandi omnia incommoda.*

Prudentiæ per defectum opponitur *præcipitatio*, *inconsideratio*, *inconstantia*, & *negligentia*.

281. *Præcipitatio est aggreßio operis, sine debitâ deliberatione.*

282. *Inconsideratio est omißio attentionis debitæ, iudiciumque de medijs, ante illorum examen.*

283. *Inconstantia est sententiæ mutatio, ob nullam, leuemue causam.*

284. *Negligentia est omißio diligentiæ in vrgendâ executione rei deliberatæ, & iudicatæ.*

Prudentiæ per excessum opponitur *prudentia carnis*

astutia, fraus, dolus, sollicitudo temporalium, & futurorum.

285. *Prudentia carnis est diligens excogitatio mediorum, ad implendos instinctus naturæ corruptæ.*

286. *Astutia est ratio aliquid agendi modo subtili, & occulto.* Hic autem *Astutia est notitia prauorum subtiliumque mediorum ad fallendum, cum affectu ea exequendi.*

287. *Fraus est astutiæ executio per facta,* Fraude latius patens

288. *Dolus est astutiæ executio per dicta, vel facta.*

289. *Sollicitudo temporalium est nimia animi occupatio in temporalibus conquirendis, vel conseruandis:* proueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore.

290. *Sollicitudo futurorum est nimia animi occupatio circa futura, cum anxietate, & diffidentia prouidentia diuina.*

De Iustitia.

IN scripturâ sacrâ, *Iustitia* accipitur tribus modis. Primò pro complexione omnium virtutum. Sic accipitur Matth. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Et Psal. 105. *Qui faciunt iustitiam in omni tempore.* Hoc primo modo

291. *Iustitia est complementum virtutum, adæquans subiectum suum ad legem æternam;* reddensque Deo, subiecto suo, & proximo, quod cuique debitum est.

292. Secundò Iustitia accipitur pro misericordiâ, & eleemosynâ: quæ ad iustitiam & sanctitatem disponit peccatorem; & iustum de condigno cumulat iustitiæ augmento. Sic accipitur Matth. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.....Cùm ergò facis eleemosynam,* &c. Et Psal. 111. *Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Hoc secundo modo Iustitia est misericordia, definita n. 208. & 209. siue eleemosyna, definita n. 212.

Tertiò Iuſtitia accipitur pro virtute, reddente alteri debitum ad æqualitatem. Hoc tertio modo

293. *Iuſtitia eſt virtus firmans voluntatem, ad perpetuò reddendum alteri debitum ad æqualitatem.* FIRMANS, tanquam habitus benè diſponens ſubiectum ſuum. VOLVNTATEM perſonæ priuatæ, vel publicæ: AD PERPETVO, non ſemel, aut bis, REDDENDVM ALTERI: nam iuſtitiâ benè diſponit ſubiectum ſuum, in ordine ad alterum; tam priuatum, quàm communitatem. DEBITVM, AD ÆQVALITATEM: nam ſi debitum alteri reddatur non perfectè, nec ad æqualitatem; non ſeruabitur iuſtitia: quæ ſignificat adæquationem.

Iuſtitia vna eſt *particularis*, alia *legalis*, *commutatiua*, *diſtributiua*, & *vindicatiua.* Iuxta Vlpianum, particularis

294. *Iuſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, ius ſuum cuique tribuendi.* Siue, *eſt virtus firmans voluntatem priuati, ad perpetuò tribuendum alteri priuato debitum, ad æqualitatem.* PRIVATI, non perſonæ publicæ, communitatem repræſentantis, vti fit in iuſtitiâ diſtributiua. P*riuati*, inquam, nam hæc iuſtitia particularis, benè diſponit priuatos inter ſe: vel eos, qui ſe habent inſtar priuatorum. ALTERI, non communitati, vti in iuſtitiâ legali: ſed PRIVATO, quà tali; non quà parti communitatis, vti fit in præfatâ iuſtitiâ diſtributiuâ. DEBITVM, ciuile, legale, & ſtrictâ obligatione: non laxâ morali obligatione decentiæ: quale eſt debitum charitatis, amicitiæ, liberalitatis; gratitudinis. AD ÆQVALITATEM, quia iuſtitia importat dati tributique, ad debitum adæquationem, commenſionem, ſiue commenſurationem. Ideoque excluduntur religio, & pietas, ſimileſque virtutes annexæ iuſtitiæ: quarum obiectum, eſt debitum alteri, ita immenſum, vt non poſſit illi ſatisfieri ad æqualitatem. In hac materiâ iuſtitiæ,

295. *Ius eſt iuſtum, & æquale, alteri debitum:* ita vt habeat legitimam poteſtatem ad illud exigendum. Ex hoc iure reſultat aliud: quod

296. *Ius est potestas legitima personæ, in re sibi obligatâ, vel ad rem sibi obligandam.* Et hæc

297. *Potestas legitima est authoritas, diuina humanaue legi consentanea.*

Præfatum secundum ius est duplex: in re, & ad rem.

298. *Ius in re est potestas legitima in re obtenta, tanquam suâ,* sibique obnoxiâ. Ideoque tribuit actionem realem.

299. *Ius ad rem est potestas legitima ad rem obtinendam, sibique obligandam.* Hoc ius non tribuit actionem realem, sed personalem.

300. *Stricta obligatio est ea, cuius violatio constituit iniuriam.*

301. *Iniuria est alieni iuris violatio,* facta sine iustâ causâ: quæ si adsit, iniuria aberit. Vti constat in gladij depositi negatione furioso repetenti: item in casu, quo priuatus spoliatur iure suo, pro bono communitatis. Itaque

302. *Iniuria est actualis iniustitia.* Ipsa autem.

303. *Iniustitia habitualis est praua voluntatis dispositio, acquisita ex actibus iniuriosis,* & ad similes inclinans.

304. *Iustitia commutatiua est virtus tribuens vnicuique quod suum est, seruata æqualitate rei ad rem.* EST VIRTVS, iustitiaque particularis, benè disponens vnum priuatum, ad alium: vel eos, qui se instar priuatorum habent, quamuis sint aliàs personæ publicæ. SERVATA AEQVALITATE, arithmeticâ proportione REI AD REM: dati ad acceptum; precij ad mercem; mercedis ad laborem; rei restitutæ ad sublatam, &c.

305. *Iustitia distributiua est virtus, seruans æqualitatem proportionis, ad proportionem, in diuisione bonorum, onerumue communium* VIRTVS bene disponens communitatem, ad membra communitatis. Communitatem, inquam, vel eum qui illam repræsentat: puta principem, magistratum, superiorem. SERVANS AEQVALITATEM PROPORTIONIS rerum distribuendarum AD PROPORTIONEM qualitatis personarum, secundum quam distribuuntur. Seruans inquam proportio,

nem geometricam. IN DIVISIONE BONORVM COMMVNIVM, officiorum, honorum, dignitatum, beneficiorum; & similium, non merè gratuitorum; sed debitorum membris communitatis. ONERVMVE incumbentium ijsdem: cuiusmodi sunt hospitia hybernaque militum, contributiones indictæ pro modò facultatum, &c.

306. Quando per iustitiam distributiuam, in plures diuiditur aliquid, stricto iure debitum. v. g. ærarium commune, fundatio publica, &c; tunc in eodem actu concurrit vtraque iustitia: commutatiua, quatenùs respicitur vt vnicuique detur æquale iuri, quod habet: distributiua, quatenùs respicitur vt vnicuique detur secundùm proportionem suæ qualitatis, respectiuè ad alios. Vnde non seruando proportionem arithmeticam, violatur commutatiua, & contrahitur obligatio restitutionis. Non seruando autem proportionem geometricam, violatur iustitia distributiua. Quando autem fit distributio eorum, quæ stricto iure non debentur, secundùm qualitatem personarum, v. g. beneficiorum ecclesiasticorum, officiorum reipublicæ, &c; tunc non peccatur contra iustitiam commutatiuam, nec oritur obligatio restitutionis faciendæ personis.

307. *Proportio est duarum pluriumue rerum inuicem iusta comparatio.*

308 *Proportio arithmetica est adæquatio numerorum & quantitatum inter se.* Quantitatis inquam vnius rei, ad quantitatem alterius rei. v. g. dati & accepti; mercis & pretij; damni & restitutionis.

309. *Proportio geometrica est adæquatio vnius proportionis ad aliam.* In iustitiâ distributiuâ.

310. *Proportio geometrica est adæquatio proportionis rerum distribuendarum, ad proportionem qualitatis personarum*; propter quam ijs facienda est distributio. v. g. in distributione bonorum communium, si is qui habet pertinentem qualitatem vt duo, accipiat sex coronatos; tunc is qui habet qualitatem vt quatuor, debebit accipere duodecim. E diuerso, in distributione

onerum communium, si habens mille coronatos, contribuat centum; tunc habens quingentos, debebit contribuere quinquaginta.

311. *Iustitia legalis est virtus firmans voluntatem priuati, ad tribuendum reipublicæ debitum, ad æqualitatem.* LEGALIS, extendens se ad omnia, legibus statuta, pro bono communi. PRIVATI, tanquam partis ad totum, & membri ad corpus. AD TRIBVENDVM REIPVBLICÆ DEBITVM, procurando bonum commune, & præponendo illud priuato. Si secus fiat, priuatus peccabit contra hanc iustitiam: non contrahet tamen obligationem restitutionis; nisi sit princeps, aut superior communitatis, cui ex officio incumbit boni publici procuratio.

312. *Iustitia vindicatiua est virtus, reddens malefactori debitam pœnam, culpæ adæquatam.* EST VIRTVS, benè disponens principem, magistratum, iudicem, superiorem, ad alterum, scilicet malefactorem. *Superiorem*, inquam: nam vindicta vetatur priuato, & præcipitur superiori, tanquam Dei administro, Rom. 12. DEBITAM POENAM, iustè promeritam, & culpæ congruentem: non autem debitam ciuili obligatione, strictoque iure; ita vt malefactori irrogaretur injuria, nisi ei infligeretur pœna: quæ *est malum punitiuum, reo inflictum, ad vindicandam culpam, ei intrinsecam.* CVLPÆ ÆDÆQVATAM: nam iustitia vindicatiua significat adæquationẽ pœnæ ad culpam; & cõmensam repensionem mali pœnæ, pro malo culpæ: vt pro mensurâ delicti, sit plagarum modus. Sicut enim laus congruit benefactori ita pœna malefactori: vt qui prolapsus est extra ordinem recti, per culpam, in ordinem reuocetur per pœnam. Vt etiam fiat reparatio injuriæ, vtque malefactor, eiusque exemplo alij ab inferendâ injuriâ coërceantur.

De Dominio.

In genere

313. D*Ominium est ius gubernandi subditos, disponendiue de re, tanquam suâ.* Siue, *est pote-*

stas legitima gubernandi subditos suos liberos; disponendiue de re, tanquam suâ, in omnem vsum, lege non prohibitum. EST POTESTAS LEGITIMA, authoritas concessa lege diuinâ, vel humanâ. GVBERNANDI, regendi propriâ, non delegatâ facultate. SVBDITOS SVOS LIBEROS, sui iuris, dominioque despotico non subiectos. DISPONENDIVE, ordinandi propriâ authoritate, & non ex commissione alterius. DE RE incorporeâ, vel corporali; animatâ, vel inanimi. TANQVAM SVA, propriâ, sibique obnoxiâ. IN OMNEM VSVM, non tantùm in vnum vsum determinatum. LEGE diuinâ humanâue, NON PROHIBITVM, tanquam inualidum; licet fortè prohibitum, tanquam illicitum.

Dominium in genere diuiditur in dominium iurisdictionis, & proprietatis.

314. *Dominium iurisdictionis est potestas legitima gubernandi suos subditos liberos.* GVBERNANDI, regendi non in commodum proprium, sed subditorum, & communitatis. Regendi inquam, per præcepta, prohibitiones, permissiones, iudicia, præmia, punitiones, &c. SVOS, non alienos SVBDITOS, sibi obnoxios, & patêre obligatos. LIBEROS: nam seruorum, siue mancipiorum habetur dominium proprietatis. Quod

315. *Dominium proprietatis est ius perfectè disponendi de re, nisi lege prohibeatur.* DOMINIVM PROPRIETATIS plenum, & perfectum; continens in se directum, & vtile. EST IVS IN RE absolutum, & independens à nutu alieno. Omne verè dominium est ius in re: non è diuerso. Nam ius in pignus, hypothecam, commodatum, vsum fructum, & mutua corpora coniugum, non est dominium: quia est ius restrictum ad vnum determinatum rei vsum. PERFECTE DISPONENDI de rei proprietate, & emolumentis; propriâ authoritate, & in commodum proprium; & in omnem vsum, lege permissum. DE RE incorporeâ. v. g. libertate, immunitate, reditu, iurepatronatûs, &c. vel corporali animatâ. v. g. iumen-

to, mancipio, &c: vel inanimi v. g. domo, agro, &c. NISI LEGE PROHIBEATVR: quarundam enim rerum, vero domino possessarum vsus aliquis lege prohibetur: vti alienatio bonorum pupilli, fideicommissi, maioratûs, & eiusmodi bonorum vinculatorum.

316. *Maioratus est maiori natu competens dominium bonorum, quæ alienari grauarine non possunt.* Item

317. *Maioratus sunt bona, maiori natu competentia, quæ alienari, grauariue non possunt.* Sunt synonima cum primogenitis. Quæ

318 *Primogenita sunt bona inalienabilia, competentia primo-genito*: eoque deficiente, alijs legitimis successoribus.

319 *Bona vinculata sunt bona habentia annexum vinculum, vt alienari grauariue non possint*: sed debeant transire ad successores integra, & à grauamine libera.

Proprietatis dominium perfectum, à veteribus vocatur *mancipium*: quia hoc ius in re, acquiritur potissimum apprehensione manuum. Cum præfatâ definitione n 3). coincidit alia, quâ dicitur:

320. *Dominium proprietatis est potestas legitima disponendi de re, tanquam suâ, in omnem vsum, lege non prohibitum.* EST POTESTAS LEGITIMA, authoritas, diuinâ humanâue lege, concessa. DISPONENDI, ordinandi suapte authoritate, & non ex alienâ commissione, in commodum proprium DE RE incorporeâ, vel corporali. IN OMNEM VSVM actualem rei; ipsam sibi reseruando, donando, vendendo, alienando, destruendo pro libitu, siue cuiusquam iniuriâ. LEGE NON PROHIBITVM, sed permissum, tanquam validum

321. *Res sua est res propria, & ita alicui obnoxia, vt possit suâ authoritate de ea disponere, in commodum proprium.* OBNOXIA ALICVI, cuius esse dicitur. IN COMMODVM PROPRIVM, non alienum pupilli, alteriusue priuati, aut communitatis.

322. *Vsus actualis est rei ad actum applicatio.* REI

integræ, saluâ ipsius substantiâ; vel mutatæ substantialiter. Vnde nomine vsûs, intelligitur etiam abusus: qui

323. *Abusus est rei destructiuus vsus.*

Dominium iurisdictionis diuiditur in ecclesiasticum, & ciuile, siue sæculare.

324. *Dominium ecclesiasticum est potestas legitima gubernandi subditos suos, in rebus spiritualibus*, id est, spectantibus cultum diuinum, & salutem animarum:

325. *Dominium ciuile est potestas legitima gubernandi subditos suos, in rebus temporalibus*, spectantibus viuendi rationem externam, tranquillitatemque publicam.

Dominium proprietatis diuiditur in perfectum, & imperfectum

326. *Dominium perfectum est potestas legitima disponendi de re, illiusque emolumentis, tanquam suis.*

327. *Dominium imperfectum est potestas legitima disponendi de re tantum, vel de solis rei emolumentis.* DE RE TANTVM, absque vsu fructu VEL DE SOLIS REI EMOLVMENTIS, absque proprietate rei.

Hoc dominium imperfectum subdiuiditur in directum, & vtile.

328. *Dominium directum est potestas legitima disponendi de re, tanquam suâ, absque illius vsufructu.* DIRECTVM tantùm, & non simul vtile.

329. *Dominium vtile est potestas legitima disponendi de fructibus rei, absque illius proprietate.* VTILE TANTVM, & non simul directum. Itaque

330. *Dominium directum est illud quo habetur proprietas rei, & non vsus fructus.*

331. *Dominium vtile est illud quo habetur vsusfructus, & non proprietas rei:* quamuis habeatur proprietas fructuum, & emolumentorum illius.

332. *Dominus perfectus est is, qui habet rei proprietatem, & vsum fructum.*

333. *Dominus imperfectus est is, qui habet solam rei proprietatem, vel solum vsum fructum.*

334. *Proprietas est ius in re, obnoxiâ alicui; ita vt sine consensu ipsius, non possit fieri alterius*, extra casum præscriptionis, confiscationis, &c.

335. *Laudemium est certa pars æstimationis rei alienatæ, soluenda domino directo pro inuestiturâ*, & acceptione possessionis. CERTA PARS, quinquagesima, iure communi: trigesima, consuetudine. ÆSTIMATIONIS REI ALIENATÆ. vel precij illius.

De vsu, & vsu fructu.

VSus est duplex: scilicet vsus iuris, & vsus facti.

336. *Vsus iuris est ius vtendi re alienâ, saluâ ipsius substantiâ.* IVS, potestas legitima. Ius inquam irreuocabile ante tempus concessum à proprietario. VTENDI, rem ipsam applicandi ad actum. Vtendi autem, & non fruendi, id est omnes fructus percipiendi: quamuis vsuarius fundi alieni, possit carpere poma, olera, flores, fenum, ligna cædua, ad suum vsum quotidianum. RE ALIENA, cuius proprietas est penès alium. SALVA IPSIVS SVBSTANTIA: vsuarius enim debet rem integram proprietario seruare; illamque vsu non consumere, aut alienare.

337. *Vsus facti est ius vtendi re aliena, reuocabile ad nutum concedentis.* IVS dependens à nutu proprietarij, alteriusue concedentis v. g. superioris religionis. RE ALIENA, saluâ mutatâue illius substantiâ. REVOCABILE quouis momento, sine iniuriâ vsuarij; donec ab eo res consumpta fuerit.

338. Vsus facti, in rebus etiam vnico actu consumptibilibus, distinguitur à dominio: quia ille est ad nutum reuocabilis; hoc autem dicit ius in re firmum, & irreuocabile. Vnde mancipia, & conuiuæ habent vsum ciborum appositorum; herus autem, & conuiuator dominium. Idem est de religiosis ratione voti paupertatis.

339. *Vsus fructus est ius alienis rebus vtendi fruendi, salua earum substantia.* EST IVS, potestas legitima, irreuocabilis ad nutum proprietarij. ALIENIS REBVS,

quarum proprietas est penès alios : quâ parte excluditur rerum propriarum vsus fructus causalis. VTENDI, ad actum applicandi : quà potestate priuantur habentes depositum, pignus, aut hypothecam. FRVENDI, percipiendi fructus omnes : ita vt illi collecti transeant in plenum dominium vsufructuarij viuentis. SALVA EARVM SVBSTANTIA, rebus manentibus proprietario integris : aliàs fieret ei iniuria.
Hic vsus fructus est duplex : legalis, & conuentionalis.

340. *Vsus fructus legalis est is, qui habetur ordinatione legis*. Talis habetur à patre in aduentitio peculio filij familias, &c.

341. *Vsus fructus conuentionalis est is, qui habetur priuata conuentione* : per testamentum, pactum, stipulationem. Est insuper alius vsus fructus causalis : & hic

342. *Vsus fructus causalis est ius vtendi fruendi re propria*. CAVSALIS, siue causatus, & promanans naturaliter à proprietate rei.

De seruitutibus.

343. VSui iuris, & vsuifructui respondet in re alienâ subiectio, & seruitus; quâ res aliena seruit ei, qui vsum, aut vsumfructum ex eâ capit; aut circa eam aliquid impedire potest. Vnde res illa aliena patitur seruitutem : ideoque potest vocari seruitus passiua. Vsuarius autem, & vsufructuarius habet ius redigendi illam rem in seruitutem, & faciendi vt ab eâ sibi seruiatur : ideoque potest dici habere seruitutem actiuam, respectu illius. Itaque

344. *Seruitus passiua est subiectio, qua res, personaue aliena obligatur seruire alteri*. RES, ager, fundus, habitaculum, &c. PERSONAVE seruilis, & mancipium. ALIENA : nemini enim res sua propriè seruit, sed aliena tantum. Ideoque subiectio rei erga proprietarium, non est seruitus formalis; sed potest vocari *Seruitus causalis*, conformiter n. 342. ALTERI rei, vel alteri personæ, quàm domino.

Hæc seruitus passiua est triplex: realis, personalis, mixta.

345. *Seruitus passiua realis est subiectio, qua res vna immediatè alteri rei obnoxia est*, & illius seruitio subiecta. Sic prædium, per quod aliud aditur, obnoxium est tanquam seruiens dominanti.

346. *Seruitus passiua personalis est subiectio, qua mancipium alienum obnoxium est alteri, quam domino*: secundùm dispositionem domini, ad tempus, vel in perpetuum.

347. *Seruitus passiua mixta est subiectio, qua res aliena obnoxia est immediatè personæ*, scilicet vsuario, vel vsufructuario. MIXTA ex reali, & personali.

348. *Seruitus actiua est ius re aliena fruendi, vel vtendi, vel circa eam aliquid impediendi.* v. g. eleuationem ædificij vicini, ne officiat meis luminibus. Ratione huius tertij membri, actiua seruitus latiùs patet vsu, & vsufructu.

Hæc seruitus actiua est triplex: realis, personalis, mixta.

349. *Seruitus actiua realis est ius, quo res immediatè habet aliam sibi obnoxiam.* v. g. prædium meum habet ius vt possit adiri per alienum: & consequenter ego dominus prædij, habeo mediatè ius vt possim adire.

350. *Seruitus actiua personalis est ius, quo persona immediatè habet alienam personam sibi obnoxiam.* v. g. seruum alienum, ex concessione Domini.

351. *Seruitus actiua mixta est ius, quo persona immediatè habet rem alienam sibi obnoxiam.* v. g. vsus iuris, & vsus fructus.

Seruitus actiua realis est duplex: vrbana, & rustica.

352. *Seruitus vrbana est ius, quo prædium vrbanum habet aliud sibi obnoxium*, v. g. immittendi tigni in vicinum parietem alienum: exonerandi stillicidij in arenam alienam: impediendi eleuationem ædificij vicini, &c.

353. *Seruitus rustica est ius, quo prædium rusticum habet aliud sibi obnoxium.* v. g. ius deriuandæ aquæ per fundum alienum; agendi pecoris, vehiculi, &c.

Secundùm ius, & iuriſconſultos, hic

354. *Prædium vrbanum eſt humanum habitaculum, annexuſque hortus, amœnitatis causâ*: ſiue ſit in vrbe, ſiue ruri.

355. *Prædium ruſticum eſt quoduis prædium, abs humano habitaculo diſtinctum, appendiceque illius, horto amœno.* v. g. ager, ſtabulum iumentorum, horreum & quidquid conſtructum eſt, fructuum colligendorum gratiâ.

De poſſeſſione.

356. P*Oſſeſſio eſt rei detentio actualis, vel iuridica.* Siue, *eſt actus iuſue detentionis rei.* ACTVS, IVSVE, à quo denominatur quis poſſeſſor; & res, poſſeſſa. Actus detentionis vocatur poſſeſſio facti: ius detentionis vocatur poſſeſſio iuris. REI, corporalis v. g. agri, domûs, &c: vel incorporeæ v. g. beneficij, cenſûs, ſeruitutis, &c. Cuiuſmodi res incorporea, à Theologis dicitur poſſideri; à Iuriſperitis, quaſi poſſideri.

Poſſeſſio eſt duplex: facti, & iuris.

357. *Poſſeſſio facti eſt occupatio rei, adminiculo corporis, animi & iuris.* OCCVPATIO, rei actualis apprehenſio prima, vel continuata: rei in poteſtatem vindicatio, aut vindicatæ detentio. REI corporalis, vel incorporeæ. ADMINICVLO, auxilio & adiumento CORPORIS: quia ad inchoationem poſſeſſionis actualis, res in ſe, vel æquiualenti, debet aliquatenùs corporali apprehenſione occupari, proprijs vel vicarijs manibus, pedibus, &c. Ad inchoationem, inquam, quia ad continuationem poſſeſſionis ſufficit adminiculum animi. abſque adminiculo corporis. ANIMI, quia ad poſſeſſionem requiritur animi intentio rem ſibi vindicandi, & retinendi vt propriam. Vnde defectu huius animi, depoſitarius non poſſidet depoſitum, neque commodatarius commodatum, neque creditor pignus. IVRIS, ſtatuentis veritatem poſſeſſionis, non tamen ſemper iuſtitiam: vti patet in fure, rem furtiuam vere, ſed non iuſtè poſſidente. Defectu huius ad-

miniculi iuris, non est vera possessio, occupatio loci sacri per laicum, &c.

358 *Possessio iuris est ius insistendi rei, tanquam sua, non prohibita possideri.* Ius verum, vel præsumptum, resultans ex possessione facti. Ius inquam verum, & potestas legitima, in foro conscientiæ & ciuili, si oriatur ex iustâ possessione facti: præsumptum in externo foro ciuili, si ex iniustitiâ. INSISTENDI rei, perseueranter tenendi rem occupatam; & continuandi possessionem facti, in eâ se manutenendo, & tuendò se contra perturbantes. Vnde in hoc iure insistendi rei, formaliter consistit possessio iuris: sicuti dominium, in iure perfectè disponendi de re; eam sibi retinendo, alienando, &c. REI corporali, vel incorporeæ. TANQVAM SVAE, quasi propriæ, & ad se pertinentis. Vnde tutor non est possessor bonorum pupilli; sed per tutorem, pupillus. NON PROHIBITÆ POSSIDERI, per iuris dispositionem: per quam prohibetur possideri à priuato locus publicus, & sacer a laico: prohibetur inquam possideri, non modò iustè, sed & verè.

Possessio variè potest diuidi: in bonæ, & malæ fidei: in iustam, & iniustam: naturalem, & ciuilem, &c.

359. *Possessio bonæ fidei est occupatio rei, fundata in prudenti iudicio,* quòd sit occupantis. OCCVPATIO inchoata, vel continuata. REI, tanquam suæ.

360. *Possessio malæ fidei est occupatio rei, destituta prudenti iudicio,* quòd sit occupantis.

361. *Possessio iusta est occupatio rei, fundata in titulo legitimo.* Hæc subdiuiditur in varias species, pro varietate titulorum. Vnde est vna possessio rei, pro emptâ, donatâ, legatâ, &c. scilicet fundata in titulo emptionis, donationis, legationis.

362. *Possessio iniusta est occupatio rei, destituta titulo legitimo.*

363. *Possessio colorata est occupatio rei, fundata in titulo verosimili*: id est, habente aliquam veri speciem, ita vt præsumatur verus.

364. *Possessio non colorata est rei occupatio, destituta titulo vero, & verosimili.* Cuius titulus est apertè nullus.

365. *Titulus est radix & fundamentum iuris prætensi:* vnde oritur, & in quo fundatur possessio, dominium, aliudue ius, quod prætenditur.

366. *Titulus verus est ille, qui à parte rei subsistit:* & sufficit fundando iuri pretenso. v. g. emptio valida, donatio, successio, &c.

367. *Titulus verosimilis, siue præsumptus est ille, qui à parte rei non subsistit; prudenter tamen præsumitur subsistere.* Præsumitur inquam à priuato: nam si à lege, vel legislatore, illius publica præsumptio dabit verum titulum. Vti patet in casu coloni, euoluto termino manentis in conducto, domino tacente: tunc enim sius præsumit verum titulum reconductionis.

368. *Possessio naturalis est occupatio rei, adminiculo corporis, & animi.*

369. P*ossessio ciuilis est detentio rei, adminiculo solius animi.* CIVILIS, quia fundatur in iure ciuili, paritque effectus ciuiles, scilicet vsucapionem rei, & fructuum perceptorum dominium. DETENTIO continuata rei priùs apprehensæ, & occupatæ adminiculo corporis, & animi. Rei, tanquam suæ. ADMINICVLO SOLIVS ANIMI: quamuis enim ad inchoandam possessionem ciuilem, sit opus adminiculo corporis, & animi; tamen ad illam continuandam sufficit solus animus. Vtraque possessio accipitur subinde aliter: & tunc

370. *Possessio naturalis est detentio rei, quoad illius dominium vtile:* siue quoad vsum, vsumfructum, aut habitationem.

371. P*ossessio ciuilis est detentio rei, quoad dominium directum.*

372. P*ossessio ciuilissima est occupatio rei, ex solâ legis ciuilis ordinatione:* absque adminiculo corporis, & animi. Talis est inchoata & continuata possessio Maioratûs, & Primogenitorum, mortuo possessore priore.

De peculio.

373. *Peculium est quid proprium serui, aut filij familias.* De rigore iuris, nihil habet proprium seruus; sed quidquid acquirit, domino acquirit: similiter patri acquirit filius-familias, existens sub patriâ potestate. Nihilominus vterque potest habere aliquid proprium, de domini patrisque consensu, & absque eo, ordinatione legum: & hoc vocatur peculium.

374. *Peculium castrense est quid proprium filij-familias, acquisitum intuitu militiæ*, castrensis, aut palatinæ, siue obsequij principis: v.g. equus, arma, viaticum, stipendium, donatiuum, &c. Hoc propriè consistit in rebus mobilibus: extenditur tamen ad omnia, etiam prædia, ex peculio castrensi acquisita: horumque omnium filius familias habet proprietatem, vsumfructum, & administrationem: id est, plenum dominium.

375. *Peculium quasi castrense est quid proprium filij-familias, gaudens priuilegio castrensi.* Siue, *est filij familias clerici acquisitum ex beneficio, aut aliundè, eiusdemue laici, ex munere publico liberali, aut donatione quasi castrensi.* QVASI CASTRENSE: quod reuera non est castrense, habet tamen illius priuilegium. EX BENEFICIO ecclesiastico: AVT ALIVNDE, vti constat ex authent. *Presbyteros*, modò non sit profectitium. LIBERALI, non mechanico: ex professione artis liberalis, ex munere medici, notarij, aduocati, &c. DONATIONE QVASI CASTRENSI, liberalitate principis; aut priuati quidem, sed vt filio-familias sit quasi castrense: id est, vt habeat illius proprietatem, vsumfructum, & administrationem.

376. *Peculium aduentitium est quid proprium filij-familias; extra militiam, & beneficium, et aduenienes, non intuitu patris.* EXTRA MILITIAM, aliàs foret castrense: ET BENEFICIVM, aliàs foret quasi castrense. ADVENIENS ex industria propriâ, casu fortuito successione,

successione, &c. NON INTVITV PATRIS principaliter, aut proximè, aliàs foret profectitium. Aduenticij proprietatem habet filius, vsumfructum pater: ità tamen vt in quibusdam casibus vsusfructus coalescat cum dominio directo.

377. *Peculium profectitium est quid acquisitum filiofamilias, extra militiam & beneficium; proficiscens à parente viuo.* QVID ACQVISITVM: non proprium, vti in peculio castrensi, quasi castrensi, & aduentitio: nam filius-familias non habet proprietatem profectitij. EXTRA MILITIAM, ET BENEFICIVM, & sic distinguitur à castrensi, & quasi castrensi. PROFICISCENS A PARENTE VIVO, patre vel matre concedentibus illud filio, quoad administrationem: vel externis donantibus illud eidem, intuitu parentum principaliter, & proximè. Huius peculij profectitij filius-familias non habet proprietatem, nec vsum fructum; administrationem autem nonnisi in parentis vtilitatem.

378. *Administratio est authoritas gubernandi rem, & de eâ disponendi in commodum proprium, vel alienum.* Eiusmodi administrationem in commodum proprium tantum, habet dominus rei, qui est sui iuris, & non sub potestate alienà. In commodum alienum tantùm habet tutor & curator, respectu bonorum pupilli. In commodum proprium & alienum habet maritus respectu dotis vxoriæ, & omnium bonorum communium: quæ quia indiuisa sunt, habet omnium illorum partiale dominium cum vxore.

De bonis variis.

379. *CLericorum bona patrimonialia sunt bona possessa ab ijs titulo ciuili.* v. g. hæreditariâ successione, testamento, legato, industriâ, labore, &c. Eorundem

380. *Bona quasi patrimonialia sunt bona, acquisita ratione clericatus, & non beneficij* v. g. honoraria Missarum, concionum, confessionum, cantus ecclesiastici,

&c. Paraphernalia, siue

381. *Parapherna sunt bona superaddita doti uxoris;* quorum ipsa habet dominium & administrationem, à marito independentem.

382. *Bona incerta sunt ea, quæ habent dominum, sed ignotum.* Vti &

383. *Debita incerta sunt ea, quæ alicui debentur, sed ignoto.*

384. *Derelicta sunt bona, quorum dominium à se abdicauit dominus.* Siue

385. *Derelictum est id, quod dominus eâ mente abiecit, vt in numero rerum suarum esse nolit.*

386. *Thesaurus est vetus depositio pecuniæ, mobilisue rei preciosæ, cuius non extat memoria, nec dominus.* VETVS DEPOSITIO: nam si foret recens, & incerti domini, non esset thesaurus, nec fieret inuentoris: sed impendi deberet in pios vsus, vti alia bona, habentia incertum dominum. MOBILISVE REI PRECIOSÆ, cuiusmodi sunt monilia, gemmæ, vasa aurea, argentea, &c. NEC DOMINVS: qui censetur non extare, licet sciatur à Titij maioribus, longo interuallo reconditus thesaurus. Quia quod tanto tempore desiit à quoquam possideri; desiit consequenter esse in cuiusquam dominio.

387. Iure naturali, & gentium, thesaurus est inuentoris: quia cùm nullius sit, fit primo occupantis. Iure ciuili, inuentus in fundo proprio, totus est inuentoris: in alieno inuentus fortuitò, dimidiandus est cum domino fundi; etiam ante sententiam iudicis. Si autem de industriâ repertus, sine consensu domini; illius erit totus: saltem post sententiam iudicis. Si cum consensu domini, bonâ fide obtento; totus erit inuentoris: nisi aliter conuentum fuerit. Si priuatâ scientiâ sciens latêre thesaurum in fundo alieno, eum emerit; fit fundi, & thesauri dominus. Si in loco publico, vel sacro, aut religioso reperiatur; totus probabiliter est inuentoris: probabilius tamen est, dimidiandum esse respectiuè cum fisco, ciuitate, vel ecclesiâ. Si thesaurus repertus sit arte magicâ, totus est fisci; saltem post

sententiam: si tamen in fundo alieno, dimidium cedet illius domino; alterum fisco. Cæterum hac in re seruandæ sunt leges municipales.

De præscriptione, & vsucapione.

PRæscriptio accipitur tribus modis. Primo modo

388. *Præscriptio est exceptio aduersus actorem.* Id est oppositio dilatoria, vel peremptoria, quâ reus excludit actionem, ab actore intentatam. Secundo modo:

389. *Præscriptio est exceptio peremptoria aduersus priorem dominum, fundata in possessione.* Id est, oppositio, quâ reus actionem prioris domini, omninò excludit, & illius ius reale, siue personale perimit; allegando possessionem continuatam tempore legibus definito. Tertio modo

390. *Præscriptio est dominij acquisitio, iurisue alieni elisio, per possessionem continuatam tempore legibus definito.* DOMINII ACQVISITIO rei ante alienæ, modò præscribentis. IVRISVE ALIENI realis, vel personalis ELISIO, peremptio & exstinctio. Hæc secunda pars disiunctiua exprimitur, maioris explicationis gratiâ: aliàs sub dominij acquisitione, latè sumptâ, comprehenditur etiam iuris alieni elisio: nam qui ius alterius perimit, libertatis suæ dominium acquirit. PER POSSESSIONEM, &c. Est autem possessionis tempus diuersimodè definitum legibus: vti patebit infra n. 398. & 399.

Vsucapio accipitur duobus modis: primò formaliter, secundò pro effectu resultante. Primo modo.

391. *Vsucapio est rei alienæ possessio, continuata tempore legibus definito.* Secundo modo

392. *Vsucapio est dominij acquisitio, per possessionem continuatam tempore legibus definito.* Hæc secunda vsucapio ferè coincidit cum tertiâ præscriptione: quâ tamen est minùs communis. Omnis enim vsucapio, est præscriptio; non è diuerso. Nam iuris alieni elisio non est vsucapio propriè dicta, quia non est dominij ac-

quisitio, nisi latè sumpta. Quorumdam restrictio vsucapionis ad mobilia, & præscriptionis ad immobilia, ipso iure refutatur: vnde ista duo passim accipiuntur vt synonima.

393. Ad præscriptionem & vsucapionem, regulariter requiruntur quatuor: scilicet titulus probabiliter præsumptus, bona fides, possessio, & eiusdem continuatio tempore legibus definito. Hic

394. *Titulus est fundamentum possessionis:* in quo scilicet fundatur iustitia possessionis. v.g. donatio, collatio, successio, emptio, permutatio, &c. Vide n. 365.

395. *Titulus probabiliter præsumptus est is, qui prudenter iudicatur esse verus*, quamuis realiter talis non sit. v.g. venditio, vel donatio rei, facta ab eo, qui bonâ fide fuit creditus dominus, vel potens alienare, &c. Hic titulus probabiliter præsumptus, determinatæ possessioni iunctus, sufficit tranferendo dominio: verus autem titulus sufficit per se, absque præscriptione. Cæterum titulus præfatus requiritur ordinariè ad præscriptionem: extraordinariè tamen in longioris temporis præscriptione, non est absolutè necessarius: quia, illius obliuio tunc facilè obrepit Vide num. 366. & 397. Hic

396. *Bona fides est actus intellectûs, credentis rem esse suã nescientisue esse alienam* EST ACTVS INTELLECTVS, scilicet existimatio, persuasio, credulitas. PRVDENTER: quo excluditur persuasio procedens ex ignorantiâ crassâ iuris manifesti vel ex inordinatâ cupiditate habendi alieni. CREDENTIS REM ESSE SVAM, ratione præteritæ fundatæ possessionis; vel præsentis apprehensionis rei adespotæ, quæ fit primò occupantis. Et hæc positiua bona fides requiritur ad inchoandam præscriptionem. NESCIENTISVE ESSE ALIENAM: quæ nescientia sufficit ad continuandam præscriptionis possessionem. Vide num. 359.

397. *Possessio est occupatio rei, tanquàm sua.* POSSESSIO naturalis & ciuilis simul, aut ciuilis tantum iuxta n. 370. & 371. non autem naturalis tantùm, quæ ad

præſcriptionem non ſufficit. TANQVAM SVA, nam occupatio rei alienæ, vel nomine alieno, non eſt vera poſſeſſio : ſine quâ, præſcriptio non procedit. Totum enim ius præſcriptionis fundatur & oritur ex poſſeſſione præſcribentis. Vnde defectu huius poſſeſſionis non poteſt rei proprietatem præſcribere fructuarius, colonus, emphyteuta, feudatarius, conductor, commodatarius, pignerator, religioſus profeſſus : neque locum ſacrum, iuſue decimarum laicus, &c.

398. *Continuatio poſſeſſionis eſt inſiſtentia rei occupatæ, tanquam ſua.* Siue, *eſt rei apprehenſæ ; tanquam ſua detentio continuata* tempore legibus definito. Hoc autem vſucapionis, & præſcriptionis tempus, legibus definitum, varium eſt. Pro mobilibus, cum titulo, eſt triennum, ſine titulo triginta anni. Pro immobilibus priuatorum, cum titulo, inter præſentes, id eſt, habitantes, in eodem territorio, decem anni : inter abſentes, id eſt, habitantes in diuerſo territorio, viginti anni. Nam vnus annus præſentiæ, æquiualet duobus abſentiæ. Sine titulo, ſunt triginta anni.

399. In hac præſcriptionis materià, *tempus longum* eſt ſpatium decem annorum, inter præſentes : viginti inter abſentes. *Longiſsimum tempus* eſt ſpacium triginta, vel quadraginta annorum. Pro immobilibus, contra Eccleſiam Romanam, requiruntur centum anni : contra aliam Eccleſiam, monaſterium, hoſpitale, pia loca, piaſue cauſas, requiruntur quadraginta. Debita rerum mobilium, & immobilium contra creditores præſcribuntur diuerſo tempore : omnia ſaltem annis triginta, cum bonâ fide. Debitum pecuniarium, à debitore non præſcribitur in conſcientiâ, contra creditorem ; niſi adſit poſſeſſio immunitatis à debito, cum bona fide, quâ certo temporis ſpacio, debitor iudicet ſe nihil debere.

400. Præſcriptio dicitur *non procedere*, quando ob cauſam aliquam non poteſt incipere. v. g. defectu tituli, poſſeſſionis ciuilis, bonæ fidei, &c. Dicitur *dormire*, quando inchoata, ceſſat ad tempus ; & poſtea vim reſumit, continuaturque cum tempore ceſſationem

præcedente. Cessat, inquam, ad tempus belli, pestis, viduitatis Ecclesiæ, ætatis pupillaris, &c. Dicitur *interrumpi*, quando inchoata, ita cessat, vt reuiuiscens non possit cum tempore præcedente continuari, sed debeat de nouo inchoari. Quod contingit, quando interrumpitur possessio, bona fides: quando fit litis contestatio, citatio, &c.

401. Qui legitimè rem præscripsit, efficitur illius verus dominus; neque tenetur in conscientiâ eam restituere, etiamsi postea constet ei fuisse alienam. Ratio est, quia leges statuunt vt per præscriptionem fiat dominij acquisitio; etiam quando nulla interuenit negligentia domini prioris. Idque pro bono communi, ne incerta maneant rerum dominia: & vt omnis litium materia tollatur. Interim aduersûs præscriptionem quibusdam conceditur restitutio in integrum. Quæ

402. *Restitutio in integrum est prioris iuris redintegratio, & in pristinum statum repositio*, iudicis authoritate.

403. *Postliminium est ius amissæ rei recipiendæ, & in pristinum statum reponendæ.* Hoc ius est introductum naturali æquitate, vt qui ab hoste detinebatur, inde ad limen suum redux, pristinas res suas recuperaret: vt etiam hostili prædatione res à nostro limine abductæ; post ad idem limen reductæ, recuperarentur.

De Variis Terminis Iuris.

404. R*Econuentio est actio, quâ reus actorem se conuenientem, de aliâ re vicißim iuridicè conuenit.*

405. *Acceptilatio est imaginaria solutionis testificatio*, quâ creditor testatur se liberare debitorem à debito; & fatetur sibi satisfactum esse: quamuis realis solutio non interuenerit. Hoc fieri potest scripto, vel stipulatione, quâ creditor debitori interroganti, *Argentum, quod debeo, habes acceptum?* respondet, *Habeo acceptum:*

406. *Apocha est scriptum, quo creditor fatetur sibi esse satis-factum pecuniâ numeratâ:* non imaginariè, vti in acceptilatione, sed realiter.

407. *Antapocha est scriptum, quo debitor testatur se*

crediteri obligari in certam summam.

408. *Transactio est conuentio onerosa, quâ res dubia & incerta componitur inter partes.* Si res certa foret, & indubium ius vnius partis; tunc pars aduersa non posset transigere per se, nec per aduocatum.

409. *Satisdatio est actus iudicialis, quo datis fideiussoribus, vel pignoribus, de lite idoneè cauetur.* Ferè coincidit cum cautione: quæ tamen latiùs patet. Nam

410. *Cautio est actus iudicialis, quo dato fideiussore, pignore, vel iuramento, res cauta fit,* & in tuto collocatur.

411. *Cauere est rem cautam tutamque facere,* dato fideiussore, pignore, vel iuramento.

412. *Solutio est precij numeratio, debitiue expunctio.*

413. *Compensatio est debiti & crediti inter se contributio.* Siue *est rei vnius, per alteram, adæquatio, & tantidem refusio,*

414. *Satisfactio est iniuria illata, ad quandam iustitiæ æqualitatem compensatio.* INIVRIÆ ILLATÆ, etiam absque vllo damno. AD QVANDAM IVSTITIÆ ÆQVALITATEM, etiamsi non omnimodam; dummodò parti læsæ satis fiat. Aliàs generaliter accepta satisfactio comprehendit quamcunque solutionem, compensationem, restitutionem, satis passionem,

De restitutione.

415. RESTITUTIO *est rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio.* Siue, *est rei debitæ redditio, in se, vel in æquiualenti.* REI ACCEPTÆ REDDITIO: nam restitutio est iterata constitutio rei in statum pristinum. REI inquam ACCEPTÆ iure, vel iniuriâ. *Iure*, in deposito, commodato, mutuo, &c: *iniuriâ*, in furto, rapinâ, &c. REDDITIO in se, vel æquiualenti. VEL DAMNI, interesse, comprehendentis etiam lucrum cessans: per iniuriam ILLATI, absque vllâ acceptione, vel commodo inferentis. COMPENSATIO, tantidem refusio.

416. Restitutio est externus actus iustitiæ commu-

tatiuæ : ad quam ſpectat conſtituere æqualitatem rei ad rem. Eſt neceſſaria ad ſalutem, quando eſt poſſibilis : aliàs ſerium illius propoſitum.

417. Reſtitutionis præceptum eſt affirmatiuum, quatenùs illo mandatur poſitiua redditio rei acceptæ: & eatenùs obligat ſemper, ſed non ad ſemper. Eſt autem negatiuum, quatenùs illo mandatur abſtinentia voluntariæ detentionis rei alienæ: & eatenùs obligat ſemper, & ad ſemper.

418. Sunt duo generalia capita reſtitutionis : ſcilicet *res accepta, & acceptio iniuſta.* Res inquam accepta iniuſtè, vel iuſtè alteri debita, per contractum : ideoque ſub re acceptâ intelligitur etiam contractus : & ſub iniuſtâ acceptione, intelligitur etiam iniuſta detentio, & damni illatio. Vnde vniuerſim ſunt quatuor capita reſtitutionis : ſcilicet *iniuſta acceptio, damni illatio, res accepta, & contractus.*

419. *Iniuſta acceptio eſt rei alienæ vſurpatio, domino rationabiliter inuito.* ALIENÆ, ſecundùm proprietatem, quinet ſecundum vſum, & adminiſtrationem. Vnde ex hoc capite obligatur ad reſtitutionem, qui accipit rem propriam, commodatò, vel locatò, vel pignore datam, vel adminiſtrationi alienæ ſubditam. VSVRPATIO per ablationem, vel detentionem. DOMINO RATIONABILITER INVITO, aliàs non foret iniuſta acceptio, ſi dominus ſpontè conſentiret, vel eſſet irrationabiliter inuitus.

420. *Damni illatio eſt iniuſta detrimenti irrogatio,* in bonis temporalibus, famâ, vel honore. DETRIMENTI, damni emergentis, lucriue ceſſantis. IRROGATIO, quâ damnum infertur, vel illatum non reſarcitur. Damnum inquam infertur, abſque vllâ acceptione, vel commodo inferentis.

421. *Res accepta eſt res alteri debita in ſe, vel æquiualenti extans.* DEBITA ex iuſtitiâ : v.g. equus furtiuus, legatum alteri, venditum, &c. VEL ÆQVIVALENTI, in precio, vel in re permutatâ, &c. EXTANS apud alterum, ſeparatim à domino : idque iuſtè, per commodatum, locatum, depoſitum, bonæ fidei emptio-

nem, &c. vel iniustè, per furtum, rapinam, malæ fidei emptionem, &c.

De contractu.

422. CONTRACTUS *est vltrò citròque obligatio.* VLTRO CITROQVE, ex vtrâque parte: vnde excluditur semicontractus, pariens tantùm in alterutro obligationem. OBLIGATIO paciscentium mutua, & reciproca; eaque iustitiæ, & stricti iuris: non solius amicitiæ, gratitudinis, decentiæ, &c. Propriè & formaliter.

423. *Contractus est pactum, causans vltrò citròque obligationem*; quâ paciscentes, sibi mutuo debitores constituuntur. *Obligationem* inquam personarum de rebus, vel de personis, vti fit in matrimonio.

424. *Semicontractus est pactum, causans vltrò citròque obligationem*: non in vtroque, sed tantùm in alterutro paciscentium. Eiusmodi est donatio, & gratuita promissio acceptata.

425. *Pactum est duorum in idem consensus, atque conuentio.* DVORVM, pluriumue: nam ad pactum requiritur vt diuersæ voluntates conspirent IN IDEM faciendum. CONSENSVS reciprocus, & in se mutuo directus, ATQVE CONVENTIO, scripto, verbo, nutu similiue signo externo expressa.

Contractus variè diuiditur: in explicitum & implicitum: in nominatum & innominatum, &c.

426. *Contractus explicitus est pactum expressum, pariens vltrò citròque obligationem.*

427. *Contractus implicitus est pactum virtuale, pariens vltrò citròque obligationem*; absque expressa conuentione.

428. *Contractus nominatus est is, qui habet speciale nomen*, quo distinguitur ab aliis contractibus.

429. *Contractus innominatus est is, qui non habet speciale nomen*: sed solum genericum. Huius sunt quatuor species: Do, vt des: Facio, vt facias: Do, vt facias: Facio, vt des.

430. *Contractus stricti iuris est is, in quo iudex ad verba contrahentium adstringitur.*

431. *Contractus bonæ fidei est is, in quo potest ex æquo & bono iudex arbitrari aliquid*, quod à contrahentibus non fuit expressum; sed bonâ fide censetur subauditum.

432. *Contractus gratuitus, siue lucratiuus est is, in quo pro dato nihil rependitur.* v. g. donatio, commodatum, precarium.

433. *Contractus onerosus est is, in quo pro dato aliquid rependitur.*

434. *Contractus nudus est is, qui in merâ paciscentium conuentione consistit*; absque vllo iuris ciuilis firmamento.

435. *Contractus vestitus est is, qui præter paciscentium conuentionem, habet superadditam iuris ciuilis firmitatem.* v. g. stipulationem, traditionem, iuramentum, &c.

436. *Contractus irritus est is, qui iure naturali, vel positiuo est inualidus, ipso facto.* IVRE NATVRALI, vti contractus initus absque iudicio rationis. IVRE POSITIVO, vti matrimonium metu contractum.

437. *Contractus irritandus est is, qui licet sit validus, potest tamen per iudicem irritari*: ratione doli, fraudis, iniuriæ illatæ, &c. Cæterum dolus, aut error dat causam contractui, quando mouet absolutè ad contrahendum; ita vt absque eo, non fuisset initus contractus. Non dat autem, quando error tantum incidit in contractum, aliàs ineundum; sed non hoc modo

438. Contractus quidam transfert rei dominium: vti permutatio, venditio, mutuum. Alius transfert solum vsum rei: vti commodatum, precarium. Alius solam rei custodiam: vti depositum, pignus. Quidam cedit in solius accipientis commoditatem, vt donatio, commodatum, mutuum: alius in solius dantis, vti depositum: alius in dantis & accipientis, vti locatum, pignus.

De obligatione restitutionis.

439. AD restitutionem obligatur ratione iniustæ acceptionis, & damnificationis, quisquis est illius causa immediata exequens; scilicet *Capiens aliena, eiusque minister*: item qui est illius causa mediata efficaciter cooperans, scilicet
Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

440. Ivssio, id est iubens, præceptoque suo expresso, vel implicito, efficaciter impellens causam executricem damni; eique inijciens quandam obligationem parendi, ita vt non possit, vel non audeat reluctari. P*racepto*, inquam, *explicito*, id est expressis verbis, signisue æquiualentibus iubendo, & inijciendo alteri obligationem parendi. Vel implicito: quale præceptum implicitum subest in incussione metûs, impellentis ad damnum: & in ratihabitione, complente illud in fieri; vel impediente restitutionem facti. Item in desiderio superioris, efficaciter intimato inferiori. v. g. dicendo. *Vtinam quis vindicet me, de hoste meo!* &c. Efficaciter impellens, &c. quia si causa executrix damni, erat illud executura propriâ sponte, absque iussu mandantis; tunc mandans, siue præcipiens, & iubens, non erit causa efficax damni: & consequenter non obligabitur ad restitutionem. Similiter si executor erat minùs damni illaturus, & mandans ampliùs iussit; obligabitur probabiliter tantùm ad auctarium. Idem in vtroque casu sentiendum de consulente, consentiente, adulante, &c. quâ tali: qui tamen quà mutus, non obstans, non manifestans, obligabitur in solidum.

441. Si mandans, mandati sui reuocationem intimet mandatario, ante damni illationem; non tenebitur ad restitutionem: quia sublata est efficacia motionis, à se prouenientis.

442. *Consilium*, id est, persuadens efficaciter damnum, consilio, hortatu, rogatu, rationum allegatio-

ne, instructione, precibus, promissis. Item dolo, vel culpâ latâ dissuadens restitutionem damni, absque suo consilio illati. Si re integrâ, consilium, aliaue ei æquiualentia reuocentur efficaciter à consultore, liberabitur à restitutione. Verùm; plus requiritur ad efficaciter reuocandum consilium, quàm mandatum. Nisi fortè quis consuluisset v. g. furtum, in sui consulentis vtilitatem, vel dicendo illud esse licitum; tunc enim sufficeret reuocatio consilij, dicendo sincerè nolle suo commodo furtum fieri, illudque esse illicitum.

443. Quando non superest alius modus auertendi magni nocumenti Titio imminentis, quàm consilium eidem minoris inferendi; tunc eiusmodi consilium dans, excusatur à restitutione, tanquam vtiliter gerens negotium eius. Secùs foret, si consilium minoris damni inferendi, dirigeretur in alium, de quo non cogitabat nociturus.

444. Qui tenetur ex officio, iustitiâ, stipendio, professione, ad dandum consilium; si dolo, latâue culpâ dederit damnosum persuaso, tenebitur ei ad restitutionem.

445. *Consensus*, id est, dans assensum & suffragium, quod est causa efficax damni. Sin minùs, erit consensus peccaminosus, iuxta Apostolum Rom. 1. sed non restitutioni obnoxius. Inefficacia consensûs oriri potest ex futilitate consentientis, vel inutilitate ipsius consensûs: quia scilicet absque eo, damnum erat irreuocabiliter inferendum. Secus foret, si dissensu potuisset damnum auerti.

446. *Palpo*, adulator, impellens efficaciter ad damnum adulatione, ignauiæ exprobratione, laudatione damnificantis, vel patrandi sceleris.

447. *Recursus*, recipiens damnificantem, occultans furtum, furtiue instrumenta: perfugium & securitatem præbens: protegens, apud iudicem defendens, efficaciter animans simili modo, ad inferendum damna, vel non reparandum illata.

448. *Participans*, tanquam causa partialis spontè

cooperans iniustæ damnificationi: & hic tenetur in solidum, quia est concausa totius damni; etiamsi damnificans constituisset solus patrare totam damnificationem. Si non sic cooperetur, sed scienter acceptet partem rei ante ablatæ; ad illius tantùm partis restitutionem tenebitur, quatenus particeps. Si autem insuper sit mutus, non obstans, non manifestans, tenebitur in solidum. *Sponte* inquiebam cooperans, quia si quis metu coactus, damnificanti apponat scalas, det instrumenta effractoria, abigat furtiuum pecus, auehat prædam, præbeatue aliud simile auxilium indifferens, non per se malum, non tenebitur ad restitutionem.

449. Non tenebitur etiam in solidum, sed tantùm ad suam partem is, qui non est cooperatus ad idem damnum indiuiduum, sed intulit distinctum, alijs eodem tempore alia damna inferentibus: nisi eis efficaciter sit cooperatus aliquo modo Quod si omnibus perpensis, dubium sit; & res maneat incerta, talis non erit in solidum obligandus: quia in dubio, melior est conditio possidentis libertatem suam.

450. *Mutus*, qui potest, & ex officio, vel iustitiâ debet damnificantem impedire verbis, ab inferendo damno: vel inducere ad illati restitutionem; & tamen culpabiliter omittit.

451. *Non obstans*, qui potest, & ex officio, vel iustitiâ debet damnificantem impedire facto, corporalique auxilio, ab inferendo damno; vel cogere ad illati restitutionem: & tamen culpabiliter omittit.

452. *Non manifestans*, qui potest, & ex officio, vel iustitiâ debet verbali delatione ad magistratum, dominum, eumue cuius interest deferre damnificantem; ad hoc vt damnum impediatur, aut illatum resarciatur: & tamen culpabiliter omittit.

453. Itaque ante damni illationem, in illâ, vel post illam, *Mutus* omittit operam verbalem, erga damnificantem: *Non obstans* omittit operam corporalem, erga eundem damnificantem: *Non manifestans* omittit

operam verbalem, erga magistratum, dominum, eumue cuius interest.

454. Harum nouem efficacium causarum damni sex primæ sunt positiuæ : tres vltimæ sunt negatiuæ, Censetur autem negatiua efficax causa damni, quisquis ex officio, vel iustitiâ debet, & potest illud inferendum impedire, aut illati restitutionem procurare; & tamen omittit culpabiliter, maximè dolo, vel culpâ latâ. Vnde sequitur quòd Confessarius mutus, eiusmodi dolo, vel culpâ latâ, non impediens pœnitentem, à damni illatione; vel non obligans ad illati restitutionem; ipsemet ad illam obligetur : nisi postea eundem debitè monuerit obligationis suæ. Idem esto iudicium, si positiuè indebito obligauit pœnitentem ad restitutionem, aut ab eâ exemit. Confessarius inquàm, siue ex obligatione, siue ex solâ charitate talis : quià vterque fungens hoc officio, obligatur ad munus suum debitè implendum.

455. Ad restitutionem ratione rei acceptæ, obligatur ante omnes alios, quisquis illam rem habet in se, vel æquiualenti. Quia *res transit cum onere* : & consequenter res accepta, cum onere restitutionis. Imò si malâ fide eam habeat, obligatur ad restitutionem omnium fructuum illius, à se perceptorum : quin & percipiendorum aliàs à domino, etiam per meram industriam. Quam si dominus non erat adhibiturus; tunè eiusmodi meræ industriæ fructus, non erunt restituendi : & in mixtis, durante bonâ fide perceptis, expensæ erunt deducendæ. Cæterum

456. *Fructus merè naturales, sunt ij, qui naturali rei productione proueniunt*, absque industriâ humanâ. v. g. fœnum, poma, glandes, &c.

457. *Fructus meræ industriæ sunt qui industriâ humanâ proueniunt ex re sterili*, v. g. lucrum ex negotiatione pecuniæ, ex artificioso vsu penicilli, colorum, &c.

458. *Fructus mixti sunt qui naturali productione rei proueniunt, accedente industriâ humanâ*. v. g. segetes messes, &c.

459. Si res aliena non amplius extet, & alienata vel consumptà fuerit bonâ fide, ab eo, qui ignorabat esse alienam; tunc tenebitur tantùm restituere auctarium, quo factus est ditior. Si autem malâ fide, tenebitur restituere totum precium rei.

In hac materiâ damnificationis, & restitutionis,

460. *Principalis est is, qui inducit alterùm ad inferendum damnum, nomine suo; vel iussu, coactione, aut fraude.* NOMINE SVO, in sui inducentis commodum, vindictam, oblectationem, &c. VEL IVSSV efficace, inijciente executori necessitatem parendi: quia scilicet procedit à personâ, cuius authoritati non est ei integrum reluctari. COACTIONE renitenti illatâ, vi intentâ, metuue incusso. FRAVDE, astutiâ, deceptione, dolo. In genere

461. *Executor damni est is, qui immediatè illud infert;* exequendo illud propriâ sponte, vel impulsu alieno. Propriè

462. *Executor est is, qui immediatè infert damnum nomine impulsuue principalis*, tanquam instrumentum illius. IMPVLSVVE alienæ iussionis, coactionis, aut fraudis.

463. Ad restitutionem, ratione damni illati, obligatur primo loco Principalis: cui restituenti, executor aliaue causa secundaria non obligatur. Quia qui suo nomine vult inferri damnum implicitè suscipit in se onus faciendæ restitutionis: & iubens, cogens, vel fraude inducens ad damnum inferendum; iniustè coniicit inductum in obligationem restitutionis. In defectum principalis, secundo loco obligatur executor, quà talis; quatenus scilicet est executus damnum, nomine principalis, & tanquam instrumentum illius. Executori restituenti, aliæ causæ secundariæ positiuæ vel negatiuæ, non obligantur; sed principalis. Vti etiam causis secundariis restituentibus, obligabitur illis executor. Tertio loco obligantur causæ positiuæ: quarto, negatiuæ: inter quas est hic ordo, *Non obstans, mutus, non manifestans:* quæ etiam probabiliter manent immunes, restituentibus positiuis.

464. Quod si executor, suo & complicum nomine, intulit damnum; omnes tenentur primo loco: & ipsemet, tanquam vnus illorum: tanquam autem executor tenetur secundo loco. Quando autem plures fuerunt æquè principales, vel æquè secundariæ causæ eiusdem damni; primò tenentur singuli conferre æquales portiones, ad restitutionem: Secundò in defectum complicum, quisque tenetur in solidum: Tertiò ei, qui prior totum restituit, reliqui tenentur in conscientiâ, pro sua parte: interim in foro externo non datur actio in socios criminis.

465. Si damnificatus condonet restitutionem obligato primariò ad eam; tunc qui secundariò in defectum illius obligantur, manent immunes Secùs est, si condonatio fiat secundario: tunc enim primarius non est immunis. Idem esto iudicium, si fiat condonatio vni eorum, qui æquè primariò, vel secundariò obligantur ad restitutionem: nam reliqui manent obligati, pro suâ quotâ.

466. *Causa efficax damni est ea, quæ in illud influit*, physico, vel morali influxu; ita vt damni illatio ab eâ dependeat.

467. *Causa sine quâ non, est ea, ad cuius esse sequitur causæ executricis effectus*; aliàs non secuturus, sine ipsius, similisue cooperatione. In hac materiâ restitutionis,

468. *Obligari in solidum, est teneri ad totius restitutionem*: quo modo obligatur, qui est causa, vel concausa totius damni. Multum autem interest, num damnum sit datum culpâ: non theologicâ, quæ peccatum est, vel iuxta D. Th. 1. 2. q. 21. a. 2 *est imputatio vituperij, consequens peccatum*; sed iuridicâ, siue ciuili: quæ ciuilis.

469. *Culpa est omissio circumspectionis, & diligentiæ, ex quâ alicuius damnum sequitur*. CIRCVMSPECTIONIS, quæ

470. *Circumspectio est attenta consideratio eorum, quæ consideranda sunt*, hic& nunc. ET DILIGENTIÆ, quæ

471. *Diligentia est attentio animi, & sollicitudo, ad opus adhiberi debita.* EX QVA omissione. ALICVI, ipsi culpabili, vel alteri: nam culpa alterutri damnosa est. DAMNVM SEQVITVR: nam culpa non potest esse obligatoria restitutionis, nisi sit damnosa alteri.

Culpa diuiditur in latam, latiorem, & latissimam: in leuem, & leuissimam.

472. *Culpa lata, est communis diligentiæ, à prudentibus adhiberi solitæ omissio damnosa.* A PRVDENTIBVS eiusdem conditionis, artis, idem negotium tractantibus.

473. *Culpa latior est communis diligentiæ, à prudentibus adhiberi solitæ omissio damnosa supina*; ita vt meritò præsumatur esse dolus. Itaque *Culpa latior est dolus præsumptus.*

474. *Culpa latissima est communis diligentiæ, à prudentibus adhiberi solitæ omissio damnosa; ea intentione vt alter decipiatur,* & damno afficiatur. Itaque *Culpa latissima est dolus apertus.*

475. Culpa de se leuis, imò leuissima, potest esse lata in rebus summoperè periculosis, vbi adhibenda est communi maior, imò summa diligentia. Item in personis, quæ ad summam diligentiam obligantur ex officio, propriâ professione, stipendio lautiore, &c.

476. *Fraus est factum, ad alterum decipiendum.*

477. *Dolus est dictum, vel factum, ad alterum decipiendum*, Secundùm Iurisconsultos,

478. *Dolus est quæuis calliditas, fallacia, & machinatio, ad circumueniendum, fallendum, & decipiendum, adhibita.* Calliditas fit tacendo, fallacia mentiendo, machinatio arte verborum, ait Glossa.

479. Ad restitutionem, ratione contractûs, potest quis diuersimodè obligari; præcipuè vbi culpa intercessit. Itaque quando contractus. v. g. commodatum, cedit in vtilitatem solius accipientis; ipse tenetur de culpâ latâ, leui, & leuissimâ: excepto precario, in quo quis tenetur tantùm de culpâ latâ; idque propter obligationem faciendæ restitutionis, quocunque momento, ad nutum concedentis.

Quando contractus, v. g. locatum, cedit in vtilitatem dantis, & accipientis; ipse accipiens tenetur de culpâ latâ, & leui, non autem de leuissimâ. Quando contractus v. g. depositum, cedit in solius dantis vtilitatem; ipse accipiens tenetur tantum de culpâ latâ, non autem de leui, aut leuissimâ.

480. Quando res perit casu fortuito apud commodatarium, conductorem, &c. ipse ad nihil tenetur: nisi sit in morâ reddendi; aut culpâ suâ dederit occasionem casui fortuito; aut ad illum præstandum sese obligarit.

481. *Casus est effectus per accidens, & præter intensionem causæ efficientis.* Effectus per accidens, siue

482. *Casus fortuitus est effectus, ab agente non intentus, neque intento coniunctus per se, sed contingenter.* NON INTENTVS directè, expressâque intentione volitus: NEQVE directè, INTENTO CONIVNCTVS PER SE & ex naturâ rei; atque adeo non volitus indirectè: SED intento coniunctus *contingenter*, & planè fortuitò. Eiusmodi foret iactura pallij commodatitij, & equi conductitij, à prædonibus abrepti Titio, cum debitâ circumspectione, petenti Duaco Cameracum. Vide 1. 2. n. 282. & 284.

483. *Effectus non fortuitus est quid directè intentum, vel sic intento, per se coniunctum.* Eiusmodi foret ebrietas illius, qui directè eam intendit. Item illius, qui expressè non intendit eam; sed voluit sine briâ, & mensurâ bibere.

De furto, rapina, detractione, &c.

484. F*Vrtum est iniusta, & occulta rei alienæ acceptio.* EST INIVSTA, violando ius domini, rationalibiliter inuiti: quia non esset furtum, si acceptio foret iusta; v. g. in extremâ necessitate, & in occultâ compensatione, &c. Item si dominus consentiret, aut si foret irrationabiliter inuitus. ET OCCVLTA, domino nesciente, saltem ex intentione accipientis: quâ parte, furtum differt à rapinâ, & acceptione iniustâ, per con-

tractum iniquum. REI ALIENÆ, proprietate, vel vſu. Vnde quamuis non ſit furtum, acceptio rei ſuæ, quatenus ſua eſt; poteſt tamen eſſe, quatenus eſt aliena vſu, alioue iuſto titulo v. g. commodati, pignoris, &c. ACCEPTIO, vſurpatio, qua res, ab accipiente ſibi vindicatur: per quam partem, furtum diſtinguitur ſaltem materialiter, à damnificatione, qua res aliena vaſtatur & deſtruitur. Sub acceptione autem comprehenditur iniuſta detenſio rei alienæ, etiam ante iuſtè acceptæ.

485. *Rapina eſt iniuſta, & violenta rei alienæ acceptio.* VIOLENTA facta domino ſcienti, & renitenti, per ſe, vel cuſtodes; ſaltem non ſponte conſentienti.

486. *Plagium eſt liberi hominis iniuſta acceptio*, facta animo vindicandi illum in ſeruitutem. LIBERI, quin & ſerui, latè accipiendo plagium.

487. *Peculatus eſt furtum pecuniæ publicæ.*

488. *Abigeatus eſt pecudum iniuſta, & violata, doloſaue abductio.*

489. *Detractio eſt alienæ famæ occulta, & iniuſta denigratio.* FAMÆ OCCVLTA DENIGRATIO, irrogata abſenti: ſaltem ex intentione detrahentis. Qua parte diſtinguitur à contumelia, quæ preſenti aufert honorem. ET INIVSTA, ſi enim eſſet alienæ famæ iuſta denigratio, non foret formalis detractio. v. g. amicus meus eccleſiaſticus vult aſſumere N. in domeſticam famulam, ratus eam pudicam, & fidelem; quam ego ſcio eſſe occultè impudicam, & furacem, ideoque moneo ne eam aſſumat, quia ei non conducat. Nihilominùs ipſe perſeuerat in reſolutione eam aſſumendi, niſi allegauero rationes pertinentes: itaque ſub ſecreto dico ei eſſe impudicam & furacem, abſque formali detractione; quia abſque iniuſta famæ illius denigratione. Nam non habet ius, vt ego celem peccatum ipſius occultum, cum amici mei euidenti periculo damni ſpiritualis, & temporalis. In genere,

490. *Fama eſt multorum exiſtimatio de re aliquâ.* Siue *eſt rumor plurimorum, ſermoque communis de re aliqua.* Perſonæ autem.

491. *Fama eſt multorum exiſtimatio de vitâ, & mori-*

bus alicuius. EXISTIMATIO: inquam, bona, vel mala: quæ eſt infamia: à qua etiam dicitur famoſus latro, famoſa meretrix, &c. Bona.

492. *Fama eſt multorum exiſtimatio de alicuius excellentiâ* in virtute, probitate, ſcientia, &c. Secundùm Iuriſconſultos.

493. *Fama eſt illaſa dignitatis ſtatus, legibus & moribus comprobatus.*

494. Detractor obligatur ad reſtitutionem famæ, & damnorum ſecutorum; etiam cum propria infamia: quin & cum vitæ propriæ periculo, ſi eiuſmodi periculum immineat diffamato.

495 *Honor eſt teſtimonium, æſtimationis propriæ de excellentiâ alienâ,* In virtute, ſcientia, &c. Honor eſt excellentior fama, quam includit; ſcilicet æſtimationem excellentiæ alienæ; & inſuper illius teſtificationem. Ideoque contumelia, tollens honorem, cæteris paribus, eſt grauius peccatum detractione, tollente famam.

496 *Contumelia eſt iniuſta honoris violatio, irrogata præſenti, & ſcienti.*

497. Si ex contumelia, aut detractione non ſit damnum ſecutum; vel honor & fama ſit recuperata, contumelioſus aut detractor tantum tenebitur ad veniæ petitionem, & reconciliationem.

De propoſito, promiſſione, donatione, &c.

498. P*ropoſitum eſt mentis ſtatutum*, abſque fidelitatis obligatione. Siue, *eſt deliberata voluntas exequendi id, quod electum eſt ad aliud aſſequendum.*

499. *Promiſſio eſt deliberata & ſpontanea fidei obligatio, de re poſſibili, grataque promiſſario.* DELIBERATA ET SPONTANEA, plena animaduerſione deliberata, abſque coactione, metu, dolo, errore, Plena, inquam animaduerſione: nam ſi ſubſit tantum ſemiplena deliberatio, promiſſor non obligabitur: quia promiſſio eſt onus ſponte ſuſceptum, quod debet eſſe plene deliberatum. FIDEI ſiue fidelitatis. Secundum Cicero-

nem lib. 1. Officiorum.

500. *Fides est dictorum, & conuentorum constantia, & veritas.* POSSIBILI: nemo enim potest obligari ad impossibile: quale quid si quis sciens promittat, non erit vera promissio, sed illusio. GRATAQVE PROMISSARIO; aliàs foret potiùs comminatio. Quæ

501. *Comminatio est mali dandi intentatio.*

502. *Donatio est doni gratuita collatiò.* Siue, *est liberalis datio.* GRATVITA, & LIBERALIS, facta sine donatoris debito iustitiæ; & non ordinata ad eiusmodi debitum imponendum donatario. Secus est de debito gratitudinis: quale si subsit ex parte donatoris, erit donatio remuneratoria.

503. *Datio est donantis actio*, natura sua sufficiens ad transferendum dominium rei donatæ: modò donator habeât doni dominium, cum potestate alienandi.

504. *Donatio completa est ea, quæ fit reali traditione doni.*

505. *Donatio incompleta est ea, quæ fit solâ verbali traditione.*

506. *Donatio inter viuos est ea, quâ donator, se viuo transfert dominium rei in donatarium.*

507. *Donatio mortis causâ, est ea, quâ donator, se mortuo transfert dominium rei in donatarium.*

508. Pollicitatio *est nuda promissio, sine acceptatione* promissarij.

509. Promissio, & donatio non obligat ante acceptionem, potestque interea reuocari: nisi quid donatum promissumue sit Ecclesiæ, hospitali, ciuitati, aut vniuersitati, quia illud potest semper acceptari.

510, Iure naturæ irrita est promissio, cuius impletio est peccatum: ad quod nemo potest obligari. Iure positiuo irrita est ea, quæ est contra bonos mores ciuiles, & præbet occasionem peccandi.

511. Promissio onerosa, facta ob turpem causam, irrita est vtrimque, ante operis patrationem: post eam tamen promissor obligatur, non tantum ex fidelitate, sed & iustitia: tum ratione contractus locati & conducti, alteriusue innominati: tum ratione voluptatis,

vtilitatis, laboris, & similium pretio æstimabilium.

512. Inter viuos donatio, etiam completa, potest reuocari, primo ob ingratitudinem donatarij: secundò ob prolem, à donatore genitam: tertiò si sit inofficiosa, id est contra officium pietatis paternæ in filios.

513. Donatio mortis causa, potest reuocari, primo si pœniteat donatorem: secundò si mors instans euadatur, cuius intuitu donatio facta fuit: tertiò si donatarius moriatur ante donatorem.

514. *Stipulatio est contrahendi formula, constans præuiâ vnius interrogatione, & alterius subsequâ responsione.* v. g *Spondes centum? Spondeo Fideiubes? Fideiubeo.*

De testamento, codicillo, &c.

INter donationes mortis causâ, præcipuum locum tenet testamentum: quod

515. *Testamentum est vltima voluntatis dispositio, directaque hæredis institutio.* TESTAMENTVM, quasi testis mentis: vtpote instrumentum, quo quis testatur vltimam suam mentem. EST VLTIMAE VOLVNTATIS, actualis & obiectiuæ. Nam hæc

516. *Vltima voluntas est rei alicuius volitio, habitualiter perseuerans vsque ad mortem*; post eam mandanda executioni. DISPOSITIO, ordinatio, expressa verbo alioue signo externo; & proprie scripto. Ideoque scriptum continens testatoris vltimam voluntatem vocatur testamentum. DIRECTAQVE HÆREDIS INSTITVTIO: quæ scilicet fit per verba directa. Hæc autem *Verba directa* sunt ea quæ significatione suâ, hæreditatem transferunt rectà & immediatè à testatore ad hæredem, sine ministerio alieno. v. g. *Rogo te Cai, vt à Titio hæreditatem meam accipias. Rogo te fili, vt Seium hæredem facias*, &c.

517. *Hæredis institutio est nominatio successoris, in vniuersum ius testatoris.*

518. *Hæres est defuncti successor in vniuersum ius illius.* [illegible] dictus, quòd in bonorum successione, de-

functo itá hæret, vt personam illius repræsentet, fictione iuris.

519. *Hæreditas est successio in vniuersum ius defuncti*, quod habuit mortis suæ tempore. Imò proprie, *est vniuersitas bonorum, à defuncto relictorum.* VNIVERSITAS, siue VNIVERSVM IVS, ad excludendos particulares titulos legati, donationis, &c. quibus aliquâ in parte, & titulo speciali succeditur defuncto.

520. *Codicillus est vltima voluntatis testificatio, sine hæredis institutione, testamentaria que solennitate.* CODICILLVS, paruus codex, & tabella cera illita, stylo exarari apta. TESTIFICATIO de eo, quod quis fieri vult, post mortem suam. SINE HÆREDIS INSTITVTIONE directa: aliàs foret testamentum. Itaque codicillus non fit ad instituendum hæredem: sed ad aliquid legandum, ad explicandum testamentum, substitutionem fideicommissariam faciendum, &c. TESTAMENTARIA QVE SOLENNITATE requirente septem testes, masculos, puberes, rogatos, subscribentes, &c.

521. *Fideicommissum est vltima voluntatis dispositio, quâ testator hæredis sui fidei committit aliquid, quod alteri sit traditurus.* v. g. hæreditatem, partemue illius aliquotam, &c. Item.

522. *Fidei commissum est donum particulare, à testatore alicui relictum, mediante hærede præstandum.* Siue, est id, *quod à testatore, hæredis fidei committitur, substituto tradendum.*

523. *Fidei commissarius est hæres indirectus, ad quem obliquè ministerio alterius defertur hæreditas.*

524. Legatum *est testatoris particulare donum, abs hæreditate selectum, directis verbis alicui relictum.* Secundum Iustinianum *est donatio quædam, à defuncto relicta, ab hærede præstanda.* Secundùm Florentinum, *est delibatio hæreditatis, quâ testator, ex eo quod vniuersum hæredis foret, alteri quid confert.*

525. *Legare est testamento res particulares alicui relinquere*: directis verbis dicendo, *Titio centum do lego*, &c. TESTAMENTO, vel codicillo. RES PARTICVLARES, abs hæreditate, testatorisque bonorum vniuersitate

separatas. RELINQVERE immediatè per ipsum testatorem; non mediatè per hæredem.

526. *Donatio inofficiosa est liberalis & gratuita datio testatoris immoderata, contra officium pietatis*, debitæ proximis, & hæredibus ab intestato, legitimâ priuatis; qui de inofficioso conqueri possunt.

527. *Legitima est successionis portio, lege debita hæredibus ab intestato*, descendentibus, ascendentibus, & collateralibus. Ea erat olim quarta pars bonorum defuncti, reliqua deducto ære alieno, & impensis funeris; iam est tertia pars, quando sunt quatuor hæredes, & infra. Est autem semis, siue dimidia pars, quando sunt quinque hæredes, & supra. Vnde versus;

Quatuor, aut infra, dant natis iura trientem.
Semissem verò dant natis quinque, vel vltra

Legitima debetur à parente filijs legitimis, ac nepotibus: ab illiberis filijs debetur parenti, & fratri, non merè vterino: à matre filio naturali, non spurio.

528. *Filius legitimus est natus ex parentibus, matrimonio legitimo coniunctis.*

529. *Filius illegitimus est natus ex parentibus, matrimonio legitimo non coniunctis.* Idem vocatur nothus. Nam

530. *Nothus est filius, natus ex non legitima vxore*
Filiorum illegitimorum quidam sunt naturales, alij spurij,

531. *Filius naturalis est natus ex parentibus, matrimonio legitimo non coniunctis, impedimento dirimente solutis*, tempore conceptionis, vel natiuitatis.

532. *Filius spurius est natus ex parentibus, matrimonio legitimo non coniunctis, impedimento dirimente impeditis*, tempore conceptionis, & natiuitatis.

Cum hoc spurio coincidere videtur natus ex complexu nefario, & coitu damnato: qualis est omnis illegitimus, excepto naturali. Nam coitûs damnati nomine, videtur intelligi is, qui legibus ciuilibus damnatur, & punitur: scilicet adulterinus, incestuosus, sacrilegus, & similes, exceptâ simplici fornicatione. Secundùm quosdam authores

533. *Spurius est incerto patre natus, matre vulgante corpus.* Lege Falcidiâ, testandi facultas limitatur, ne testator possit vltra dodrandem legare; vt quarta pars hæredi salua maneat. Itaque Falcidia detrahitur à legatis, Trebellianica â fideicommissis.

534. *Falcidia est hareditatis quarta pars, quam hares potest detrahere à legatis*, donationibusque mortis causa.

535. *Trebellianica est hareditatis quarta pars, quam à fideicommissis potest detrahere hares*, cui est facta substitutio fideicommissoria.

536. Latè sumpta *Substitutio est subrogatio alterius, in locum haredis, legatarij vel donatarij mortis causâ.*

537. Strictè sumpta *Substitutio est secundi haredis nominatio, in defectum primi.* Siue, *est subrogatio secundarii haredis, in locum primarij.*

538. *Substituere est vni alterum sufficere.* Et propriè, *est instituto haredi alterum subrogare.*

539. *Substitutio vulgaris est nominatio secundi, in euentum si primus hares non erit.* Siue, *est simplex, & directa subrogatio, quâ testator haredi suo sufficit alterum*, iure non prohibitum.

540. *Substitutio pupillaris est subrogatio, quâ parens, proli sua, ante pubertatem decedenti, haredem sufficit.*

541. *Substitutio exemplaris est subrogatio, quâ parens filio bonorum administratione interdicto, haredem sufficit.* EXEMPLARIS, inuenta ad exemplum substitutionis pupillaris. FILIO prodigo, amenti, surdo simul & muto.

542. *Substitutio reciproca est subrogatio, , quâ testator plures haredes instituit, inuicemque substituit.*

543. *Substitutio fidei commissoria est ordinatio testatoris, haredem suum grauantis, vt alteri tradat hareditatem*, totam vel partem.

544. *Substitutio militaris, siue compendiosa est subrogatio complectens plures substitutiones*, quoad diuersa tempora v. g. *Caium filium meum haredem instituo; & quandocunque decesserit. Titium ei substituo.*

De permutatione, & camio.

545. P*Ermutatio est rei unius, pro aliâ datio*, vltrò citróque.

546. *Cambium est permutatio, non gratuita*: sed cum lucro campsoris.

547. Speciatim, & strictè *Cambium est permutatio pecuniæ pro pecuniâ, cum lucro collybistæ*, siue campsoris & numularij.

548. *Cambium reale est permutatio pecuniæ pro pecuniâ, cum lucro legitimo*, scilicet prouenieute ex titulo iusto, v. g. amicitiæ, gratitudinis, industriæ, præstationis periculi, lucri cessautis, damniue emergentis.

549. *Cambium siccum est permutatio pecuniæ pro pecuniâ, cum lucro iniusto*, siue vsurario. SICCVM, quod instar soli sicci, caret humore, iustoque titulo producendi lucri.

550. *Cambium minutum, siue manuale est de manu ad manum permutatio pecuniarum diuersæ rationis*, v. g. aureæ cum argenteâ, æreâ; maioris cum minutiore; vetitæ cum legitimâ; detritæ vel arrosæ cum asperâ, probâ; antiquæ cum nouâ; exteræ cum patriâ.

551. *Cambium locale, siue per litteras, est permutatio pecuniæ præsentis, cum absente*, mediante syngraphâ collybisticâ.

552. *Cambium purum est illud, cui non admiscetur mutuum*, similisue contractus.

553. *Cambium impurum est illud, cui admiscetur mutuum*, similisue contractus. Itaque cambium purum, idem est quod iustum; impurum est iniustum.

554. Negotiatio campsaria est periculosa, ob iniustitiam sæpè latentem. Proinde ad conscientiarum securitatem, obseruandæ sunt conditiones, quas Pius V. requirit in suâ Bullâ de cambijs, relatâ per Nauarrum, Lessium, & Malderum.

De reditu, siue censu.

REditus accipitur duobus modis: primò pro pensione annuâ, secundò pro iure illius percipiendæ;

potest accipi tertio modo, pro contractu.

555. Primo modo, *Reditus est pensio annua, ex re personâue alienâ perceptibilis*. PENSIO ANNVA, certa quantitas pecuniæ, reiue pecuniâ æstimabilis, soluenda quotannis. PERCEPTIBILIS, quæ actu percipitur, vel iure percipi potest.

556. Secundo modo, *Reditus est ius percipiendi pensionem annuam ex re personâue alienâ*. Reditui synonimus est census: qui tribus modis accipitur. Primò pro pensione annua: secundò pro iure illius percipiendæ: tertiò pro contractu censuali.

557. Primo modo, *Census est pensio annua, ex re personaue alienâ perceptibilis*.
Secundo modo; *Census est ius percipiendi pensionem annuam ex re personaue aliena*. ANNVAM: quia censualis pensio debet pendi soluique quotannis, & durare ad aliquod tempus. EX RE, estque census realis: PERSONAVE, & est census personalis. ALIENA: qua parte differt census ab emphyteusi, percipiente pensionem annuam ex re, dominio directo propria.

558. Tertio modo, *Census est contractus, quo super re personaue pensio annua reseruatur, vel consignatur*. RESERVATVR, & est census reseruatiuus: VEL CONSIGNATVR, estque census consignatiuus.

559. *Census reseruatiuus est contractus, quo quis in alteram transfert rei suæ dominium, reseruata annua pensione, super eam*. DOMINIVM directum, & vtile. Est etiam pensio, sic reseruata; & ius eiusmodi pensionis percipiendæ.

560. *Census consignatiuus est contractus, quo quis super bonis, personaue sua consignat alteri pensionem annuam* percipiendam. SVPER BONIS, retento illorum dominio directo, & vtili. Est etiam pensio, consignata; & ius illius percipiendæ, consignatario competens.

561. *Census realis est ius annuæ pensionis percipiendæ ex alterius re fructifera*. Item est ipsa pensio, & contractus censualis: similiter in sequentibus.

562. *Census personalis est ius annuæ pensionis percipiendæ ex persona alterius immediatè*. EX PERSONA vtili

& fructifera : habente bona, in re vel in spe, ratione industriæ & qualitatis suæ : & quidem tanta, quanta sufficiunt reditui soluendo.

563. *Census mixtus est ius annuæ pensionis percipiendæ, immediatè ex re, personaque alterius.* MIXTVS ex reali, & personali; ita scilicet vt persona principaliter sit obnoxia pensioni, & res subsidiariè : vel è diuerso, res principaliter, persona autem cum reliquis suis bonis, accessoriè.

564. *Census fructuarius est ius annuæ pensionis percipiendæ in fructibus.* v. g. frumento, vino, &c.

565. *Census pecuniarius est ius annuæ pensionis percipiendæ in pecunia.*

566. *Census perpetuus est is, qui per se durat semper,* & non terminatur certo annorum spacio.

567. *Census temporalis est is, qui certo annorum spacio terminatur, vitâue certa persona,* & tunc expirat. Hic dicitur *vitalicius*, ille *ad medicum tempus*; si sit decennio minus.

568. *Census certus est ius percipiendæ annuæ pensionis determinatæ*, in pecuniâ, vel fructibus, v. g. centum coronatos, quinquaginta tritici modios, &c.

569. *Census incertus est ius percipiendæ annuæ pensionis indeterminatæ.* v. g. centesimæ, quinquagesimæ, decimæ partis fructuum.

570. *Census redimibilis est is, qui extingui potest, refusione summæ pecuniariæ.* totaliter, vel partialiter numeratæ.

571. *Census irredimibilis est is, qui extingui non potest refusione summæ pecuniariæ*, totaliter, vel partialiter numeratæ.

572. Varium est precium censuum : quo namque precio hìc & nunc potest emi res fructifera, deductis expensis valens centum florenis ; eodem, minoreque precio potest iustè emi census totidem florenorum.

De mutuo, & vsura.

MVtuum accipitur duobus modis : primò pro re datâ mutuò, secundò pro contractu mu-

tuationis

573. Primò modo, *Mutuum est res fungibilis, alteri data gratis, reddenda eadem specie, non numero.*

574. Secundo modo, *Mutuum est contractus, quo res fungibilis alteri datur gratis, reddenda eadem specie, non numero*, RES FVNGIBILIS, siue *recipiens functionem*, vti loquuntur Iurisconsulti: id est, res quæ potest fungi vice alterius; & altera vice illius: ita vt videatur res planè eadem dari, & reddi. Cuiusmodi res fungibilis comprehendit rem vsu consumptibilem, & insuper aliam constantem numero, pondere, & mensurâ contentiuâ, non vlnariâ. Vnde benè definitur.

575. *Mutuum est gratuita rei, pondere, numero, vel mensurâ constantis; reddenda similis specie, & bonitate.* GRATVITA, quia legitimum mutuum requirit, vt res tradatur gratis, & liberaliter; absque omni alio onere, quàm restituendæ similis specie, & bonitate. TRADITIO: quia mutuum perficitur traditione, sicut donatio, commodatum, depositum: secùs quam venditio, & similes contractus; qui perficiuntur verbis. *Traditio* inquam, facta eo animo vt res mutuaria transeat in dominium mutuatarij: Nam per mutuum transfertur dominium rei: & quando do mutuum, illud fit ex meo tuum; secùs quàm in commodato, aut deposito. REI PONDERE, VEL MENSVRA pari CONSTANTIS: nam mutuum in eiusmodi re consistit: præcipuè quidem in re vsu consumptibili, non tamen solâ. Nam secundùm ius, libera æris vel argenti potest dari mutuo, ad pondus. REDDENDÆ, aliàs foret donatio: SIMILIS SPECIE, non eiusdem in indiuiduo: aliàs foret commodatum, vel depositum: si autem redderetur res dissimillis specie; esset permutatio rei, pro re, differente specie. Qualis specifica differentia non subest, quando pro pecuniâ aureâ redditur argentea: quia omnis pecunia, licet diuersæ materiæ, est eiusdem speciei, considerata formaliter, quatenùs est mensura rerum vænalium. ET BONITATE: aliàs non restituendo rem similem & parem bonitate naturali, non seruaret

æqualitatem, & committeret iniustitiam.

576. *Pœna conuentionalis est mulcta, contrahentium conuentione constituta.* POENA COVENTIONALIS, sic dicta à con-

577. uentione partium: quemadmodum * *pœna iudicialis*

578. *est ea quæ per sententiam iudicis est inflicta:* & * *pœna legalis est ea, quæ lege est constituta.* EST MVLCTA, pœna pecuniaria, CONTRAHENTIVM mutuo consensu, & CONVENTIONE CONSTITVTA.
Pœna conuentionalis imponitur agenti contra pactum conuentum: & sæpè interuenit contractibus, ipsique mutuo: & tunc

579. *Pœna conuentionalis est pactum mutuantis cum mutuatario, vt si termino præfixo non reddat sortem; supra eam, soluat aliquid,* in culpabilis suæ moræ pœnam. Hæc pœna conuentionalis potest apponi mutuo, modò sit primò moderata, iuxta mensuram moræ, & culpæ. Vnde si nulla sit mora, aut culpa; nulla potest infligi pœna, Si autem alterutra subsit, aut vtraque; illa benignè æstimanda est: nisi interesse mutuantis, aliaue circumstantia loci, temporis, &c. exigat rigidam æstimationem. Si pars sortis tempore præfixo reddita sit, non poterit exigi tota pœna conuenta. Secundò, dummodò hæc pœna non apponatur ad fraudem vsurariam: quam remouit Dominus Deuteronomij 15. dicens: *Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem deuenerit, dabis mutuum nec ages quidpiam callidè; in eius necessitatibus subleuandis.*

580. Lex *commissoria est conditio addita contractui, vt ille rescindatur, si contra pactum, aliquid committatur.* EST CONDITIO, à quâ pendet vt contractus ratus sit, vel irritus. ADDITA CONTRACTVI, de mutuo contrahentium consensu. VT ILLE RESCINDATVR, vel possit rescindi à parte stante conuentis. Hæc lex potest apponi varijs contractibus: quatenùs autem apposita mutuo,

581. Lex *commissoria est pigneratoris mutuantis pactum cum mutuatario, vt si termino præfixo non reddiderit mutuum, pignus ipsius cadat in commissum.* PIGNERA-

TORIS, accepto pignore, MVTVANTIS. Pignus CADAT IN COMMISSVM, fiatque mutuantis,

582. Vt lex commissoria possit iustè apponi mutuo, requisitæ sunt conditiones pœnæ conuentionalis, num. 579. expressæ. Vnde si pignus valore suo intrinseco, fructibusue suis, longè excedat mutuum; erit iniusta lex commissoria: eoque titulo est prohibita cap. *Significante 7. de pignoribus.* Secùs erit, si pignus & mutuum sint inter se commensurata: aut si arbitrio viri prudentis, excessus pignoris compensetur per mutuatorem, computatis etiam fructibus perceptis. Nam legis commissoriæ æquitas in eo consistit, quòd elapso solutionis termino, pignus cedat mutuatori, tanquam emptum iusto sortis mutuatæ precio.

583. Quando pendente mutuo, mutatur valor rei mutuatæ v. g. tritici, vini, pecuniæ, &c. ambigitur quantum, & quomodo oporteat restituere? an secundùm precium, quod fuit tempore mutui; an quod est tempore, restitutionis; Manendo intra limites mutui, seposito alio pacto, & suppositâ bona fide, videtur vniuersìm decendum, quòd quando res ipsa fungibilis fuit data mutuò, secundùm pondus, numerum, mensuram, bonitatemque suam; sine respectu (saltem primario) ad precium illius. v. g. viginti modij frumenti, centum Philippæi, &c: tunc mutuatarius satisfaciet reddendo tantumdem in simili specie: siue rerum precium interea creuerit, siue decreuerit. Quando autem rei mutuatitiæ valor est primariò datus mutuo, v. g. trecenti floreni, in centum Philippæis, vel mille floreni, in centum Pistollis; tunc mutuatarius tempore restitutionis obligabitur ad refundendum valorem, qui fuit tempore mutuationis: siue valor interea creuerit, siue decreuerit. Ad dictorum confirmationem allegantur capita *Olim*, & *Cùm Canonicis*, de Censibus: & cap. *Quantum*, de Iureiurando.

Vsura accipitur duobus modis: primò pro lucro, secundò pro contractu.

584. Primo modò, *vsura est lucrum, ex mutuo proueniens,*

585. *Lucrum est acquisitio pecuniæ, vel rei pecuniâ æstimabilis, aliàs indebita.* PECVNIA ÆSTIMABILIS, qualis non est fauor, honor, fama, beneficium, &c. quæ sunt altioris ordinis, quàm pecunia. ALIAS INDEBITÆ, quia si quis mutuet alteri, vt reddat sortem, soluat debitum, desinat iniquè nocere, &c. non erit lucrum: vtpote aliundè iustè debitum. Hic

586. *Sors est summa capitalis*, mutuo data.

587. Secundo modo, *vsura est voluntas capiendi lucri, vi mutui.* Vel plenius; *Vsura est contractus mutui, cum obligatione capiendi lucri, vi mutui.* VSVRA inde dicta, quod pro vsu sortis, lucrum accipiatur. EST CONTRACTVS MVTVI, expressi, vel impliciti. CVM OBLIGATIONE, ciuili & stricta, eaque explicitâ, vel tacita: quæ postrema sufficit, & subest quoties signo, nutu, modo dandi, vel loquendi, idem significatur, quod pacto expresso. CAPIENDI LVCRI, supra sortem. AVT MVTVI, ita vt lucrum ex mutuo proueniat, non aliunde. v. g. ex amicitia, spontanea gratitudine, aut inter esse damni emergentis, lucriue cessantis.

Vsura vna est aperta, alia palliata: item realis, & mentalis.

588. *Vsura aperta est contractus mutui, cum pacto expresso lucri, vt mutui.*

589. *Vsura palliata est ea, cuius turpitudo, honesto prætextu velatur.* Hic prætextus videtur esse quadruplex, primo si mutuum pallietur titulo iusti contractus, venditionis, emptionis, cambij, census siue reditus hypotecati, vel hypotecandi: Item titulo legitimi debiti, antapocha quotannis renouata testati; sed vltra sortem aucti denario vigesimo, decimo sexto, &c. Secundo si pactum & obligatio ciuilis pallietur titulo spontaneæ gratitudinis. Tertio si lucrum simuletur accipi, non vt mutui, sed titulo lucri cessantis, vel damni emergentis. quarto si auctarium supra sortem prætexatur esse aliàs debitum, & non esse lucrum: vti fit quando mutuans obligat mutuatarium ad emendum merces in sua officina; ad molendum in suo molendino, &c.

590. Cæterum iuxta primum modum, constat esse vsuram palliatam, quando res venditur pluris rigoroso precio, ob dilatam solutionem: vel emitur minoris infimo precio, ob anticipatam solutionem. Verbi gratia mercatur vlnam panni, valentem rigoroso precio sex florenos, vendens creditò septem, virtualiter & implicite mutuat emptori sex, vt tempore solutionis recipiat septem. Similiter modium tritici valentem infimo precio viginti florenos, emens anticipatâ solutione decem; virtualiter & implicite mutuat venditori decem, vt tempore traditionis, recipiat viginti.

591. *Vsura realis est mutuatio, acceptioque lucri, vi mutui.* ACCEPTIOQVE, saltem deducta in pactum.

592. *Vsura mentalis est mutuantis voluntas accipiendi lucri, vi præstiti mutui, sine acceptione* secuta, vel in pactum deducta. Potest & aliter sumi: quo modo sumpta

593. *Vsura mentalis est interna voluntas accipiendi lucri, vi mutui; absque mutuatione, & acceptione* secuta, vel pacta.

Quando agitur de vsura mentali, illa prior venit intelligenda quæ etiam dicitur peccatum vsuræ mentalis: hæc autem posterior dicitur peccatum mentale vsurę. Vsura mentalis vna est pure mentalis, alia mixta.

594 *Vsura purè mentalis est mutuatio cum voluntate accipiendi lucri, vi mutui; sine acceptione* secuta, vel pacta.

595. *Vsura mentalis mixta est acceptio lucri, vi mutui, sine vllo pacto* expresso, vel tacito. Quod

596. *Pactum tacitum est plurium in idem conuentio implicita.* Eiusmodi pactum tacitum hic subest, quoties mutuans modo suo agendi innuit se intendere obligare mutuatarium, ad præstandum auctarium vltra sortem.

597 Vsurarius purè mentalis peccat, sed non obligatur ad restitutionem: quia nihil accepit alieni: secus est de mixtè mentali, qui peccat, & obligatur ad restitutionem: quia iniustè habet alienum.

598. Quamuis sit vsura accipere aliquid vltra sor-

tem, vi mutui, non tamen ratione interesse, &c.

599. *Interesse est lucrum cessans, damnumue emergens.*

600. *Lucrum cessans est carentia acquisitionis pecuniæ, reiue pecuniâ æstimabilis, alias indebita.*

601. *Damnum emergens est rei propriæ detrimentum.* PROPRIÆ, rei possessæ, vel stricto iure debitæ. Damnum à bruto illatum, in legibus 12. tab. vocatur pauperies. Et hæc

602. *Pauperies est damnum, sine iniuria facientis, datum.*

De Monte pietatis.

603. MOns pietatis est cumulus rei vsu consumptibilis deputatus ad mutuandum egentibus, sub idoneo pignore. VSV. CONSVMPTIBILIS, v. g. pecuniæ, frumenti, &c. AD MVTVANDVM, ad certum breue tempus.

Mons pietatis, nomini suo plenè respondet, quando mutuatarij nihil omnino dant, pæter pignus: quod refusa sorte, intra annum, aut circiter; integrum ipsis restituitur. Retinet quoque pietatis nomen, quando mutuatarij, pro montis indemnitate, & necessarijs expensis; in singulos menses moderatum quid vltra sortem contribuunt, sine lucro & augmento montis: vti constat ex approbatione Pauli 2. Sixti 4. Innocentij 8. Alexandri 6. Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. 9 & 11. Et maximè ex definitione Conc. Lateran. sess. 10. vbi sacro approbante Concilio, Leo 10. idipsum definit, sub pœnâ excommunicationis, contra docentes oppositum. Interim serio satagendum est, ne sub prætextu pietatis lateat impietas: & ne titulo iuuaminis egenorum, fiat illis grauamen, in fraudulenta subhastatione pignorum; in enormi pensitatione menstrua; in immoderato impendio ædificiorum, numero ministrorum, stipendioue eorum, &c. Has enim expensas soluunt mutuatarij pauperes, menstruis vltra sortem pensitationibus: ideoque pauperum negotium hic fideliter vtiliterque geri debet.

De negotiatione, venditione, precio, &c.

604. N*Egotiatio est emptio rei, illius cum lucro alienanda gratia.* EMPTIO, onerosaue acquisitio. ILLIVS manentis integræ, & non mutatæ. ALIENANDæ per venditionem, aut permutationem.

Negotiatio est Iure canonico vetita Clericis, sacris Ordinibus initiatis; & vniuersim Monachis, sub anathematis interminatione.

605. *Venditio est pactio mercis, pro precio.*

606. *Emptio est pactio precij, pro merce.*

607. *Merx est res, pecunia vænalis.*

608. P*ecunia est metallum, in monetam cusum*, vt sit mensura rerum vænalium. METALLVM, aurum, argentum, vel æs. MONETAM, numum, siue numisma.

609. P*recium est pecunia, valori rei commensa.* Aliàs, *est valor rei*, pecunia æstimabilis, vel non æstimabilis.

610. *Precium iustum est illud, quod valori rerum est adequatum.* VALORI, siue præstantię physicæ intrinsecæ; vel morali, in ordine ad vsum humanum.

Precium rerum est duplex: legitimum, & vulgare.

611. P*recium legitimum est illud quod à publica potestate taxatum est*, ob commune bonum. Et quidem, si taxatum est tanquam solum iustum in indiuisibili; tunc emptor & venditor obligantur ad illud. Si autem sit taxatum, quia excessus illius est iniustus; tunc non peccabit emens infra, manendo intra terminos precij vulgaris: peccabit autem supra vendens, cui soli precium est taxatum. Si è diuerso sit taxatum, quia defectus illius est iniustus, tunc non peccabit vendens supra, manẽdo intra terminos precij vulgaris: peccabit autem emens infra, cui soli precium est taxatum, in fauorem vendentis: vti fit in venditione redituum & censuum quos non licet emere minoris legitimo precio.

612. P*recium vulgare est illud, quod communi arbitrio peritorum est æstimatum.* Hoc non consistit in indiuisi-

bili, sed habet suam latitudinem; estque triplex: summum, siue rigorosum; medium; & infimum, siue pium.

613. *Precium rigorosum est illud, quod vendens non potest excedere, sine iniustitia.*

614. Precium *medium est illud, quod existit intra latitudinem summi, & infimi.* Siue, *est illud, quod vendens potest augere, vsque ad rigorosum; & emens minuere vsque ad infimum,* absque iniustitia.

615. Precium *infimum est illud, quod emens minuere non potest, absque iniustitia.*

De monopolio, & Societate.

616. M*Onopolium est machinatio vnius, pluriumue mercatorum in vnum conspirantium, vt ipsi soli vendant emantue, precio libito.* Hoc potest esse licitum, vel illicitum, pro ratione modi precijue, iusti vel iniusti.

617. *Societas est conuentio plurium, ad negotiationem quæstumque communem aliquid conferentium* pecuniam, operam, industriam, &c.

Vt hic Societatis contractus sit licitus, debet seruari æqualitas inter ea, quæ vtrimque præstantur: & vt sit communio damni, vti est lucri. Interim praxis mercatorum inualuit, vt contractui Societatis annectatur secundus contractus assecurationis, quo conferens operam, fide sua absque hypotheca assecurat socij sortem capitalem. Et tertius redemptionis, quo idem redimit incertum lucrum maius, certo minore; ad tollendas difficultates rationum reddendarũ, & ob alias causas. Hi tres contractus fiunt aliquando per modum vnius innominati. v. g. Do tibi pecuniam meam ad negotiandum, cedoque tibi totum lucrum: tu autem reddes mihi sortem, & solues quotannis in singulos centenos, decem. Sed triplicem hunc contractum, tanquam societatis leoninæ, & vsurariam damnauit Sixtus V. per bullam. *Detestabilis.*

De commodato, Precario, locato conducto, emphiteusi, fendo, etc.

618. *Commodatum est rei, quoad vsum, gratuita concessio.* Rei mobilis, vel immobilis, non consumptibilis vsu, siue non fungibilis. Rei inquam reddendæ in indiuiduo, & non tantùm in specie, QVOAD VSVM, eumque certum, GRATVITA, liberalis, absque pretio CONCESSIO, vsque ad determinatum tempus, expressè vel implicitè: ante quod non potest repeti commodatum, (in quo distinguitur à precario) nisi ad vitandum damnum commodantis.

619. Inter mutuum & commodatum sunt variæ differentiæ: Prima, mutuum consistit in solis rebus fungibilibus, commodatum in non fungibilibus. Secunda, in mutuo dominium proprietatis transfertur; in commodato retinetur. Tertia, in mutuo res est reddenda eadem specie, non numero; in commodato, eadem numero.

620. *Precarium est commodatum, reuocabile ad nutum concedentis.* PRECARIVM, quia precibus obtentum. EST COMMODATVM ad tempus incertum, & merè pendens ab arbitrio commodantis, REVOCABILIS, &c. Nam precarium est illud, quod precanti vtendum conceditur, quamdiu is qui concessit, patitur Locatio siue.

621. *Locatum est contractus, quo res vel persona ad vsum vel fructum, precio conceditur.* RES non fungibilis. PRECIO, mercede, id est pecuniâ, vel re fungibili. Precio inquam commensurato vsui, vel fructui. Conductio, siue

622. *Conductum est contractus, quo res, vel persona ad vsum vel fructum, precio comparatur,*

623. *Locator est, qui pro sui reiue vsu, mercedem accipit.*

624. *Conductor est, qui pro persona reiue vsu mercedem dat,*

Diuersimodè loquendum est in locatione operis faciendi: nam qui operam præstat, dicitur opus conduxisse:

qui dat mercedem, locasse. Et vniuersim, qui certâ mercede, dat vtendum faciendumue aliquid, est locator; qui accipit, conductor.

625. *Emphyteusis est contractus, quo sub onere pensionis annuæ transfertur rei immobilis dominium vtile*, directo retento. EMPHYTEVSIS etymologicè, est implantatio, & insitio; metaphoricè melioratio: nam fundus culturâ, seminatione, segetum insitione, arborum implantatione melioratur. SVB ONERE PENSIONIS, & canonis, ab emphyteutâ quotannis præstandi, in recognitionem dominij directi. TRANSFERTVR in perpetuum, vel ad tempus decennio non minus. REI IMMOBILIS, nam res mobilis, quæ vsu non melioratur, sed deterioratur, aut consumitur, ad emphyteusim dari non potest. Huius contractus finis est, vt fundi inculti & steriles, per culturam meliorentur; & domino directo canonem annuum pendant.

626. *Feudum est contractus, quo sub onere fidelitatis, obsequijue, transfertur rei immobilis dominium vtile*, directo retento. FIDELITATIS à feudatario & vasallo præstandæ directo dominio feudi; pro virili tuendo ius & authoritatem ipsius; secundum quod promisit in inuestiturâ. OBSEQVIIVE personalis, quando interpellabitur. REI IMMOBILIS, vel æquipollentis. Subinde feudo additur onus pensionis, & eatenus degenerat in emphyteusim. Contractus libellaticus, siue

627. *Libellus est contractus, quo res in emphyteusim feudumue accepta, tertio traditur*, ab emphyteutâ vel feudatario. TRADITVR per subemphyteusim, vel subfeudum.

628. *Res mobilis est res corporea, quæ se loco mouere, mouerine potest.* v. g. equus, pecunia, frumentum, &c.

629. *Res immobilis est res corporea, quæ nec se mouere loco nec moueri potest.* v. g. domus, fundus, &c.

630 *Res immobilis æquipollens est res incorporea, humanæ dispositioni subiacens*, v. g. ius, potestas, &c. Iuxta ea quæ diximus præcedenti n. 500. Fides, siue

631. *Fidelitas est dictorum conuentorumue constantia*

& veritas. Siue, *est affectus voluntatis, inclinans ad seruanda promissa*, gratuita & onerosa : idque ad satisfaciendum obligationi, ortæ ex promissione.

De deposito, pignore, arrha, hipotheca, &c.

632. D*Epositio, siue Depositum est contractus, quo, res custodienda traditur, vt integra restituatur* Res, ordinariè mobilis : subinde tamen, quando res immobilis est controuersa, solet apud sequestrum deponi. Cvstodienda gratis, vel pro precio, Aliàs.

633. *Depositum est res, custodia tradita.*

634. *Pignus est contractus, quo res mobilis traditur creditori, in assecurationem debiti.* Aliàs, *Pignus est res mobilis tradita creditori, in assecurationem debiti.*

635. *Arrha est res mobilis, data per modum pignoris, ad firmandam obligationem contractûs initi.*

636. *Arrhabo est precij pars repræsentata, firmandi contractûs gratiâ.* Repræsentata, ab emptore venditori numerata, per anticipatam solutionem. Nam

637. *Repræsentare est in antecessum soluere*, ante cessum tempus solutionis.

638. *Hypotheca est contractus, quo res immobilis, nudâ conuentione obligatur creditori pro debito.* Nvda conventione, absque traditione. Obligatvr, ita vt creditor possit ex eâ petere solutionem, differente eam debitore. Aliàs.

639 Hy*potheca est res immobilis, nudâ conuentione, creditori obligata pro debito.*

640. *Fideiußio est aliena obligationis in se susceptio*, Siue, est contractus, quo quis sine pignore, & hypothecâ, sub nudâ suâ fidelitate, se obligat accessoriè, & in defectum principalis, ad soluendum ipsius debitum.

641. *Assecuratio est alieni periculi præstatio.* Siue, est contractus, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit ; obligando se gratis, vel precio, ad eam compensandam, si perierit.

642. *Sponsio est contractus, quo de re contendentes, mutuò aliquid spondent, quod cedat assecuto veritatem.*

DE RE, de rei euentu, aut veritate. MVTVO, vicissim SPONDENT, compromittunt, & sponte dant aliquid.

643. *Ludus est pactum oblectantium animum, & in commune deponentium aliquid, cessurum victori.* Siue, *est certamen oblectantium animum.*

644. *Alea est ludus, qui fortunâ magis, quàm arte regitur.*

Specialiter *Alea est ludus tesserarum*, siue talorum.

Ludus aleæ est Clericis vetitus iure canonico, per Trid. sess. 22. cap. 1. innouato.

De muneribus, tributis, vectigalibus, &c.

645. M*Vnera sunt onera & obsequia, à subditis principi præstanda.*

646. *Munera realia sunt obsequia principi præstanda de rebus subditorum.* v. g. equis, curribus, &c.

647. *Munera personalia sunt obsequia, principi præstanda, à personis subditorum.* v. g. personalis comitatus ad venationem principis, &c.

648. *Munera mixta sunt obsequia, principi præstanda, à subditorum personis, simulque rebus.* v. g. personalis comitatus ad bellum, cum equis propriis, & expensis &c.

649. *Tributum est pensio, imposita subditis, ad principis dignitatem, impendiaue communia sustinenda.* PENSIO soluenda iuxta cuiusque facultates, maximè prædiales. Vocatur etiam *impositio, tallia, collecta, præstantia, contributio.*

650. *Vectigal est pensio, taxata super rebus, in prouinciam ciuitatemue inuectis, aut euectis.* Vocatur etiam *gabella.*

651. *Portorium est pensio soluenda pro transuectione mercium, per portus, pontes, ac flumina.*

652. *Pedagium seu Guidagium est pensio soluenda in transitu viarum, pro ducatu protectioneque viatorum.*

653. Iusta tributa & vectigalia, in conscientiâ soluenda sunt: vti constat ex Matth. 22. *Reddite ergò quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et Rom. 13. *Reddite ergò om-*

nibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.

De iudice, & iudicio.

654. IVdex *est persona publica, habens legitimam potestatem iuris dicundi*: id est, per sententiam definiendi, quid ex præscripto legum, sit cuique subditorum debitum; meritisue commensum. *Debitum* inquam stricto iure, ita vt violatio illius, causet iniuriam. *Meritisue commensum*, ita vt non satisfiat iustitiæ vindicatiuæ, si non infligatur ei pœna commerita.

655. *Arbiter est iudex ex priuato litigantium consensu delectus*. Siue, *est iudex, ex disceptantium compromissione lectus*, ad controuersiam dirimendam; vel seruato iuris ordine, vel non seruato, sed tantùm ex æquo & bono: & hic secundus arbiter, vocatur propriè *arbitrator*: qui tanquam compositor & transactor, nullo iuris ordine, nullâque iudicij figurâ; sed tantùm ex æquo & bono, secundùm rationem naturalem, controuersiam finit.

Arbiter vocatur subinde cum addito, *arbiter receptus*, à partibus ligantibus: *Iudex compromissarius, Arbiter ex compromissione.*

656. *Iudicium est legitima controuersia apud iudicem tractatio, & determinatio.* LEGITIMA, secundùm præscriptum legum. TRACTATIO, exacta discussio. DETERMINATIO, facta per iudicis sententiam. Nam

657. *Sententia est decretum iudicis, controuersiam terminantis*, per absolutionem, vel condemnationem. Est iudicialis applicatio iuris, ad factum particulare.

658. *Res iudicata est controuersia finis, per terminationem iudicis*, absoluentis, vel condemnantis. Itaque *res iudicata est res determinata, & finita* per sententiam. Quia tamen interdùm prouocatione sententia suspenditur; ideo tum demùm

659. *Sententia transit in rem iudicatam, quando ius illius non potest amplius controuerti, nec appellatione suspendi.*

660. *Iurisdictio est publica causas cognoscendi defi-*

uiendique potestas. Item, *est controuersiarum legitima cognitio, ac definitio.*

661. In legitimo iudice ac iudicio requiruntur potissimùm quatuor conditiones. Primò legitima authoritas in personas, causasque iudicandas: vt scilicet personæ sint iudici subditæ; & illarum causa non sit exempta. Aliàs foret iudicium præsumptum, & vsurpatum; fieretque partibus, & illarum iudici iniuria. Secundò, in cognitione causæ certitudo, saltem moralis: aliàs foret iudicium temerarium. Tertiò, æquitas & iustitia in suo cuique tribuendo: aliàs foret iudicium iniquum & iniustum. Quarto, ordo iuris, modusque procedendi, legibus præscriptus: aliàs foret iudicium peruersum & præposterum.

662. *Arbitrium est viri boni sententia, ex æquo & bono.* VIRI BONI, arbitri iudicisque electi EX ÆQVO, fundata in ratione & æquitate naturali, non astricta iuris dispositioni.

663. *Compromißio est litigantium mutua promißio, de stando sententiæ arbitri, sub certâ pœnâ, vel cautione.* Quæ pœna mulctaque conuenta supplet defectum iuridicæ coactionis. SENTENTIÆ ARBITRI, quæ vocatur *arbitrium, compromissum*, & *laudum*.

664. *Controuersia est plurium de re aliquâ disceptatio*, & contentio.

665. *Actor est is, qui actionem aduersùs alium intentat* iudicialiter aliquid ab eo petendo.

666. *Actio est actoris petitio*, siue, *est iudicialis prosecutio debiti*. Item, *est ius prosequendi debitum, in iudicio*. Item, *est libellus, initio litis propositus, continens petitionem actoris*: scilicet quid, à quo, & ex suâ causâ petatur.

667. *Reus est is, qui rei alicuius causâ conuenitur*: à quo res exigitur in iudicio. Aliàs,

Reus est criminosus, qui verè admisit crimen; siue de illo conueniatur, siue non.

Reus agitur, qui criminis accusatur: *Reus peragitur*, qui criminis condemnatur.

Reatus est status reorum, eorum qui criminis causâ con-

ueniuntur apud iudicem. Aliàs,

Reatus est obligatio reparandæ, iniuriæ, pœnaue luendæ.

668. *Testis est is, qui asseueratione suâ, rei fidem facit.*

669. *Testis idoneus est is, cui nihil opponi potest, quò minùs fides ei habeatur.* Idem vocatur testis *Locuples assiduus, classicus, integer, & omni exceptione maior.*

670. *Testis minùs idoneus est, cui aliquid opponi potest, quo minùs fides ei habeatur.* OPPONI POTEST, vel ex naturâ rei, v. g. defectus vsûs rationis: vel iuris dispositione, v. g. periurium, &c.

671. *Testimonium est personæ asseueratio, fidem faciens.*

672. Iudex seruando ordinem iuris, procedit aduersùs crimina, duobus modis: *ex officio, & ad instantiam partis.* Ex officio quidem, per inquisitionem: ad instantiam partis, per accusationem, vel denunciationem.

673. *Inquisitio est informatio contra criminum authores*: quâ iudex satagit deuenire ad plenam probationem, ferreque sententiam.

674. *Accusatio est delatio rei de crimine, per actorem, spondentem se illud probaturum.* DELATIO coram iudice facta, quâ reus accusatur criminis, in ordine ad vindictam publicam. SPONDENTEM, sub pœnâ talionis.

675. *Denunciatio est delatio rei de crimine, per actorem, non suscipientem in se onus probandi.*

De Iurisconsultorum suspicione, præsumptione, probatione.

676. APud Iurisconsultos *Suspicio* est tripartita: scilicet temeraria, probabilis, & violenta. Itaque illorum sensu,

677. *Suspicio temeraria est coniectura, leui argumento nixa.* Siue, *est notitia incerta, probabili ratione destitutâ.*

678. *Suspicio probabilis est animi assensus, nixus argu-*

mento, ferè plenam fidem faciente. Siue, *est notitia opinatiua,* fulta rationibus sufficientibus ad assensum formidolosum.

679. *Suspicio violenta est notitia, nixa rationibus plenam fidem facientibus.* Siue, *est assensus certus, firmus & euidens.*

Apud eosdem Iurisconsultos coincidit cum suspicione præsumptio: nam illorum sensu,

680. *Præsumere est persuadere sibi aliquid verum & certum, donec probetur contrarium.* Similiter

681. *Præsumptio est persuasio de re aliquâ, tanquam verâ & certâ,* donec probetur contrarium. Hæc est triplex: præsumptio iuris, liquida, & modica.

682. *Præsumptio iuris est persuasio legis, de re aliquâ tanquam certâ & compertâ statuentis:* ita vt sit res præiudicata, non admittens probationem in contrarium. PRÆSVMPTIO IVRIS, sic dicta, quia est iure introducta. Dicitur etiam *præsumptio de iure,* quia super eâ, lex inducit firmum ius.

683. *Præsumptio liquida est persuasio legis, de re aliquâ tanquam certâ, releuans ab onere probandi:* sed non respuens contrarij probationem; quâ positâ euertitur hæc præsumptio: iuxta regulam, *Incertis non est locus coniecturis.*

684. *Præsumptio modica est coniectura verosimilis, fidem non faciens, sine aliis adminiculis.*

685. *Probatio est rei dubiæ, per argumenta ostensio.* ARGVMENTA, quorum nomine intelliguntur etiam testes, & instrumenta.

686. *Probatio iudicialis est actus solennis, quo iudici fit fides de re controuersâ.* FIT FIDES, per testes, instrumenta, argumenta idonea.

687. *Argumentum est ratio, rei dubiæ faciens fidem.*

688. *Instrumentum est scriptura, fidem rei faciens, causamque instruens.* Strictè autem sumptum

689. *Instrumentum est scriptura publica, fidem faciens* in iudicio, sine alio adminiculo. PVBLICA, à personâ publicâ confecta.

690. *Probatio plena est ea, quæ dubium omne tollit,*

& plenam fidem facit.

691. *Probatio semiplena est ea, qua non facit fidem plenam; sed inducit probabilem opinionem.*

De priuato iudicio, opinione, suspicione, dubio, acceptione personarum.

692. *IVdicium est assensus firmus.* Huiusce assensûs firmi manifestatio exterior, vocatur etiam iudicium.

693. *Assensus firmus est actus intellectûs, adhærentis vero, sine formidine de opposito.* VERO, saltem æstimato tali.

694. *Dissensus est actus intellectus, repudiantis falsum,* saltem æstimatum tale.

695. *Opinio est assensus infirmus.*

696. *Assensus infirmus est actus intellectûs adhærentis obiecto, æstimato vero, cum formidine de opposito.*

697. *Formido de opposito est inttellectûs hæsitatio, immixta assensui opinatiuo.* HÆSITATIO, quâ intellectus expressè, aut virtualiter dubitat, ne fallatur. Imò cùm formido & metus spectet ad facultatem appetitiuam, potest dici probabiliter, quòd

698. *Formido de opposito est actus voluntatis, timentis ne assensui intellectûs subsit falsum.* Ne scilicet verum sit contradictorium propositionis, cui assentitur intellectus n. 67. & 68.

699. *Suspicio est intellectûs propensio ad assensum* PROPENSIO, motus imperfectus intellectûs, non assentientis; sed ad assentiendum inclinati: quia videt aliquã veri speciem, sublucentem in vnâ parte, quæ in alterâ non apparet.

700. *Dubium est hæsitatio intellectûs, in medio suspensi:* in neutram partem inclinati, sed quò se vertat ambigentis.

Dubium & dubitatio subinde latè sumitur, ita vt comprehendat suspicionem, & opinionem, omnemque assensum vacillantem & infirmum.

701. *Dubium positiuum est suspensio intellectûs, pro*

vtraque parte habentis pares rationes. Tales scilicet, quæ efficerent partem suam probibilem, nisi è diuerso aliæ rationes suaderent oppositum.

702. *Dubium negatiuum est suspensio intellectus, pro neutrâ parte habentis rationes sufficientes* ad assensum probabilem.

703. *Dubium speculatiuum est suspensio intellectûs circa viritatem propositionis, non immediatè directiua operationis.* v. g. An prædestinatio sit ex præuisis meritis?

704. *Dubium practicum est suspensio intellectûs circa veritatem propositionis, immediatè directiua operationis.* v. g. An obstrictæ voto castitatis, liceat contrahere matrimonium?

705. *Dubium iuris est suspensio intellectûs, orta ex ignorantiâ legis,* vel consuetudinis, vim legis obtinentis. v. g. An percussio clerici si prohibita sub pœnâ excommunicationis?

706. *Dubium facti est suspensio intellectus, orta ex ignorantiâ obiecti, vel circumstantiæ actûs humani.* v. g. An percussus, sit clericus; An ex percussione obierit?

707. *Iudicium temerarium est assensus firmus, ex insufficientibus rationibus conceptus, de proximi peccato, vel infami malo.*

708. *Opinio temeraria est assensus infirmus, ex insufficientibus rationibus conceptus, de proximi peccato, vel infami malo.*

709. *Suspicio temeraria est intellectûs propensio ad assensum de proximi peccato, vel infami malo, sine sufficientibus rationibus.*

710 *Dubium temerarium est voluntaria suspensio assensûs de bonâ æstimatione proximi, cùm ille debeat positiuè elici;* ob rationes sufficientes: & inter cæteras hanc, *Quisque habendus est bonus, donec probetur malus.* Hic

711. *Infame malum proximi, est defectus inculpabilis, vergens in contemptum illius* v. g. illegitimitas, stupiditas, ignorantia, &c.

712. *Rationes insufficientes sunt leuia argumenta,* & futilia indicia, quæ non sufficiunt ad prudenter fundandum respectiuè iudicium, opinionem, suspicio-

nem, aut dubitationem.

713. *Rationes sufficientes sunt argumenta, nata generare respectiuè iudicium, opinionem, suspicionem, aut dubitationem.* Et quidem rationes sufficientes ad iudicium, debent esse certæ absolutè, aut moraliter: ad opinionem, probabiles: ad suspicionem aut dubitationem verosimiles.

714 De iudicio priuato pariformiter censendum est, ac de forensi: ad cuius æquitatem requisitæ sunt conditiones notatæ n. 661. Vnde constat iudicium priuatum sæpè esse, non tantùm temerarium; sed & peruersum, iniquum, iniustum, vsurpatum, & præsumptum: & quidem præsumptione judicandi alienum seruum, & vsurpatione potestatis diuinæ: vti ait scriptura Matth. 7. & Lucæ 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit.* Iacobi 4. *Tu autem quis es, qui iudicas proximum?* 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

715. *Acceptio personarum est iniqua distributio rerum communium, factâ personis, propter illarum qualitatem impertinentem.* Siue, *est vitium iustitiæ distributiuæ oppositum, quo fit iniqua diuisio bonorum onerumue communium, habitu respectu ad personas, non ad iustas causas.* EST VITIVM, ex genere suo mortale. IVSTITIÆ DISTRIBVTIVÆ OPPOSITVM, quia euertit proportionem geometricam, quam seruat iustitia distributiua. n. 305. & 310. QVO FIT INIQVA DIVISIO, præferendo indignum digno; minùs dignum digniori: dando minùs bonorum communium ei, qui respectiuè ad alios, plus habere debet; vel plùs onerum communium ei, qui minùs onerandus erat. Quòd si non fiat iniqua diuisio, non erit propriè acceptio personarum: v.g. si inter æqualiter dignos ad beneficium ecclesiasticum, præponatur cognatus, popularis, &c. HABITO RESPECTV AD PERSONAS, earumue qualitates impertinentes.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

716. B*Eneficium Ecclesiasticum est perpetuum ius percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, competens clerico, propter officium spirituale.* PERPETVVM IVS, authoritate ecclesiasticâ Pontificis, vel Episcopi constitutum: sine quâ non potest institui officium spirituale, eique annecti prouentus ecclesiasticus: quod est Beneficium erigere, vel confirmare. *Perpetuum* inquam, & ex naturâ suâ tale, vt perpetuò duret. Vnde excluditur Vicaria temporalis, & pensio perpetua: quia prima non habet perpetuitatem, & secunda non habet illam ex naturâ suâ. PERCIPIENDI FRVCTVS, prouentus temporales: EX BONIS ECCLESIASTICIS, ex prædiis, reditibus, aliisque bonis, Deo dicatis, & Ecclesiæ donatis, vel ab ea acquisitis, ad sui splendorem, suorumque ministrorum sustentationem; vt soluto à curis sæcularibus animo, possint vacare Deo, rebusque diuinis. COMPETENS CLERICO, tonsurâ clericali insignito, vti constat ex Iuris canonici diuersis capitibus. Vnde per hanc partem excluduntur fundationes Canonicarum Belgicarum. PROPTER OFFICIVM SPIRITVALE: nam propter eiusmodi officium; datur beneficium: non tanquam illius precium, sed honorarium, officiantisque sustentatio.

Beneficium diuiditur in maius, & minus: in duplex, & simplex: in curatum, & sine curâ, &c.

717. *Beneficium maius est beneficium primæ classis.* Siue, *est beneficium habens singularem praeminentiam, iurisdictionemque ecclesiasticam.* Eiusmodi est Abbatia, Episcopatus, Archiepiscopatus, Primatus, Patriarchatus, Cardinalatus, Papatus.

718. *Beneficium minus est beneficium secundæ classis.* Siue, *est beneficium, non habens praeminentiam, iurisdictionemue ecclesiasticam singularem.* Eiusmodi est Capellania, Pastoratus, Prioratus conuentualis, Canonicatus, Decanatus, Archidiaconatus, Præpositura. In beneficio canonicali,

719. *Prabenda est ius percipiendi fructus temporales, ratione officii spiritualis.*

720. *Canonicatus est ius faciendi officium spirituale, in certo loco, & titulo.*

721. *Beneficium duplex est illud, quod obligationi officij diuini, habet annexam praeminentiam administrationemue ecclesiasticam:* cum fori externi iurisdictione, vel absque eâ. Eiusmodi est omne beneficium maius: item prælatura, dignitas, personatus, beneficium, officium, parochia.

722. *Beneficium simplex est illud, quod obligationi diuini officii, non habet annexam iurisdictionem, praeminentiam, administrationemue ecclesiasticam.* Eiusmodi est capellania, canonicatus sæcularis, & regularis, &c.

723. *Pralatura est beneficium, habens annexam fori externi iurisdictionem ecclesiasticam.*

724. *Dignitas est beneficium, habens annexam praæminentiam, iurisdictionemque ecclesiasticam.* Eiusmodi est omne beneficium maius: item præpositura, archidiaconatus, decanatus, abbatia sæcularis, prioratus conuentualis. Præpositura inquam est dignitas ex consuetudine, non de iure.

725. *Personatus est beneficium, habens annexam praæminentiam ecclesiasticam, absque iurisdictione.* PRÆEMINENTIAM, inquam, & prærogatiuam post Dignitates.

726. *Preeminentia ecclesiastica est honorificus locus in choro, capitulo,* processione, suffragio dando, &c.

727. *Beneficium-officium est beneficium habens administrationem rerum ecclesiasticarum, sine iurisdictione.* v. g thesauraria, primiceriatus, cantoria.

728. *Beneficium cum curâ est illud, quod habet annexam obligationem regendi animas,* & respondendi de illis.

729. *Beneficium sine curâ est illud, quod non habet annexam obligationem regendi animas.*

730. *Beneficium saculare est illud, quod pro clericis saecularibus institutum est, iisue annexum.*

731. *Beneficium regulare est illud, quod pro clericis religiosis est institutum, iisue annexum.* v. g. abbatia, prioratus, canonicatus, & pastoratus, ità regularibus annexus, vt debeat per eos administrari.

732. *Beneficium patronatum est illud, quod agnoscit fundatorem, habentem ius præsentandi.*

733. *Beneficium non patronatum est illud, quod non agnoscit fundatorem, habentem ius præsentandi.*

734. *Beneficium impropriè dictum est pia fundatio, habens affinitatem cum vero beneficio, deficiens tamen in aliquo.* Eiusmodi est femineus canonicatus Belgicus, non competens clerico: præstimonium, sine onere horarum canonicarum, institutum in subsidium studiorum, aut terræ sanctæ: canonicatus absque præbendâ: pensio ecclesiastica super beneficio: præbenda temporalis, prouisa coniugato laico, in Carnotensi ecclesiâ S. Martini: coadiutoria, vicaria.

735. *Pensio ecclesiastica est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio.*

736. Ad beneficium ecclesiasticum obtinendum, requisitæ sunt decem conditiones. Primò legitimitas natalium. 2. clericatus, & subinde ordo sacer. 3. ætas quatuordecim annorum inchoatorum, & maior pro ratione beneficij obtinendi 4. cœlibatus. 5. carentia censuræ, irregularitatis, & inhabilitatis. 6. probitas morum. 7. scientia debita. 8. aptitudo corporis. 9. intentio statûs ecclesiastici. 10. carentia beneficij incompatibilis. In quibusdam particularibus beneficiis requiruntur & aliæ conditiones: scilicet nobilitas, gradus in Theologia, Iure, &c.

737. *Beneficia incompatibilia primi generis, sunt ea, quorum vnum ipso iure excludit alterum:* ita vt obtentâ pacificâ possessione posterioris, vacet ipso facto prius. Eiusmodi sunt duo beneficia curata: duæ dignitates, duo personatus, duo officia: item prebendæ vniformes, sub eodem tecto. v. g. duo canonicatus, vel capellaniæ concurrentes ad eandem functionem, in eâdem ecclesiâ.

738. *Beneficia incompatibilia secundi generis, sunt ea*

qua simul retineri non possunt: non tamen ita pugnant, vt prius ipso facto vacet, secundo obtento. NON POSSVNT, sine peccato, absque legitimâ dispensatione. Eiusmodi sunt duo beneficia, absque curâ animarum, postulantia residentiam; quorum vtrumque est sufficiens ad honestam sustentationem: aut saltem primum tale est. Trid. sess. 24. cap. 17.

739. *Beneficium sufficiens est illud, cuius prouentibus clericus se honestè sustentare potest*: vti communiter solent timorati clerici, eiusdem conditionis. SE, & suos, ad quorum sustentationem obligatur: cuiusmodi sunt parentes, fratres, & consanguinei proximi egentes; item famuli necessarij.

740. *Præsentatio est legitima exhibitio clerici, ad beneficium, facta habenti ius institutionis.* PRÆSENTATIO, sub quâ comprehenditur etiam NOMINATIO, facta à principe ad prælaturam vacantem; & ab Vniuersitate ad beneficia. LEGITIMA, ritè facta per patronum. HABENTI IVS INSTITVTIONIS, Papæ, Episcopo, vel Archidiacono.

741. *Electio est persona eligibilis, præ aliis assumptio ad beneficium vacans.* ELIGIBILIS, iure capacis electionis passiuæ. ASSVMPTIO, per suffragia ecclesiasticorum.

742. *Postulatio est ad prælaturam vacantem assumptio personæ, aliàs non eligibilis*; quia non est de capitulo, collegio, aut corpore eligentium; vel iure non est capax electionis passiuæ.

743. *Collatio libera est attributio beneficii, non dependentis à iure patronatûs*, facta solâ potestate prælati conferentis.

744. *Resignatio est beneficii tacita, vel expressa dimissio ad manus collatoris.*

745. *Permutatio est vltrò citròque beneficii vnius ad aliud mutua præstatio.*

746. *Institutio est attributio iuris in re, in beneficio.* ATTRIBVTIO per ecclesiasticam personam facta clerico, præsentato à patrono.

747. *Confirmatio est iuris in re attributio in beneficio,*

facta clerico electo, vel postulato.

748. *Possessio est beneficii, tanquam sui apprehensio, vel detentio*, priùs apprehensi, per se, vel legitimum procuratorem.

749. *Ius patronatûs est potestas præsentandi clericum, ad beneficium ecclesiasticum.* CLERICVM instituendum. AD BENEFICIVM vacans.

750. *Ius patronatûs ecclesiastici est potestas clerico competens præsentandi instituendum ad vacans beneficium.* COMPETENS, ratione rectoratûs ecclesiæ, aut dignitatis; vel fundationis ex bonis ecclesiasticis, ædificationis ecclesiæ, dotationis beneficij. Eiusmodi est ius patronatus, quod quis habet, quia est decanus, præpositus, abbas, episcopus: vel quia pecuniâ, ex bonis ecclesiasticis perceptâ, ecclesiam *fundauit*, id est, eidem ædificandæ fundum dedit; vel eam ædificauit, aut dotauit: vel beneficium erexit, erectumue dotauit.

751. *Ius patronatûs laici est potestas præsentandi clericum ad beneficium, competens alicui quâ laico*: quatenus scilicet ex bonis patrimonialibus & sæcularibus ecclesiam fundauit, vel ædificauit; beneficiumue erexit, aut dotauit.

752. *Ad beneficium indignus est is, qui ineptus est ad præstandum officium incumbens; aut non est illud præstiturus.*

753. *Ad beneficium dignus est is, qui ad officium præstandum, ità est idoneus, vt sit illud præstiturus.*

754. *Ad beneficium dignior est is, qui inter idoneos est quibusdam aptior, speraturque meliùs functurus officio.*

755. *Ad beneficium dignissimus est is, qui inter omnes idoneos aspirantes, est maximè idoneus*: qualis æstimatur, non qui doctissimus, aut sanctissimus est; sed qui omnibus consideratis, optimè est satisfacturus officio, ecclesiæque futurus vtilissimus.

756. *Horæ canonicæ sunt preces vocales, regulariter ex præscripto canonum dicendæ ab ecclesiasticis.* HORÆ, quia certis horis nocturnis atque diurnis persoluendæ. CA-

NONICÆ, quia ordinatè & regulariter recitandæ: quia etiam iuxta præscriptum canonum. PRECES VOCALES, non merè mentales. AB ECCLESIASTICIS, à clericis maiorum ordinum; ab vtriusque sexûs religiosis, ad chorum professis; & à beneficiariis, quibus accensendæ sunt canonicæ Belgicæ.

757. Qui beneficiarij, post sex menses ab obtento beneficio, horas absque legitimo impedimento omittentes; pro ratâ omissionis, tenentur ad restitutionem fructuum, quos non fecerunt suos, iuxta Concilij Lateranensis, sub Leone X. constitutionem, confirmatam & renouatam Bulla Pij V. Et quidem omittens per vnum diem, tenetur ecclesiæ vel pauperibus restituere omnes fructus illius diei: qui matutinum, dimidiam partem: qui reliquas omnes horas, alteram dimidiam: qui harum singulas, sextam partem. Ecclesiæ, inquam, vel pauperibus; præter distributiones tamen, & similes fructus, qui debent accrescere præsentibus, officium recitantibus.

757. *Residentia est in loco beneficii, personalis commoratio, muniorumque ecclesiasticorum functio.*

De Simonia.

759. *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi precio temporali, aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Siue, *est peccatum, quo spirituale, eiuè annexum, pretio temporali commutatur*; dato, vel accepto. EST STVDIOSA, deliberata VOLVNTAS; vt includatur simonia mentalis, & excludantur motus voluntatis, non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantiâ inculpatâ. EMENDI, VEL VENDENDI: sub quibus terminis comprehenduntur omnes contractus onerosi Excluditur autem vexationis redemptio, in quâ non datur precium temporale, ad emendum spirituale; sed vt alter desistat à vexatione. PRECIO TEMPORALI: quod

760. *Precium temporale est pecunia, eâue æstimabile, commensum valori rei.* Precio, inquam, temporali, per modum precij; non autem eleemosynæ,

ſuſtentationis, honorarij, gratitudinis, liberalitatis.
ALIQVID SPIRITVALE, quid ſupernaturale, ad ſalutem animarum ordinatum. VEL SPIRITVALI ANNEXVM, temporale ſpiritualiſatum, ob annexionem cum ſpirituali. Nam res merè temporalis, & profana, non eſt materia ſimoniæ.

761. Precium temporale, in ſimoniâ reperibile, eſt quintuplex. Primò precium pecuniæ, tanquam commenſæ valori rei. Secundò precium muneris. v. g. equus, veſtis, vinum, & cætera pecuniâ æſtimabilia. Tertiò precium linguæ. v. g. laus, vituperium, patrocinium aduocati, officium erudiendi alterum. Quartò precium obſequij. v. g. miniſterium famuli, œconomi, amanuenſis, &c Quintò precium obligationis reſignandi beneficium alteri : quale reperitur in ſimoniâ confidentiæ. In hac materiâ ſimoniæ,

462. *Spirituale eſt quid ſupernaturale, ad ſalutem animarum ordinatum.* Scilicet ipſe Deus, eiuſque donum ſupernaturale : & quidquid ad eiuſmodi donum per ſe pertinet, tanquam illius cauſa, vel effectus. Itaque, *Spirituale eſt triplex :* primò ſpirituale ſecundùm eſſentiam. v. g. Deus, Chriſtus in ſe, & in Euchariſtiâ; Spiritus ſanctus, ipſius dona, gratia habitualis, & actualis; virtutes Theologicæ, & morales infuſæ, character ſacramentalis. Secundò Spirituale ſecundùm cauſam, quod ſcilicet cauſat aliquid ſupernaturale : cuiuſmodi ſunt ſacramenta, quæ ſunt cauſæ efficientes inſtrumentales gratiæ habitualis : ſacrificium Miſſæ, cauſans ex opere operato præuenientes gratias actuales. Item cauſæ excitatiuæ, impetratiuæ, & diſpoſitiuæ ſanctificationis : v. g. ſacramentalia, conciones ſacræ, preces, aqua benedicta, poteſtas Ordinis, & iuriſdictionis ſpiritualis, ſtatus religioſus. Tertiò Spirituale ſecundum effectum, quod ſcilicet eſt effectus, vel vſus doni poteſtatiſue ſupernaturalis. v. g. prophetare, facere miracula, adminiſtrare ſacramenta, baptizare, confirmare, abſoluere, ordinare, ſacrificare, excommunicare, exorcizare, diſpenſare, & commutare vota, benedicere eccleſias, altaria, vaſa,

& ornamenta ecclesiastica.

763. *Spirituali annexum est quid temporale, contrahens spiritualitatem, ratione connexionis cum spirituali,* tanquam principali, vel accessorio. Hæc connexio cum spirituali, potest fieri tripliciter: scilicet antecedenter ad illud, concomitanter, & consequenter. *Antecedenter*, præcedendo spirituale, tanquam quid ordinatum ad illud. Eiusmodi sunt calices, vasa, vestimentaque sacra, templa, altaria, campanæ benedictæ, quæ omnia referuntur ad sacrificium Missæ. Item ius patronatûs præsentandi clericum ad beneficium: ius sepulturæ ecclesiasticæ, quo acquiruntur sacrificia, orationes, bonaque spiritualia. *Concomitanter*, tanquam ipsa actio rei spiritualis, v. g. actio celebrandi Missam, baptizandi, absoluendi, concionandi, &c. Item labor intrinsecus actioni sacræ, administrationi sacramentorum, sacrificio Missæ, &c. *Consequenter*, tanquam quid subsequuin spirituali. Eiusmodi est beneficium ecclesiasticum, præsupponens clericatum, & officium spirituale.

764. Hæc omnia spirituali annexa, non possunt vendi precio temporali, quà benedicta, consecrata, & spiritualisata sunt; absque labe simoniæ.

765. Interim annexa antecedenter, vendi possunt, præcisè quà temporalia sunt, & secundùm naturam suam precio æstimabilia. v. g. materia calicis consecrati, fundus cœmeterij, prædium habens ius patronatûs annexum. Possunt inquam vendi, nisi id vetetur: vti cap. *Placuit.* 1. q. 1. vetatur expresè venditio chrismatis, & implicitè aliarum materiarum sacramentalium benedictarum: ne sub earum rerum prætextu, sacramenta ipsa vænalia esse videantur.

766. Annexa concomitanter, aut consequenter, vendi non possunt: quia in illis non potest vendi temporale, sine spirituali. Nam in annexis concomitanter, ipsa actio est sacra; & labor, intrinsecus est actioni, eique intimè coniunctus: ideoque illius intuitu non potest accipi temporale, per modum precij; potest tamen per modum sustentationis, & honorarij.

Nam, vt ait Apostolus 1. Cor. 9. *qui altari deseruiunt, cum altari participant: & Dominus ordinauit iis, qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.* Deut. 18. Matth. 10. Lucæ 10. In annexis consequenter non potest itidem vendi temporale, absque spirituali: quia ab eo dependet, & in eo fundatur.

767. Simonia est vitium religioni oppositum, & species aliqua sacrilegij: deformitas autem illius consistit in eo, quòd res spirituales & sacræ vilipendantur, indignéque tractentur eo ipso, quo rebus profanis æquiparantur, in contractus deducuntur, & precio temporali commensurantur; contrà quàm de sapientiâ, & eiusmodi rebus, omne precium superantibus, dicitur Prouerb. 3. & Iob. 28. Accedit vsurpatio dominij rei, cuius habetur sola dispensatio, iuxta Apostolum 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Illa enim tractatur, quasi esset in dominio venditoris, aut futura dominio emptoris. Aggrauat insuper rei sacræ abusus, quæ vti à Deo gratis data est, ità & gratis absque precio dari debet. Matthæi 10.

768. Simonia à Canonibus, & Patribus vocatur hæresis, non quòd ex se sit talis, cùm non sit opposita fidei: sed quia præsumitur habere annexum errorem pertinacem, contra fidem: quòd scilicet liceat emere, aut vendere spiritualia, precio temporali.

Simonia vna est realis, alia mentalis, alia conuentionalis: & hæc subdiuiditur in purè conuentionalem, & mixtam. Item vna est iuris diuini, alia humani.

769. *Simonia realis est pro re spirituali, temporalis pretii pactum, vtrimque completum* SPIRITVALI, vel annexa rei spirituali. PACTVM expressum, vel implicitum. VTRIMQVE COMPLETVM, ex parte dantis, & accipientis; saltem inchoatè. v. g. vno dante beneficium, altero precium totum, vel partem.

770. *Simonia mentalis est traditio rei spiritualis, pro precio temporali, absque externâ conuentione,* sed cum

internâ intentione. Poteſt & aliter accipi: & hoc ſecundo modo,

771. *Simonia mentalis eſt merè interna voluntas committendæ ſimoniæ*: ſcilicet emendi, vel vendendi precio temporali, aliquid ſpirituale, eiue annexum; abſque externâ executione, expreſsâ vel implicitâ. Cæterùm quando agitur de ſimoniâ mentali, intelligenda venit prima, quæ etiam dicitur peccatum ſimoniæ mentalis: ſecunda dicitur peccatum mentale ſimoniæ.

772. *Simonia conuentionalis eſt emptio, vel venditio rei ſpiritualis, abſque traditione, vtrimque completâ.* Hæc eſt duplex: purè conuentionalis, & mixta.

773. *Simonia purè conuentionalis eſt ea, in quâ traditio, ex neutrâ parte completa eſt.* TRADITIO rei ſpiritualis, aut precij.

774. *Simonia conuentionalis mixta eſt ea, in quâ traditio ex vnâ parte completa eſt*; tradentis ſcilicet ſpirituale, aut precium, iuxta conuentionem factam. MIXTA conuentionali, & reali ſimoniâ. Conuentionalis mixtæ ſpecies eſt ſimonia confidentiæ: quæ

775. *Simonia confidentiæ eſt pactum obligans ad reſignandum beneficium.* PACTVM, quo conferens, procuranſue alicui beneficium, obligat eum ad ſibi, alteriue illud reſignandum; aut fructus ex eo, penſionemue præſtandum: abſque executione, vtrimque completâ.

776. *Simonia iuris diuini eſt ea, quæ iure naturali prohibita eſt*, tanquam intrinſecè mala: propter rationes n. 767. allatas. Siue, *eſt venditio rei ſpiritualis, quà talis*: quatenùs ſcilicet in ea, ſpectatur ratio ſpiritualitatis. Eiuſmodi eſt venditio donorum Spiritûs ſancti, ſacramentorum, calicis conſecrati, qui ideo pluris venditur, quia eſt conſecratus. Nihilominùs poſſent æſtimari precio expenſæ, pro conſecratione factæ.

777. *Simonia iuris humani eſt ea, quæ ſolo iure eccleſiaſtico prohibita eſt*; tantumque ideo eſt mala. Siue, *eſt rei temporalis venditio, habens ſimoniæ ſpeciem, ideo-*

quæ prohibita ab Ecclesia. REI TEMPORALIS, quæ talis; sed remotè, vel proximè spirituali annexæ: item dispositio de beneficio, absque authoritate superioris. Primi membri exemplum est, venditio officij œconomi ecclesiæ, aduocati, castaldi; quod est officium temporale, ordinatum ad administrationem bonorum temporalium, pertinentium ad Ecclesiam: ideoque vetatur vendi, ratione remotæ annexionis cum spiritualibus. Secundi exemplum est, venditio chrismatis, considerati præcisè quoad materiam suam: quæ licet sit precio æstimabilis; tamen per Concilium Braccarense, & Canones, vendi prohibetur, vti ostendimus n. 765. Tertij exemplum est permutatio beneficiorum, sine authoritate superioris; renunciatio reciproca, &c.

De religione, & actibus illius.

778. RElIGIO *est virtus moralis, exhibens Deo cultum debitum.* MORALIS, & inter morales prima. Moralis quidem, quia suppositi intellectualis mores componit iuxta præscriptum rationis. Inter morales prima, quia inter eas præcipua, & proximè accedens ad virtutem theologicam. Non est tamen theologica, quia pro immediato obiecto non habet Deum, sed cultum Deo debitum: sicut iustitia habet pro obiecto, ius proximo debitum, non proximum. EXHIBENS DEO CVLTVM, honorem cum submissione, DEBITVM: idque sub ratione formali debiti. Nam religio tanquam nobilissima pars iustitiæ creaturæ ad creatorem, persoluit Deo cultum latriæ debitum. Itaque

779. *Religio est virtus moralis, inclinans creaturæ intellectualis voluntatem, ad tribuendum Deo latriæ cultum debitum.*

Varij sunt actus Relegionis: vti Sacrificium. Cultus Latriæ, Deuotio, Votum, Iuramentum, &c. Varia sunt itidem peccata opposita religioni: vti irreligiositas, superstitio, tentatio Dei, blasphemia, &c.

780. *Honor est testimonium excellentiæ alienæ.* Imò propriè *Honor est signum æstimationis propriæ de excellentiâ alienâ.* SIGNVM internum, vel externum, quo quis cum approbatione testatur se agnoscere excellentiam alienam. Nam signa immediatè significant animi conceptus, & affectus; mediatè res ipsas.

Honor latiùs patet cultu: quia non includit submissionem honorantis ergà honoratum, quam cultus includit. Vnde Deus honorat Sanctos, sed non colit eos.

781. *Cultus est honor cum submissione*, Siue, *est testimonium excellentiæ alienæ, & submissionis propriæ.* TESTIMONIVM, signum internum, vel externum, mediatè protestatiuum EXCELLENTIÆ ALIENÆ, & immediatè æstimationis propriæ de alienâ excellentiâ in potestate, sapientiâ, virtute, &c. ET SVBMISSIONIS PROPRIÆ erga eiusmodi excellentiam alienam: testando illam non quomodocunque, sed respectu sui, & cum congruâ ad illam submissione propriâ. Congruâ inquam, quæ scilicet non sit maior debito, ne peccetur per excessum: neque minor, ne peccetur per defectum. Ex quibus constat, quòd ad plenam rationem cultûs, tria requirantur: primò actus intellectûs, excellentiam alienam apprehendentis: secundò actus voluntatis eandem approbantis, seque ei submittentis: tertiò actus externus vel internus protestatiuus excellentiæ alienæ, & submissionis propriæ ad eam.

Cultus variè diuidi potest: primò in ciuilem, & sacrum: secundò in formalem, & materialem: tertiò in terminatiuum, & relatiuum: quartò in absolutum, & respectiuum: quintò in completum, & incompletum. Cultus profanus, politicus, siue

782. *Cultus ciuilis est testimonium naturalis excellentiæ alienæ, & propriæ submissionis ad eam.* NATVRALIS, non excedentis vires naturæ. v. g. sapientiæ acquisitæ, potestatis politicæ, dignitatis patriæ, &c.

783. *Cultus sacer est testimonium supernaturalis ex-*

cellentiæ alienæ, & propriæ submißionis ad eam. SVPERNATVRALIS, vires naturæ ſuperantis. Hic cultus ſacer ſubdiuiditur in latriam, hyperduliam, & duliam. Latria, ſiue

784. *Cultus latriæ est testimonium infinitæ excellentiæ diuinæ, & infimæ propriæ submißionis ad eam.* Hyperdulia, ſiue

785. *Cultus hyperduliæ est testimonium supernaturalis excellentiæ creatæ singularis & profundæ propriæ submißionis ad eam.* SINGVLARIS, excellentiæ nulli alteri communicatæ: qualis eſt vnio hypoſtatica, reſpectu humanitatis Chriſti: & maternitas Dei, reſpectu Beatiſſimæ Mariæ V. PROFVNDÆ, ſubmiſſionis communi duliâ religiosâ humilioris.

786. Hyperdulia eſt cultus ſuperans communem duliam, & inter eam, latriamque medius. Exhibetur autem B. M. V. tanquam matri Dei: foret etiam exhibenda Chriſti humanitati, conſideratæ abſtractìm à perſonalitate Verbi: vti notamus in 3. p. n. 97. Dulia, ſiue

787. *Cultus duliæ est testimonium excellentiæ alienæ, supernaturalis creatæ; & religiosæ propriæ ad eam submißionis.* RELIGIOSÆ, non profanæ, & ciuilis; ſed obſeruantiæ, religioni affinis. Sicut enim Sanctorum intrinſeca ſupernaturalis excellentia charitatis, gratiæ habitualis, ſanctitatis, & beatificæ viſionis, eſt participatio excellentiæ diuinæ; ita & dulia eſt participatio religionis. Imò dulia, cultuſque Sanctorum, erit virtualis & implicita religio, ſi intrinſeca illorum excellentia conſideretur tanquam aliquid Dei; illique conſiderentur vt filij, amici, hæredeſque Dei: quia formalis ratio cultûs, erit excellentia diuina, extrinſecùs illis applicata. Quinet materialis ac relatiuus cultus eorundem Sanctorum, erit actualis & expreſſa religio, ſi colantur propter increatam excellentiam diuinam; ita vt cultus formalis & abſolutus non terminetur ad ipſos: ſed per ipſos, ad Deum habitantem in ipſis, tanquam templis; vel tanquam in imaginibus relucentem.

788. *Cultus formalis est testimonium intrinsecæ excellentiæ alienæ, & internæ ad eam submissionis propriæ.* INTRINSECÆ, inexistentis honorato. INTERNÆ SVBMISSIONIS, non tantùm exterius exhibitæ. siue, *Cultus formalis est honorarium signum, internâ submissione informatum*, honorato exhibitum.

789. *Cultus materialis est merè externum testimonium excellentiæ alienæ, submissionisque propriæ.* MATERIALIS tantùm, & non formalis simul. MERE EXTERNVM, absque colentis internâ submissione. Siue. *Cultus materialis est honorarium signum, internâ submissione destitutum.* SVBMISSIONE erga eum, cui honorarium signum exhibetur.

790. *Cultus terminatiuus est testimonium excellentiæ alienæ, & submissionis propriæ, in honorato terminatum*; ita vt sistat in eo, qui colitur; nec vlteriùs referatur. Siue, *est is, qui in honorato terminatur, nec vlteriùs refertur.* Eiusmodi est cultus prototypi.

791. *Cultus relatiuus est testimonium excellentiæ alienæ, & submissionis propriæ, vlteriùs relatum.* Siue, *est is, qui non sistit in honorato, sed refertur vlteriùs.* Eiusmodi est cultus imaginis, qui transit ad prototypum.

792. *Cultus absolutus est testimonium excellentiæ alienæ, in se considerata, cum propriâ ad eam submissione.* IN SE CONSIDERATÆ, absque expressâ habitudine, & explicito respectu ad aliam excellentiam extrinsecam. Siue, *est is, qui exhibetur honorato, absque respectu ad excellentiam ipsi extrinsecam.* Eiusmodi est cultus Dei, Deiparæ, & Sanctorum ordinarius.

793. *Cultus respectiuus est is, qui exhibetur honorato propter respectum ad excellentiam ipsi extrinsecam.* Siue, *est testimonium propriæ submissionis, ad excellentiam honorato extrinsecam, ad quam particularem respectum habet.* Eiusmodi est cultus veræ crucis, & instrumentorum passionis Christi : quibus veneratio exhibetur, propter respectum illius, cuius attactu sanctificata sunt. Idem est iudicium de vasis, & ornamentis sacris; de ecclesiis, & similibus : quæ pro diuersitate respectûs, quem habent ad Deum, Deiparam, & Sanctos,

merentur respectiuum cultum latriæ, hyperduliæ, vel duliæ.

794 *Cultus completus est is, qui terminatur ad suppositum.* v. g. ad Deum Patrem, Filium, Spiritum-Sanctum: ad Christum, Deiparam, Sanctos.

795. *Cultus incompletus est is, qui terminatur ad suppositi componens, aut partem.* v. g. ad Christi humanitatem: ad animam, corpus, caput latus, manus, pedes, &c.

796. Cultui est sinonima adoratio: quæ *Adoratio est honor cum submissione.* Siue, *est testimonium excellentiæ alienæ, & ad eam submissionis propriæ.* Est duplex: interna, & externa.

797. *Adoratio merè interna est insensibile testimonium excellentiæ alienæ, & ad eam submissionis propriæ.* INSENSIBILE, non perceptibile sensu externo; sed in spiritu, & animo exhibitum. Cuiusmodi est adoratio angelorum, Deum adorantium.

798. *Adoratio externa est sensibile testimonium excellentiæ alienæ, & ergâ eam submissionis propriæ.* SVBMISSIONIS congruæ, iuxta n. 781. quæ scilicet adæquatur excellentiæ cultæ, ita vt non sit maior, nec minor quàm par est.

799. Excepto sacrificio, templo, & altari, omnia adorationis externa signa, sunt communia Deo, & creaturis. Vnde ex solâ adorantis intentione determinantur ad latriam, hyperduliam, vel duliam. Adoratio honoraria videtur esse synonima cultui respectiuo, definito num. 793. Nam ad sensum Synodi septimæ,

800. *Adoratio honoraria est cultus, rei insensibili exhibitus, ob extrinsecam excellentiam, ad quam habet respectum.* REI INSENSIBILI, nam Synodus septima, huiusce honorariæ adorationis obiecta recenset scripturam sacram, vasa sacra, sacramenta, & imagines in actu signato. EXHIBITVS præfatæ rei insensibili, tanquam totale obiecto *quod*; in quo etiam sistit: infra num. 804.

801. *Coadoratio est vnius cum alio adoratio.* VNIVS

ſuppoſiti cum alio ſuppoſito: vel VNIVS componentis, cum alio componente principali, totoue ſuppoſito. Vnius, inquam, ſuppoſiti, cum alio ſuppoſito: quomodo Spiritus ſanctus, cum Patre Filioque coadoratur, & conglorificatur: vel vnius componentis ſecundarij, cum alio componente principali, phyſico vel morali. *Phyſico*: quo modo humanitas Chriſti coadoratur diuinitati. *Morali*, quo modo crux coadoratur Chriſto crucifixo. Vel vnius componentis, cum toto ſuppoſito: quo modo humanitas Chriſti coadoratur Verbo incarnato.

De imagine.

802. *IMago eſt rei exiſtentis ſimilitudo, ad inſtar illius expreſſa.* REI EXISTENTIS, quâ parte Imago diſtinguitur contra idolum: quod eſt ſimilitudo Numinis, non exiſtentis: vti oſtendemus n. 945. AD INSTAR, ad imitationem & repræſentationem illius, tanquam exemplaris, expreſſa.

803. *Exemplar eſt id, ad cuius imitationem aliud exprimitur.* Hoc exemplar ſubinde vocatur impropriè imago. Geneſis 1. *Faciamus hominem, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Poteſt tamen hìc propriè accipi nomen imaginis, & eſſe ſenſus: Faciamus hominem, qui ſit noſtri, tanquam exemplaris, imago & ſimilitudo.

804. Imago ſacra poteſt conſiderari duobus modis: primò in actu exercito, quatenus actualiter repræſentat ſuum prototypon. Secundò in actu ſignato, quatenus habens reſpectum ad prototypon; ſed non actualiter illud repræſentans animo adorantis.
Primo modo, adorationis obiectum *quod* partiale primarium, eſt prototypon; ſecundarium eſt imago. Secundo modo, adorationis totale obiectum eſt typus, ſiue imago. Primo modo imago colitur eodem numero cultu, quo prototypon; materiali ſcilicet, reſpectiuo, & relatiuo imago: formali, terminatiuo, & abſoluto prototypon. Et hoc eſt, quod ait ſeptima Sy-

nodus: *Honor imaginis transit ad prototypon:* & Tridentina sess.25. *Honos, qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant.* Itaque hoc primo modo imago Dei & Christi adoranda est cultu latriæ materiali, respectiuo, & relatiuo: imago B. Mariæ V. cultu hyperduliæ: Sanctorum, duliæ: quia illarum prototypa adorantur simili cultu formali, terminatiuo, & absoluto. Secundo modo totale obiectum *quod* adorationis, est imago, in quâ sistit adoratio: quæ à septimâ Synodo vocatur honoraria; diciturque esse inferior adoratione prototypi. n.793. & 800.

805. *Reliquiæ sacræ sunt Sanctorum corpora, vel partes; resque aliæ, attactu ipsorum sanctificatæ.* v.g. vestes, sudaria, semicinctia, litteræ, passionis instrumenta, &c. Hæ reliquiæ, ad instar imaginum, possunt duobus modis considerari: primò in actu exercito; & coli cultu materiali & relatiuo: secundò in actu signato; & coli cultu respectiuo.

De Sacrificio.

806. *Sacrificium est oblatio externa rei sensibilis, per realem illius mutationem, à legitimo ministro facta Deo, in testimonium supremi dominij ipsius, & nostræ subiectionis.* Oblatio, quia omne sacrificium est oblatio facta Deo, non è diuerso: nam oblatio primogenitorum, primitiarum, aliarumque rerum non mutatarum realiter, non erat sacrificium. Externa, facta exterius, non merè internè in animo. Quamuis enim Deus intueatur cor, & non egeat exteriori illius manifestatione; vult tamen quòd homo constans animâ & corpore, sibi offerat cum interno affectu exterius sacrificium, ad profitendum publicè religionem suam. Rei sensibilis, hostiæ, victimæ, reique oblatæ, quæ sit sensu perceptibilis, ratione sui, vel specierum sacramentalium. Per realem illius mutationem: per realem hostiæ reproductionem, vel destructionem, &c. Reproductionem inquam illius, tanquam termini ad quem actionis sacrificalis; vti fit in incruento sacri-

to sacrificio Missæ: vel destructionem illius, tanquam materiæ, præsuppositæ actioni sacrificali; vti factum est in sacrificio cruento crucis, holocausto, &c. per hanc realem mutationem sacrificium distinguitur à simplici oblatione. A LEGITIMO MINISTRO, sacerdote, qui solus authoritate diuinâ legitimè deputatus est ad offerendum Deo sacrificium. FACTA DEO: si alteri fiat, erit sacrilegium, & non sacrificium: quod soli Deo debetur, tanquam supremus latriæ cultus. IN TESTIMONIVM, &c. Nam protestatio & recognitio supremi dominij diuini, infimæque nostræ subiectionis, est sacrificij essentialis finis; qui ab offerentibus debet intendi explicitè, vel implicitè.

807. *Oblatio est doni præsentatio.*
Sacrificium vnum est latreuticum, aliud eucharisticum, aliud impetratorium, propiciatorium, &c.

808. *Sacrificium latreuticum, est sacrificium directum ad Deum latriâ colendum.* Eiusmodi præcipuè est holocaustum. Quod

809. *Holocaustum est sacrificium, cuius res oblata tota igne resoluitur in fumum*; & ex eâ nihil cedit vsibus humanis.

810. *Sacrificium impetratorium est sacrificium oblatum Deo, pro beneficiis ab eo impetrandis.*

811. *Sacrificium eucharisticum est sacrificium oblatum Deo, in actionem gratiarum*, pro beneficiis, ab eo acceptis. Vtrumque sacrificium, impetratorium scilicet & eucharisticum comprehendit hostia pacifica: quæ

812. *Hostia pacifica est sacrificium Deo oblatum, pro impetratione beneficiorum*, IMPETRATIONE præteritâ, velfuturâ; id est pro beneficiis à Deo impetratis, vel impetrandis.

813. *Sacrificium propiciatorium est sacrificium Deo oblatum, pro remissione peccatorum*, quoad culpam, & pœnam; vtramque, vel alterutram. Vocatur *hostia pro peccato*, imò *peccatum* Osee 4. & 2. Cor. 5. Itaque

814. *Hostia pro peccato est sacrificium, pro culpâ remittendâ, pœnáque auertendâ; vtrâque, vel alterutrâ.*

815. *Libamen est liquidi oblatio, facta Deo per effusio-*

nem. LIQVIDI, sanguinis, aquæ, vini, vel olei: nam ex liquidis, tantum illa quatuor offerebantur Deo.

De deuotione, oratione, attentione, gratiarum actione, laude, &c.

DEuotio sumitur duobus modis: primò pro speciali actu religionis: secundò pro generali conditione omnium actuum religionis.

816. Primo modo, *Deuotio est interna sui ad cultum diuinum oblatio, & traditio:* quâ quis se Deo deuouet, & cultui ipsius.

817. Secundo modo, *Deuotio est promptitudo voluntatis, & feruor affectûs, ad ea, quæ sunt cultûs diuini.* Hic autem

818. *Feruor est intensio affectûs, excludens acediam, & tepôrem.*

819. *Oratio est mentis in Deum eleuatio, cum decentium petitione.* MENTIS, intellectûs & voluntatis. Cùm enim oratio sit locutio interna, fit intellectu, tanquam linguâ & interprete voluntatis. IN DEVM, immediatè, quando oratio tendit directè ad Deum: mediatè autem, quando dirigitur ad Sanctum, vt sit noster comprecator apud Deum. ELEVATIO: quia oratio est internum colloquium cum Deo; quod esse non potest, sine mentis, à terrenis & infimis, ad Deum eleuatione. CVM DECENTIVM PETITIONE: si enim sit nuda eleuatio mentis in Deum, sine petitione; erit meditatio, aut contemplatio, & non oratio: si autem sit indecentium petitio, non erit vera oratio, nec actus religionis. Item

820. *Oratio est desiderii coràm Deo explicatio practica, ad aliquid impetrandum ab eo.* DESIDERII efficacis, quo voluntas ita afficitur bono absenti, vt adhibeat medium illius adipiscendi. CORAM DEO, quia omnis oratio dirigitur ad Deum, immediatè vel mediatè. EXPLICATIO, per internam locutionem. Non vt orantis desiderium innotescat Deo; vtpote omniscio: sed vt dignetur concedere desiderata, quæ statuit dare

rogantibus, & nonnisi rogantibus. Ideoque *explicatio* hæc est PRACTICA, & ordinata ad impetrandum aliquid à Deo: scilicet boni salutaris consecutionem, & mali euitationem.

821. *Oratio mentalis est mentis in Deum eleuatio, cum internâ decentium petitione.*

822. *Oratio vocalis est mentis in Deum eleuatio, cum verbali decentium petitione.*

823. *Oratio merè vocalis est externa decentium petitio à Deo, sine eleuatione mentis in eum.* MERE VOCALIS, est particula alienans: nam talis oratio, non est vera oratio

824. *Oratio priuata est ea, quæ fit à personâ priuatâ, nomine priuato*, non communitatis.

825. *Oratio publica est ea, quæ fit à communitate, eiusue nomine*, à ministro publico.

826. *Attentio est voluntaria animi applicatio ad id, quod agitur.*

827. *Attentio orationis est voluntaria animi applicatio ad sensum orationis*, saltem in confuso. Qualem habere possunt idiotæ, orationis idioma non intelligentes. Impropriè dicta, &

828. *Externa attentio est voluntaria animi applicatio ad exteriorem orationis pronunciationem*, cum compositione corporis, ad modum orantis.

829. Potest statui quadruplex attentio: actualis, virtualis, habitualis, & interpretatiua: quæ postrema est planè impropriè dicta.

830. *Attentio actualis est præsens animi applicatio ad opus, quod agitur.* v. g. ad orationem, sensumque illius.

831. *Attentio virtualis est animi ad opus applicatio, non actu, sed virtute remanens*, ex actuali præhabitâ, non reuocatâ, nec interruptâ.

832. *Attentio habitualis est propensio ad attendendum, orta ex frequentatione actuum.* Item improprio modo,

833. *Attentio habitualis est animi dispositio, quâ quis attendisset, si fecisset reflexionem.* QVA QVIS ita est dispositus, vt infallibiliter ATTANDISSET ad opus: ad

quod tamen non attendit paulò ante actu, nec modò virtute.

834. *Attentio interpretatiua est applicatio animi ad opus, non in se, sed in alio,* tanquam continente, vel causâ. Sic intelligens verba orationis, eaque attentè proferens, censetur attendere ad sensum, iis contentum.

835. *Gratiarum actio est beneuola protestatio gratiæ acceptæ, cum sui erga benefactorem submissione.* Hìc

836 *Gratia est beneficium datum gratis*, absque debito, & sine respectu remunerationis, aut talionis.

837. *Laus est locutio de aliquo, cum approbatione.* Siue, *est excellentia aliena honorifica enunciatio.*

838. Secundùm D. Augustinum, *Gloria est frequens de aliquo fama, cum laude.* Siue, *est excellentia alicuius publicatio*, quâ redditur clarus apud multos. Accipitur etiam pro effectu eiusmodi publicationis: quo sensu

239. *Gloria est clara, cum laude, notitia.* Siue, *est claritas, resultans ex honorificâ publicatione excellentiæ alienæ.* Gloria includit honorem famam, & laudem.

De voto, illius dispensatione, commutatione, &c.

840. *Votum est promissio, facta Deo, de meliori bono.* Est promissio, deliberata & spontanea fidei obligatio, de re possibili, bonâ, gratâque promissario. Facta Deo, immediatè, vel mediatè per Sanctos. De meliori, de bono tali, quod est melius, quàm oppositum, & quod (præscindendo à voto) Deo gratius est, ab homine fieri, quàm non fieri.

841. *Votum absolutum est illud, quod fit absque particula suspensiua si, aliaue æquipollente.* v. g. modò, dummodò, &c.

842. *Votum conditionale est illud, quod fit cum particula suspensiua si, vel alia æquipollente*: id est, habente vim conditionis suspensiuæ. Vide p. 3 n. 508.

843. *Votum merè conditionale est illud, quod non fit*

in delicti punitionem, sed tantùm sub conditione suspendente obligationem, vsque ad conditionis appositæ impletionem.

844. *Votum conditionale pœnale est illud, quod fit in punitionem delicti, si illud fuerit commissum.* Est duplex: vnum, quo Deo promittitur pœna delicti, & non euitatio delicti v. g. *Voueo Deo, me daturum pauperibus aureum, si vnquam blasphemauero.* Alterum, quo Deo promittitur euitatio delicti, & pœna commissi. v. g. *Voueo* Deo, *me non blasphematurum; & si blasphemauero, dabo pauperibus aureum.* Et hoc est duplex votum: vnum absolutum, de non blasphemando: alterum conditionale, de aureo dando.

845. *Votum expressum est votum conceptum verbis explicitis*, internis aut externis.

846. *Votum tacitum est illud, quod censetur fieri, eo ipso, quo fit aliquid, cui annexum est votum* Eiusmodi est votum castitatis, quod fit voluntariâ susceptione Ordinis sacri. Item votum castitatis, paupertatis, & obedienttiæ, quod fit gestatione habitûs professorum, expleto anno probationis, cum profitendi animo saltem implicito. Qui animus si desit, præsumetur quidem professus quis in foro exteriori; sed coràm Deo non erit.

847. *Votum reale est promißio* Deo *facta, de re temporali; vel actione, exercendâ per alium*, quàm vouentem: v. g. de Calice dando, faciendâ eleemosynâ; de peregrinatione, per substitutum complendâ, &c.

848. *Votum personale est promißio* Deo *facta, de proprio actu personæ voventis.* v. g. de ieiunio, ingressu religionis, &c.

849. *Votum mixtum est promißio Deo facta de re temporali, proprioque actu personæ vivientis.* v. g. de distributione bonorum suorum, cum ingressu religionis, &c.

850. *Votum solenne est illud, quod annexum est susceptioni Ordinis sacri, aut professioni religionis approbatæ.* Nam susceptio Ordinis sacri, & professio religionis, sunt actus solennes, qui ex decreto Ecclesiæ, efficiunt votum solenne.

851. *Votum simplex est quodcumque votum, emissum extra susceptionem Ordinis sacri, & professionem religionis approbata.*

852. *Dispensatio voti est relaxatio vinculi voti,* & condonatio debiti, erga Deum à vouente contracti.

853. *Irritatio voti est abolitio illius, antequam perfectè obliget*: facta ab eo, cuius est habere votum ratum.

854. *Suspensio voti est ad tempus dilatio executionis voti*, ob causam rationabilem.

855. *Interpretatio voti est declaratio, quòd illud non obliget.*

856. *Commutatio voti est translatio obligationis voti, de unâ materiâ ad aliam.*

857. *Redemptio voti est translatio obligationis voti personalis, ad opus reale.*

858. *Condonatio voti est obligationis voti remissio, facta ab eo in cuius fauorem emissum est.*

859. *Desitio conditionis voti est defectus conditionis, sub quâ factum est votum.*

860. *Desitio materiæ voti est mutatio materiæ, aliàs legitimæ.* Mutatio inquam, quâ materia voti aliàs legitima, desinit esse talis absolutè, vel respectu vouentis: Vtpote quia fit indifferens, impossibilis, inutilis, mala, maioris boni impeditiua.

Conformiter ad ius, Concilium Trid. sess. 22. de refor. cap. 5. & 6. & varios authores, propriè & distinctè accepta

861. *Subreptio est subticentia veri,* & *Obreptio est narratio falsi.* Et consequenter,

862. *Dispensatio subreptitia est ea, quæ obtenta est per subticentiam veri.*

863. *Dispensatio obreptitia est ea, quæ obtenta est, per narrationem falsi.* Interim confunduntur sæpè inter se subreptio, & obreptio; & dispensatio subreptitia, & obreptitia.

De Statu Religioso.

864. IN genere, *Status est certa vitæ conditio, in quâ quis persistit perpetuò, vel ad tempus.* Eiusmodi est status innocentiæ, legis naturæ, Mosaicæ, euangelicæ, Status ecclesiasticus, sæcularis; virginalis, matrimonialis, vidualis, libertatis, seruitutis; gratiæ peccati, viæ, patriæ, beatitudinis; perfectionis acquirendæ, acquisitæ, &c. Strictiori modo,

865. *Status est immobilis vitæ conditio, quâ quis alteri firmiter obstringitur.* IMMOBILIS, absolutè; vel difficulter mobilis: nam status significat persistentiam, & stabilitatem quandam. Eiusmodi status est triplex; episcopalis, religiosus, & coniugalis. Episcopi enim obligantur ecclesiæ suæ obsequio: religiosi, obsequio diuino: coniugati, obsequio mutuo. Duo priores status sunt spirituales: & illorum primus est status perfectionis acquisitæ, secundus acquirendæ: tertius autem est sæcularis.

Status religionis vocatur etiam religio: nam religionis nomen accipitur tribus modis. Primò, pro virtute, cultum Deo debitum exhibente: secundò, pro determinato ritu cultûs diuini, ad salutem necessario; cuiusmodi est religio Christiana: tertiò, pro perfecto ritu cultus diuini, obseruantiáque consiliorum euangelicorum. Quemadmodum autem secunda religio includit primam, ita tertia vtramque. Tertij modi

866. *Religio est status, votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ legitimè firmatus.* EST STATVS spiritualis, & vitæ conditio stabilis, quâ quis cultui diuino singulariter mancipatur. VOTIS perpetuis ex parte vouentis, ordinariéque solennibus, extraordinariè tamen, nouoque iure simplicibus, post biennij probationem emissis in Societate IESV. LEGITIME, secundum leges Ecclesiæ, requirentis certam regulam, & Sedis Apostolicæ approbationem expressam, vel tacitam. Vnde ad statum religiosum tria requiruntur:

primò emissio, acceptatioque triam votorum essentialium: secundò, particularis regula: tertiò, approbatio Ecclesiæ.

867. *Votum castitatis religiosa est Deo facta promissio abstinentiæ perpetua à voluptatibus carnalibus* illicitis, & aliàs licitis. PROMISSIO facta in religione approbatâ. Ipsa autem

868. *Castitas religiosa est perpetua abstinentia ab omnibus voluptatibus carnalibus.* ABSTINENTIA firmata voto religionis.

869. *Votum paupertatis religiosa est Deo facta promissio abdicationis dominij proprietatis, vsúsque independentis* ab arbitrio superioris religionis. PROMISSIO facta in religione approbatâ. INDEPENDENTIS dominij, & vsûs.

870. *Paupertas religiosa est voluntaria abdicatio dominij proprietatis, vsûsque independentis.* ABDICATIO facta in religione approbatâ. DOMINII rerum temporalium, INDEPENDENTIS ab arbitrio superioris, VSVSQVE similiter independentis. Et sic comprehenditur Societatis IESV paupertas non modò solenniter professorum, quæ est omnimoda abdicatio dominij proprietatis; sed & simpliciter vouentium, quæ est abdicatio dominij independentis.

871. *Votum obedientiæ religiosa est Deo facta promissio parendi mandato superioris*, DEO FACTA, in religione approbata. MANDATO expresso, & implicito. Ipsa autem

872. *Obedientia religiosa est constans voluntas parendi præcepto superioris* religionis approbatæ. Si pareatur præcepto, quia præceptum superioris est, opusue debitum ex præcepto; erit obedientia formalis: si propter intrinsecam operis præcepti honestatem, vel ex alio motiuo virtutis, erit obedientia materialis, eaque sufficiens.

De iuramento, & adiuratione.

873. I*Vramentum est diuini numinis attestatio, ad fidem faciendam, promißionemue firmandam.* ATTESTATIO, in testem assumptio. Nam

874. *Attestatio diuini numinis est inuocatio testimonii diuini:* id est actio, quà Deus, prima veritas, vocatur in testem dicti, aliquid affirmantis, negantis, vel promittentis. Vocatur inquam, vt supremus testis, omnique exceptione maior; rogaturque vt infallibili suâ asseueratione, veritatem latentem aperiat, quando ei visum fuerit: saltem in die iudicij, quum *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* 1. Cor. 4. AD FIDEM FACIENDAM in iuramento assertorio: PROMISSIONEM FIRMANDAM, in iuramento promissorio.

875. *Iurare est accipere Deum in testem dicti.* Siue, iuxta Chrysostomum, homiliâ 9. in Acta, *Iurare est Deum vocare testem, & quasi fideiussorem dare dictis.* Iuramento synonimum est iusiurandum: & iuxta Aristotelem Rhetoricorum. 17.

876. *Iusiurandum est, cum diuinâ veneratione, dictio probationis expers.* Siue, iuxta Ciceronem l. Offic. *est affirmatio religiosa.*

877. Attestatio diuini numinis potest fieri diuersimodè: expresè, implicitè; verbis, scriptis, nutibus; attactu crucifixi, euangelij; manu eleuatâ, vel ad pectus appositâ, &c. *Expresè*, inuocando Deum, vel attributum diuinum, quod est Deus ipse. *Implicitè*, inuocando Dei creaturam, cœlum, terram, templum, euangelium, &c.

878 Iuramentum est actus religionis, & cultus latriæ: illo namque implicitè agnoscitur Deus esse prima veritas, omnipotens, omniscius, vniuersi prouisor, & gubernator. Ipsa tamen religio inclinat ad non facilè, & frequenter iurandum; sed parce, rarò, & nonnisi exigente necessitate. Nam iuramentum est de numero eorum, quæ in casu necessitatis bona sunt, vti

medicamenta: non autem de numero eorum, quæ per ſe ſemper ſunt bona, ideoque frequentanda. v. g. oratio, eleemoſyna, &c.

879. Vt vſus iuramenti ſit licitus, requiruntur tres comites: ſcilicet veritas, iudicium, & iuſtitia: iuxta cap. 4. Ieremiæ: *Iurabis, Viuit dominus, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitiâ.* Id eſt, Non iurabis per falſos Deos, ſed per Deum viuum; de re verâ, & licitâ, & cum diſcretione debitâ.

Si iuramentum ſit deſtitutum veritate, erit falſum; ſi iuſtitiâ, illicitum; ſi iudicio, temerarium. In hac materiâ iuramenti,

880. *Veritas eſt conformitas dicti ad mentem.* Siue, eſt veritas locutionis, ſupponens veritatem cognitionis, & ſuperaddens veritatem executionis Itaque implicatur hîc triplex veritas; in cognoſcendo, loquendo, & exequendo: quarum prima tollit falſitatem, & incertitudinem; ſecunda, mendacium; tertia, infidelitatem. In eâdem materiâ iuramenti,

881. *Iuſtitia eſt conformitas rei ad rectam rationem*, æternamque Dei legem. Itaque iuramentum debet eſſe de re iuſtâ, & licitâ. Conſequenter quamuis ſit licitum omittere conſilia euangelica; non eſt tamen licitum obligare ſe iuramento, ad ea non ſequenda. Itidem hîc

882. *Iudicium eſt diſcreta perpenſio, num reuerentia diuino numini debita, permittat ſui atteſtationem*, hîc & nunc. An ſcilicet præſens neceſſitas, iuſta vtilitas, reique condignitas exigat tanti teſtis atteſtationem.

Sumitur ſubinde periurium generaliter, pro iuramento deſtituto aliquâ comite, etiam iuſtitiâ, vel iudicio. Propriè tamen

883. *Periurium eſt iuramentum, veritate deſtitutum.* VERITATE locutionis, executionis, vel cognitionis. Et hic eſt ordo grauitatis periurij: ita vt primum ſit periurium deſtitutum veritate locutionis; ſecundum, executionis; tertium, cognitionis. (Quod poſtremum contingit, quoties iuramento deeſt certitudo abſoluta, vel moralis.

Iuramentum diuersimodè diuidi potest: primò in internum, & externum.

884. *Iuramentum internum est diuini numinis attestatio, in mente solâ*; per meram locutionem intellectûs, & verbum mentis.

885. *Iuramentum externum est diuini numinis attestatio, factu signis externis*; verbis, scriptis, nutibus, &c.

Secundò, in expressum, & implicitum.

886. *Iuramentum expressum est diuini numinis attestatio, facta verbis expreßis.*

887. *Iuramentum implicitum, siue tacitum, est diuini numinis attestatio, facta signo æquiualente verbis expreßis.* v. g. eleuatione manûs, attactu crucifixi, euangelij, &c.

Tertiò, in iuramentum per Deum, & per creaturam.

888. *Iuramentum per Deum, est attestatio diuini numinis, in se, vel in attributo suo*; quod est Deus ipse. v. g. in veritate diuinâ, omnipotentiâ, scientiâ, iustitiâ, &c.

889. *Iuramentum per creaturam, est attestatio diuini numinis, in creaturâ suâ relucenti*; tanquam in sede suâ, throno, tabernaculo, templo, scabello, &c. vti constat ex Matthæi 5. & 23. Si B. Maria, angeli, sancti accipiantur in testes dicti nostri, tanquam veritatis illius conscij; erit actus duliæ, non latriæ. Sic ait Apostolus 1. Timoth. 5. *Testor coràm Deo, & Christo Iesu, & electis angelis eius.* Si autem fieret attestatio creaturæ, tanquam numinis, foret blasphemia, & idololatria. Quartò, in iuramentum attestatorium, & execratorium.

890. *Iuramentum attestatorium est nuda attestatio diuini numinis, ad faciendam fidem*, dicti, promissi, vel comminati. NVDA, absque vllâ execratione, dirarumue imprecatione.

891. *Iuramentum execratorium est attestatio diuini numinis, vt vindicis*; cum iurantis execratione, & dirarum imprecatione: vt scilicet periurus, Deum ira-

tum habeat; verax propicium. Vtrumque enim precatur iurans; si fidem fallat, expressè malum; sin minus, tacitè bonum. Imprecatur inquam sibi, vel alteri, à se deuoto, ita tamen vt vtrumque redundet in iurantem: vtpote qui in personâ sibi coniunctâ, sit plectendus, vel præmiandus.

Quintò, in iuramentum assertorium, promissorium, & comminatorium.

892. *Iuramentum assertorium est diuini numinis attestatio, ad dicti fidem faciendam* DICTI, quod est *probationis expers*, vt ait Aristoteles, citatus n. 876. & quod aliter probari non potest.

893. *Iuramentum promissorium est diuini numinis attestatio, ad promißionem firmandam.*

894. *Iuramentum comminatorium est diuini numinis attestatio, ad firmandam mali intentati executionem.* Vt scilicet iurato non sit deinceps integrum mutare animum, quoad mali comminati executionem; ne Deus constituatur testis falsi.

Sextò, in absolutum, & conditionatum.

895. *Iuramentum absolutum est diuini numinis attestatio, absque vllâ conditione,* expressâ vel tacitâ.

896. *Iuramentum conditionatum est diuini numinis attestatio, cum conditione*, expressâ vel subauditâ. Quæ secunda subest, ex vsu communi, iuris dispositione, vel iurantis intentione: eáque non impletâ, iuramentum recidit in irritum.

Septimò, in simplex, & solenne.

897. *Iuramentum simplex est diuini numinis attestatio, absque cæremoniâ notabili.*

898. *Iuramentum solenne est diuini numinis attestatio, cum cæremoniâ notabili.* v. g. coràm notario, testibus; per attactum crucifixi, euangelij, reliquiarum, &c.

Octauò, in iudiciale, & extraiudiciale.

899. *Iuramentum iudiciale est diuini numinis attestatio, facta coràm iudice,* eiusue tribunali, in foro fori. Quinet in foro poli, coràm confessario; ex præscripto canonum, vel iudicis ecclesiastici, antequam pœnitens

absoluatur à certis criminibus.

900. *Iuramentum extraiudiciale est diuini numinis attestatio, facta extra iudicium.*

Nonò, iuramentum iudiciale subdiuiditur in iuramentum calumniæ; & in litem.

901. *Iuramentum calumniæ est diuini numinis attestatio, facta per litigantem, super suâ bonâ fide*, in litis contestatione, & prosecutione. Quo scilicet partes litigantes, earumque administri iurant se non dolo malo, nec animo calumniandi; sed fide conscientiáque bonâ, causam cœpisse, & prosequi velle. *Partes* litigantes sunt actor & reus: eorum administri

902. sunt aduocati, & procuratores. Hic verò

* *Calumnia est dolus malus, malitiosaque litigatio.*

903. Iuramentum calumniæ continet ferè quinque capita: primò quòd iurans, in conscientiâ suâ credat se iustam causam habere; & non frustratoriè fraudulenterue agere. Secundò quòd respondebit veritatem super omnibus, iuridicè interrogatus. Tertiò quòd non non vtetur scienter falsâ probatione. Quartò quòd non corrumpet iudicem, nec tabellionem. Quintò, quòd non petet fraudulentam dilationem: sub quâ comprehenditur etiam temeraria appellatio. Vnde sunt hi versus:

Illud iuretur, quòd lis sibi iusta videtur;
Et si quæretur, verum non inficietur
Nil promittetur, nec falsa probatio detur:
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Iustè petitum calumniæ iuramentum recusantis pœna est, vt actor ab institutâ cadat actione: reus autem debeat haberi pro confesso.

904. *Iuramentum in litem est diuini numinis attestatio, per litigantem facta, super re controuersiâ.* Hoc iterum est duplex, necessarium, & non necessarium. *Necessarium, siue decisorium est illud, quod iudex exigit à parte, ad terminandam litem*: & recusari non potest, sine causâ legitimâ. *Non necessarium est illud, quod pars parti defert*, ità vt recusari possit.

Decimò, iuramentũ diuiditur in formale, & materiale.

905. *Iuramentum formale est diuini numinis attestatio deliberata, cum intentione iurandi.*

906. *Iuramentum materiale est diuini numinis attestatio externa, sine deliberatione, intentioneuè iurandi.*

907. Scriptura Matth. 5. 25. & Iacobi 5. vetans quodcunque iuramentum, intelligenda est de iuramento destituto comitibus veritate, iustitiâ, & iudicio: & generaliter de quocumque, vsurpato absque necessitate absolutâ, vel morali. Nam diuino numini debita reuerentia, periculumque periurij, dictat non esse passim vsurpandum iuramentum. Accedit, quòd sinceritas, veracitas, & fidelitas Christianorum, tanta esse debeat, vt illis iniuratis affirmantibus negantibusue simpliciter, meritò credendum sit.

908. Qui alio sensu iurat, quàm alter intelligat; vi iuramenti præcisè obligatur tantùm ad sensum suum. Ratione tamen scandali, vel damni secuturi, obligatur iuxta alterius sensum ordinarium: imò peccabit mortaliter, alieno sensu iurans sponte propriâ, vel ad iuramentum legitimè compulsus. Ad illud autem directè vel indirectè compulso iniustè, licebit iurare alio sensu, quàm adiurans, vel alter intelligat; iurare inquam per verba verè amphibologica, vel per reseruationem mentalem; modò ea ipsa, in verbis iurantis vel adiurantis, tacitè subaudiatur ex iuris dispositione, communi vsu loquendi, vel particulari respectu personæ loquentis: conformiter ad ea, quæ dicimus n. 1045. infrà. Quam licentiam probabiliter quidam extendunt ad casum necessitatis, iustæque vtilitatis, Interim habenda est hîc ratio reuerentiæ, Deo religionique debitæ: & cauendum est à periurio externo, proximi scandalo & damno.

909. Obligatio iuramenti potest tolli materiæ mutatione, irritatione, dispensatione, seu absolutione, commutatione, iudicis relaxatione, & promissarij condonatione, conformiter ad dicta n. 852. & sequentibus.

910. Verbum *adiuro* variam habet significationem in scripturâ sacrâ. Primò significat, Iuramentum in

alio exigo, ad illud adigo, iurare compello: ſic accipitur Geneſis 24. & 50. Item ſecundò *adiuro* ſignificat, Iuramento meo execratorio expreſſo, alium implitè inuoluo: ſic accipitur Numerorum 5. & 1. Regum 14. Item tertiò *adiuro* ſignificat, interpoſiti numinis diuini intuitu, alium ad mihi obſequendum induco: ſic accipitur 3. Regum vltimo Canticorum, 2. 3. 5. & 8. Matthæi 26. Marci 5. Actorum 19. & 1. Theſſal. 5. Totidem modis accipitur *adiuratio*; ſed frequentius tertio modo: quo ſenſu,

911. *Adiuratio eſt diuini numinis obteſtatio, vt illius intuitu abſtrictus adiuratus, permoueatur, adiurantique obſequatur.* DIVINI NVMINIS, in ſe, attributo ſuo, vel creaturâ ſuâ. OBTESTATIO, aſſumptio, interpoſitio, & ad rem præſentem adductio; ita vt Deus quaſi ſiſtatur præſens, tanquam comprecator, compulſor, aut vindex. Obteſtatio inquam, expreſſa vel implicita. VT ILLIVS INTVITV, diuini numinis reſpectu, eique debiti amoris, honoris, timoris, & obedientiæ. OBSTRICTVS ADIVRATVS, tanquam proprio implicito iuramento deuinctus; & ni pareat, futurus temeratæ religionis, diuinæque vilipenſionis reus. PERMOVEATVR, ad parendum ſponte inducatur, vel inuitus compellatur: ADIVRANTIQVE OBSEQVATVR, faciendo quod ipſe deſiderat, rogat, aut imperat.

Adiuratio diuiditur in expreſſam, & implicitam; præceptiuam, & deprecatoriam.

912. *Adiuratio expreſſa eſt explicita diuini numinis obteſtatio, vt illius intuitu obſtrictus adiuratus, permoueatur, adiurantique obſequatur.* DIVINI NVMINIS, in ſe, vel attributo ſuo, quod eſt Deus ipſe. *In ſe.* v. g. Matth. 26. *Adiuro te, per Deum viuum.* Et Act. 19. *Adiuro te, per Ieſum, quem Paulus prædicat.* Vel *in attributo.* v. g. *Adiuro te, per Dei bonitatem, omnipotentiam, iuſtitiam; per viſcera miſericordiæ diuinæ,* &c.

913. *Adiuratio implicita eſt obteſtatio diuini numinis, in creaturâ ſuâ relucentis, vt illius intuitu obſtrictus adiuratus, permoueatur, adiurantique obſequatur.* Quemadmodum enim in iuramento per creaturam Dei, ſit im-

plicita attestatio diuini numinis; ita & in adiuratione, fit implicita eiusdem obtestatio. Eiusmodi foret, *Adiuro te per euangelium Christi*, &c. Item Canticorum 2. & 3. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas, ceruosque camporum.*

914. *Adiuratio deprecatoria est diuini numinis obtestatio, ab inferiore facta, ad permouendum superiorem*, etiam Deum ipsum. Nam adiuratione generaliter acceptâ, etiam Deum adiuramus, obsecrando illum, per bonitatem suam, viscera misericordiæ suæ; per Christum, illiusque incarnationem, passionem, merita B Mariæ, &. Sanctorum; vt horum intuitu permoueatur ad præstandum petita.

915. *Adiuratio præceptiua est diuini numinis obtestatio, vt illius intuitu obstrictus adiuratus permoueatur, præcipientique obsequatur.* Eiusmodi est adiuratio dæmoniorum, quæ fit ab exorcistis circa energumenos, & maleficiatos; estque subinde comminatoria, & execratoria. Quæ

916. *Adiuratio execratoria est diuini numinis obtestatio, vt illius intuitu obstrictus adiuratus, obsequatur: & ni fecerit, diris deuoueatur*; imprecando ei punitionem, & vindictam; optando vt habeat Deum iratum, vindicem sentiat, &c. Cauendum tamen est exorcistæ, ne imprecetur aut comminetur dæmonibus peruicaciter reluctantibus, ignis infernalis augmētum, ad decem, viginti, centum gradus intensionis: nam illi spectant ad damnationem essentialem, quæ manet inuariata in æternum. Secùs est de damnatione accidentali.

917. Quando sal, aqua aliæue res insensatæ exorcizantur, vel adiurantur; ipsa adiuratio propriè dirigitur ad naturam intellectualem; scilicet ad Deum, vt virtute suâ, iis rebus, earumque vsibus assistat: vel ad dæmonem, vt ab iis abscedat, & per eas nocere non præsumat.

918. Etymologicè *exorcizo* idem est, quod adiuro: *exorcista*, adiurator: *exorcismus*, adiuratio; eaque fere execratoria n. 916. Quo sensu,

919. *Exorcismus est diuini numinis obtestatio, ad effugandam*

ad effugandum dæmonem eiusue virtutem.

De decimis.

ETymologicè *Decima est portio ex decem vna.* Itaque

920. *Decima est pars decima prouentuum, cedens Deo, eiusque ministris.* PROVENTVVM personalium, prædialium, & ex vtrisque mixtorum. Vnde decimæ diuiduntur in prædiales, personales, & mixtas: item in maiores, & minores

921. *Decimæ prædiales sunt pars decima prouentûs, collecti ex prædio, tam vrbano, quam rustico.* n. 354 & 355. v. g domùs elocatione, molendino, piscinâ, agro, prato, horto amœno, horreo, stabulo, &c. In multis locis, prædiales decimæ fere restringuntur ad pascua, terras arabiles, & eiusmodi prædia rustica:

922. *Decimæ personales sunt pars decima lucri personalis*, prouenientis ex negotiatione, artificio, militiâ, famulatu.

923. *Decimæ mixtæ sunt pars decima prouentûs collecti ex animalibus brutis.* v. g. fœtûs, lactis, lanæ, butyri, &c. Eiusmodi enim pecorum, brutorumque prouentus, mixtim proueniunt ex prædijs, industriâque humanâ.

924. Inter decimas prædiales & personales, hoc interest quòd prædiales integrè persoluendæ sint, absque deductione laboris, seminis, expensarum, censuum, tributorum. Personales autem admittunt deductionem expensarum: quia soluuntur ex personarum lucro, quod æstimatur tantum restans expensis deductis.

925 *Decimæ maiores sunt pars decima prouentuum prædialium*, prouenientium scilicet ex terris arabilibus, alijsque prædijs rusticis & vrbanis; exceptis hortis.

926. *Decimæ minores sunt decima pars prouentuum hortensium, fœturæue animalium.*

927. Solutio decimarum, quatenùs est testimonium vniuersalis dominij diuini, cultûsque latriæ fomentum; eatenùs est immediatè actus religionis. Quatenùs autem est solutio substentationis, debitæ

ecclesiasticis ; eatenus est immediatè actus iustitiæ, mediatè religionis.

928. In nouâ lege, decimæ quatenùs sunt necessariæ ad sustentationem ministrorum Dei, & Ecclesiæ, sunt iuris diuini naturalis, non positiui, quoad substantiam suam : & quoad præcisam quotam decimæ partis, sunt iuris ecclesiastici duntaxat.

929. Decimis affines sunt *primitiæ*, & *oblationes* : quæ in vsum reuocandæ sunt, quando ad sustentationem ministrorum Dei, & Ecclesiæ, sunt necessariæ.

930. *Primitiæ sunt primi fructus agrorum, vel arborum, in gratiarum actionem oblati Deo* ; deinde cedentes in vsum ministrorum illius.

931. *Primitiua, siue* Primogènita *sunt primi fœtus animalium brutorum.*

932. *Oblationes sunt quarumcunque rerum dona,* Deo *præsentata* ; immediatè, vel immediatè in ministris Dei : & ferè sine reali mutatione.

933. Decimarum obligatio potest cessare quatuor modis : primò consuetudine præscriptâ : secundò Pontificis priuilegio, aliquos eximentis: tertiò transactione, siue compositione : quartò remissione eius, cui debentur.

934. *Nouales sunt primi fructus agrorum, nouiter cultorum.*

935. *Nouale est ager nouiter cultus*, cuius culturæ non extat memoria.

De superstitione, eiusque speciebus.

936. ETymologicè *Superstitio est vanus superstantis numinis cultus.* Vel, conformiter ad Sapientiæ caput 14 *est defuncti, in suâ effigie memoriaue superstitis, cultus.*

937. Propriè *Superstitio est veri falsiue numinis cultus vitiosus.* Siue, *est falsa religio, exhibens cultum numini indebito, vel indebitum vero.* FALSA RELIGIO, vitiumque religioni oppositum, per excessum: sicut irreligiositas, per defectum. Hæc enim

938. *Irreligiositas est contemptus neglectusue diuini cultûs.* Deficit itaque in cultu diuino: in quo excedit superstitio. Non quòd Deus possit nimium coli; vel maiori cultu, quam mereatur (cùm dignus sit coli cultu infinito) sed quia colitur cultu, à suo instituto alieno; & aliter quàm debeat coli. Vel quia colitur numen falsum, quod non debet coli. Vnde est duplex superstitio: vna, veri numinis; altera, falsi.

939. *Superstitio veri numinis, est veri Dei cultus indebitus.*

940. *Cultus indebitus est is, qui diuino instituto, rationique est dissentaneus.* Hic indebitus cultus est duplex: falsus, & superfluus.[1].

941. *Cultus falsus est veri Dei cultus non verus.* Non VERVS, quia falsus est in se, vel in suâ significatione. Falsus in se est is, qui præ se fert verum legitimumque Dei honorem; cùm non sit talis. v. g. celebratio Missæ, facta per eum, qui non est sacerdos; falsorum miraculorum adinuentio, &c. Falsus cultus in suâ significatione est v. g. moderna vsurpatio iudaïcarum cæremoniarum, significantium Messiam venturum. Vterque hic falsus cultus, regulariter est peccatum mortale.

942. *Cultus superfluus est veri Dei cultus, ab illius instituto alienus.* Scilicet cumulatus per res, aut circumstantias indebitas, ab Ecclesiæ doctrinâ moreque alienas; & inutiles ad Dei honorem, mentisque humanæ in eum eleuationem. v. g. adoratio, vel oratio, facta cum superfluis circumstantijs temporis, loci, numeri, sitûs, &c. Hic cultus superfluus ferè est tantùm peccatum veniale, seposito contemptu, & scandalo.

943. *Superstitio falsi numinis est cultus Dei non veri.* v. g. Iouis, Dianæ, solis, &c. Hæc superstitio falsi numinis, diuiditur in *idololatriam, diuinationem, obseruantiam vanam, & magiam.*

944. *Idololatria est idoli latria.* Siue, *est cultus diuinus, creaturæ exhibitus.*

945. *Idolum est ficta similitudo numinis, non existentis.* Siue, *est simulacrum, repræsentans diuinitatem, non*

existentem: iuxta Apostolum 1. Cor. 8. *Scimus quia nihil est idolum in mundo: & quòd nullus est Deus, nisi vnus.* NIHIL tale, quale æstimatur, & pro quali colitur; pro Deo scilicet.

946. Per idololatriā subinde colitur pro Deo idolum ipsum; aliquando res alia, per idolum repræsentata, v.g. Sol, Luna, &c. Tunc enim creatura, adorata cultu Latriæ, vocatur idolum; iuxta Zachariam c. 11. *O pastor, & idolum*; Ibi enim (teste Hieronymo) notatur Antichristus, qui *in templo Dei sedebit, ostendens se, tanquam sit Deus*, 2. Thessal. 2. Idololatria potest diuidi in internam, externam, & mixtam.

947. *Idololatria interna est latriæ cultus, exhibitus creaturæ, in animo colentis, absque signo externo.* Purè, & merè

948. *Idololatria externa est sensibile signum Latriæ, exhibitum creaturæ, absque interiori submissione.* Interna iuncta exteriori, siue

949. *Idololatria mixta est internus Latriæ cultus, signo externo creaturæ exhibitus*

950. Diuinatio est duplex: vna diuina, alia superstitiosa. Diuina, propriè dicta, & etymologicam suam rationem adimplens

951. *Diuinatio est futurorum contingentium prædictio*, certa & infallibilis. CONTINGENTIVM, prouenientium á causâ indeterminata. Dicitur *diuinatio*, quia est diuina actio, & propria diuinitati: secundùm illud Isaiæ 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum: & sciemus quia dij estis.* Illud etiam Tertulliani, Apologetici 20. *Idoneum, opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis.* Superstitiosa, & illicita

952. *Diuinatio est notitiæ diuinæ vsurpatio, ope dæmonis, ad hoc inuocati.* NOTITIÆ DIVINÆ, cognitionis & scientiæ, Deo propriæ: qualis est futurorum contingentium certa cognitio, & prædictio: quinet præteritorum præsentiumque occultorum, hominesangelosque latentium notitia. Nihilominùs etiam notitia rerum humanitùs scibilium, habitâ ope dæmonis; vti

& predictio rei necessariò futuræ, accensenda est diuinationi. VSVRPATIO, illicita inquisitio scientiæ diuinæ, vsusque acquisitæ. OPE DÆMONIS, diuinitatem semper affectantis. Dæmonis, inquam: quia si curiosè inquiratur notitia occultorum, à Deo, angelis, sanctis, arteue naturali; non erit diuinatio. AD HOC INVOCATI, expressè, vel implicitè: non autem exorcismis adiurationibusque legitimis, ad occulta pandenda compulsi.

Inuocatur autem dæmon expressè, quando disertis verbis rogatur vt Deus, aut angelus. Item quando expressâ intentione fit aliquid, vt dæmon sese immisceat. Inuocatur implicitè, quando non rogatur verbo factoue expresso; sed tacitè, vtendo medijs, nullam vim ad occultorum notitiam habentibus naturaliter, neque ex instituto diuino, vel ecclesiastico; sed solo dæmoniaco.

953. *Diuinus est vsurpator notitiæ diuinæ, ope dæmonis, ad hoc inuocati.*

Præfata dæmonis inuocatio, æquiualet explicito & implicito pacto cum dæmone. Eiusmodi quoque dæmoniacæ inuocationis expressæ ac tacitæ, responsionisque varij sunt modi: per oraculum, vaticinium, &c.

954. *Oraculum est dæmonis, in idolo latentis responsio.* DÆMONIS, expressè vel implicitè inuocati: quod & subaudiendum est in sequentibus definitionibus. RESPONSIO, verbo, scriptoue.

955. *Somnium est in somno, responsio dæmonis de occultis.* In SOMNO, ad quem certo ritu se componit quærens diuinationem.

956. *Vaticinium est dæmonis responsio, per vates suos,* arreptitios, & pseudoprophetas: vnde vocatur etiam *pseudoprophetia.* RESPONSIO, verbo, vel scripto.

957. *Pythonismus est dæmonis responsio, per pytones,* & ventriloquos. Nam dæmon dabat responsa sua, per pythonum & pythonissatum ventrem, vmbilicum, partesue obscænas: ideoque pythonismus vocatur etiam *ventriloquium.*

958. *Aruspicium est dæmonis responsio, per exta hostiæ*

id est, per inspectionem aruinæ animalis immolati, viscerum extantium, signorumque ijs impressorum. Vnde vocatur etiam *extispicium*, & *haruspicium*, ab haruga (teste Donato) siue hostiâ, ab harâ ad aram eductâ.

959. *Necromantia est dæmonis responsio, per vmbras, & manes*: id est, mortuos, in speciem resuscitatos.

960. *Gæomantia est dæmonis responsio, per signum effectum in terrâ: Hydromantia, in aquâ: Pyromantia, in igne: Aeromantia, in aëre.*

961. *Chiromantia est dæmonis responsio, per inspecta manûs lineamenta.*

962. *Metoposcopia est dæmonis responsio, per inspecta frontis lieamenta.*

963. *Auspicium est dæmonis responsio, per inspectionem auium*: volatûs illarum, sitûs, pastûs, numeriue earum, quæ vocabantur *præpetes*. *Auspicium* dictum, quasi auispicium.

964. *Augurium est dæmonis responsio, per obseruationem garritûs auium*, earum quæ vocabantur *oscines*. Augurium dictum, quasi auigarium.

965. *Omen est dæmonis responsio, per obseruationem sternutationis, vocisue humanæ.*

966. Quamuis futurorum contingentium prædictio spectet ad superstitiosam diuinationem, illiusque iam dictas species; tamen licita est prædictio euentuum, dependentium à cantu auium, lineamentis frontis, colore, &c. tanquam causâ naturali; aut cum ijs habentium connexionem naturalem. Sic ex motu, aut cantu auium prædici possunt serenitates, pluuiæ, tempestates: ex colore faciei, lineamentis corporis, &c. potest prædici sanitas, morbus, breuitas vitæ, &c. Astrologia naturalis licita est, Iudiciaria est illicita.

967. *Astrologia naturalis est astrorum consideratio, indeque sumpta prædictio euentuum cœlestium, & elementarium.* v. g. ecclipsis solis, lunæ, serenitatis, tempestatis, pluuiæ, æstûs, &c. Astromantia, siue

968. *Astrologia iudiciaria est astrorum consideratio, indeque sumpta prædictio futurorum contingentium*, de-

pendentium á causâ indeterminatâ, & liberâ : qualia certò prædicere præsumunt mathematici, genethliaci, & obseruatores horoscopi;

969. inducentes fatum : & secundum eos, * *Fatum est immutabilis astrorum dispositio, secundùm quam necessariò eueniunt omnia*, etiam actiones humanæ. Cuiusmodi fatum cùm tollat libertatem humanam, certum est non subesse. Datur tamen aliud fatum : & secundùm Boëtium lib. 4. de consol. prosâ 6. illud

970. *Fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus.* Secundum Augustinum lib. 5. de ciuitate cap. 1. & 8. *Fatum est omnium connexio seriesque causarum, quâ fit omne, quod fit.* Secundum D. Thomam p. 1. q. 116. *Fatum est ordo causarum secundarum, à Deo dispositus, secundùm quem infallibiliter suos producunt effectus:* necessarios necessariò; contingentes, contingenter; liberos, liberè. Fatum sic dictum, iuxta citatum D. Thomam, quia à Deo effatum, prælocutum, & præordinatum. Itaque Fatum solet accipi duobus modis: primo, eoque improbando modo,

971. *Fatum est astrorum dispositio, à quâ omnia creata dependent, eueniuntque necessariò*, necessitate ineuitabili.

Secundo, eoque probando modo,

772. *Fatum est causarum secundarum diuina dispositio, secundùm quam earum effectus eueniunt infallibiliter*, prout Deus ordinauit euenire; necessarios scilicet necessariò, liberos liberè.

973. *Cleromantia est diuinatio per sortes.* DIVINATIO, dæmonis responsio.

974. *Sors, siue Sortitio est actio, facta eo fine, vt illius euentu spectato, innotescat aliquid occultum, vel dubium* v. g. quid cui competere debeat; & tunc est *Sors diuisoria*: vel quid hic & tunc agere oporteat; & tunc est *Sors consultoria*: vel quid futurum sit; & est *Sors diuinatoria*. Itaque

975. *Sors diuisoria est actio, facta eo fine, vt illius euentu spectato, innotescat quid cui competere debeat.*

976 *Sors consultoria est actio, eo fine facta, vt eius euentu spectato, innotescat quid hic & nunc agere oporteat.*

977. *Sors diuinatoria est actio, eo fine facta, vt eius euentu spectato, innotescat quid futurum sit.*

978 Omnis prædicta sors est illicita, quandocunque euentus expectatur à dæmone, explicitè vel implicitè. Diuisoria tamen est licita, naturâ suâ; si euentus expectetur à mero casu; vel à directione Dei iuxta Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à domino temperantur.* Maximè si præcedat diuina inspiratio: vti in Apostolica electione Mathiæ, Act. 1. Cæterum iure canonico cauetur ne officia ecclesiastica, vel beneficia addicantur sorti: etiamsi illa mitteretur tantùm inter æque dignos. Secus est de ciuilibus, modò sors non accipiatur ex libro Euangeliorum.

Sors consultoria, vti diximus, est illicita, quando consultatio, & agendorum manifestatio expectatur à dæmone: vel etiam à Deo, citra ipsius inspirationem, aut necessitatem: quia tunc degenerat in tentationem Dei. Licita autem est, positâ diuinâ inspiratione, aut necessitate, cum inuocatione diuinæ prouidentiæ, & directionis.

Sors diuinatoria est illicita, quoties reuelatio futuri euentus expectatur à dæmone: quin & à Deo, absque inspiratione diuina.

Sors, & sortitio, vocatur etiam *Sortilegium*; & eâ vtentes, sortilegi, & sortiarij.

979 *Obseruantia vana est euentus fortuiti superstitiosa coniectatio* [illegible] *adhibitio, ad consequendum* [illegible] *effectum* ad quem nullam habet efficaciam naturalem, nec ex instituto diuino, neque ecclesiastico. Obseruantiæ vanæ sunt quatuor species præcipuæ: *Ars notoria, Obseruantia* [illegible], *infaustorum, & euentuum.*

980 *Ars notoria est* [illegible] *subitò scientiæ,* [illegible] e. g. figurarum inspectione, ignotorum verborum prolatione, ieiunio, edulio [illegible] &c.

981 *Obseruantia* [illegible] *est adhibitio rei factæ, ad* [illegible] *effectum; cuius producendi non habet efficaciam.*

stiam, naturalem, diuinam, aut ecclesiasticam. Eiusmodi est gestatio reliquiarum, euangeliorum, schedarum inscriptarum verbis sacris, crucibusue; cum certâ persuasione non moriendi sine confessione; vel obtinendæ salutis animæ, aut corporis; similisue extraordinarij affectûs.

982. *Obseruantia sanitatum, est adhibitio medij inefficacis, ad obtinendam morborum curationem*, vitæ conseruationem, vulnerum immunitatem. MEDII INEFFICACIS. v. g. certorum signorum, verborum, aliorum (vt aiunt) nominum Dei, insufflationis oculorum, cæremoniarum inutilium, &c.

983. *Obseruantia euentuum est coniectura aduersitatis, vel prosperitatis, ex fortuito euentu*; secundum quem fit actionis humanæ moderatio; abrumpendo cœptum iter, regrediendo domum, repetendo lectum, &c. quia occurrit æthiops, lepus, quia pes impactus, limen offensum, &c.

984. Obseruantia vana, ex genere suo est peccatum mortale: quia in eâ dæmon inuocatur, saltem tacitè & implicitè. Quod etiam insinuatur psalmo 30. *Odisti obseruantes vanitates superuacuè: ego autem in domino speraui*. Subinde tamen fit veniale, ob ignorantiam, simplicitatem, bonam fidem, defectum deliberationis.

Vanæ obseruationes, similesque superstitiones, mirabiliter iam inualuerunt, & passim grassantur per orationes, peregrinationes, Sanctorum nouendialia, aliaque pia exercitia: ideoque episcopi, pastores, confessarij, concionatores debent diligenter aduigilare, vt illæ radicitus exstirpentur.

De Magia.

985. M*Agia naturalis est ratio operandi mira, per causas naturales occultas*, absque ope dæmonis. Non est de se mala; periculosa tamen, ob curiositatem, & facilem lapsum in superstitiones.

986. *Magia superstitiosa est ratio operandi mira, ope*

dæmonis, per signa, ab eo instituta. Siue, *est inuocatio dæmonis, ad miri operis patrationem.* INVOCATIO expressa, vel implicita; ad sensum n. 952. in fine. MIRA, non vera miracula; quæ dæmon efficere non potest. Itaque *mira*, id est opera extraordinaria, habentia causam ignotam; ideoque parientia admirationem. Si hæc magia superstitiosa referatur ad noxam, vocabitur *veneficium*, aut *maleficium* Nam

987. *Maleficium est inuocatio dæmonis, ad miri noxijque operis patrationem.*

988. Licitum est, maleficij signa magica amouere, & destruere; ad abolendum pactum dæmonis, ad illum contemnendum, ad impediendam Dei offensam: imò ad consequendam sanitatem, vtque dæmon desinat nocere. Est sententia communis, confirmata per Rituale Romanum Pauli V. in quo præscribitur exorcistæ, *Vt iubeat dæmonem dicere, an detineatur in corpore, ob operam aliquam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta. Quæ si obsessus, ore sumpserit, euomat: vel si alibi extra corpus fuerint, ea reuelet; & inuenta comburantur:* Verum quidem est, quòd non liceat à dæmone expectare effectum, ex pacto, amicitiâ, aut societate cum eo: sed licitum est destruere pactum ipsius, & expectare effectum ex Deo, vel causâ naturali: quinet ab ipso dæmone, coacto diuinâ potestate; vel etiam offenso, & abhorrente. Similiter potest peti à mago, vt dissoluat maleficium; sed sine maleficio, pactoue cum dæmone.

De tentatione Dei.

989. IN genere, *Tentatio est dictum, vel factum, ad capiendum de aliquo experimentum.* Ad hoc scilicet, vt tentanti aliiue innotescat latens tentati qualitas. v.g. scientia, probitas, fidelitas, similisue bona aut mala conditio.

990. *Tentatio Dei est temeraria expectatio extraordinarij effectûs à Deo, illius experiundi gratiâ.* Siue, *est dictum vel factum, ad capiendum de Deo experimen-*

tum, per extraordinarium effectum, ab eo temerè expectatum. EST DICTVM, VEL FACTVM: sub quo comprehenditur etiam omissio dicti, vel facti. AD CAPIENDVM, expressè vel implicitè, DE DEO, eiusue attributo, quod Deus est, EXPERIMENTVM ad sciendum per experientiam, num Deus sit: num verax, omnipotens, omniscius? &c PER EXTRAORDINARIVM EFFECTVM, productum contra ordinarium rerum cursum, à Deo institutum: aut miraculosum, excedentemque omnem creatam facultatem. TEMERE, absque iustâ, & rationabili causâ, AB EO EXPECTATVM. Non enim foret Dei tentatio, extraordinarij effectûs, ab eo expectatio, si iusta causa subesset: vti instinctus diuinus, promissio diuina, donum miraculorum, excellens fides, vrgens necessitas, honor Dei, defensio religionis; &c. exigens hic & nunc à Deo effectum extraordinarium. Quam si quis tunc non expectaret, incideret cum Achas, in infidelitatem, hæsitantiam, diffidentiam, similemue inpietatem. Isaiæ 7.

Tentatio Dei est duplex: vna explicita, altera implicita.

991. *Tentatio Dei explicita est dictum vel factum, expreßè ad capiendum de Deo experimentum*, per extraordinarium effectum, ab eo temerè expectatum. Sic Israëlitæ Psalmo 77. *Tentauerunt Deum, in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis---dixerunt, Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?*

992. *Tentatio Dei implicita est dictum, vel factum, ad capiendum tacitè de Deo experimentum*, per extraordinarium effectum, ab eo temerè expectatum. Eiusmodi Dei tentatio erat olim in innocentiæ probatione, per aquam feruentem, ferrum candens, &c.

De Sacrilegio.

INter peccata, religioni opposita, est sacrilegium: quod

993. *Sacrilegium est violatio rei sacræ.* VIOLATIO

indigna & iniuriosa tractatio, profanatio. Rei inanimæ, vel animatæ. Sacræ, cultui diuino peculiariter dedicatæ. *Inanima*. v.g. templi, altaris, calicis, imaginis Christi, &c.
Animata. v.g. sacerdotis, religiosi, monialis, &c.
Huiusce sacrilegij possunt statui tres species. *Prima* est violatio personæ sacræ. v.g. percussio clerici: fornicatio ordinati Ordine sacro, religiosi, monialis: pertractio ecclesiasticorum ad tribunal sæculare, &c. *Secunda* est violatio loci sacri. v.g. euersio templi, sacelli, altaris: violenta effusio sanguinis, aut voluntaria seminis, in loco sacro: sepultura excommunicati, aut infidelis, ibidem: extractio personæ refugientis ad eundem locum sacrum, tanquam ad asylum: furtum rei profanæ in eodem asylo depositæ. Eodem referri debent mercatus, deambulationes, confabulationes, sanctitati loci sacri repugnantes. *Tertia* est violatio rerum sacrarum, distinctarum à personis locisque sacris. v.g. iniuriosa tractatio sacramentorum, reliquiarum, imaginum, vasorum sacrorum, scripturæ sacræ, dierum dominicorum & festiuorum.

De Blasphemia.

994. B*Lasphemia est iniuriosa in Deum locutio.* In Devm, immediatè, vel mediatè. Locvtio interna, vel externa. Si Deo irrogetur iniuria, non locutione, nec verbis, sed factis. v.g. consputatione, flagellatione, crucifixione, occisione; non erit propriè blasphemia, sed contumelia factorum.
Blasphemia vna est cordis, alia oris.

995. *Blasphemia cordis est contumeliosa in Deum locutio interna.* Hoc *dixit insipiens in corde suo. Non est Deus*, Psalmo 13.

996. *Blasphemia oris est contumeliosa in Deum locutio externa*, per internæ mentis expressionem, factam verbis, scriptis, cantu, voce inarticulatâ.
Item blasphemia vna est immediata, alia mediata.

997. *Blasphemia immediata est contumeliosa in Deum ipsum locutio.*

998. *Blasphemia mediata est contumeliosa in Dei sanctos locutio*, aliasque creaturas; redundans in Deum, relucentem in illis. Vide supra n. 889. & 913.

Item blasphemia vna est in Patrem, alia in Filium, tertia in Spiritum-Sanctum: pro ratione trium specialium attributorum diuinorum; scilicet omnipotentiæ, quæ attribuitur Patri, sapientiæ, quæ Filio; bonitatis, quæ Spiritui-Sancto. Pro ratione etiam trium imperfectionum, præfatis attributis oppositarum. Itaque

999. *Blasphemia in Patrem, est contumeliosa in Deum locutio, ex paßione, impotentiâque animi*: ad sensum n 410. & 413. in p. 1. 2.

1000. *Blasphemia in Filium, est contumeliosa in Deum locutio, ex ignorantiâ.* Qualis fuit Pauli, qui ignorans blasphemus fuit. 1. ad Timoth. 1.

1001. *Blasphemia in Spiritum-Sanctum est contumeliosa in Deum locutio, ex malitiâ*: ad sensum n. 412. & 413. in p. 1. 2. Imò particulariter, blasphemia in Spiritum-Sanctum, siue

1002. *Blasphemia Spiritûs est contumeliosa in Deum locutio, ex malitiâ; opera ipsius attribuendo spiritui maligno.* Vti colligitur ex Matthæi 12. Marci 3. & Lucæ 11. Ibidem enim Iudæi blasphemabant contra Filium, diuina ipsius opera attribuentes principi dæmoniorum; idque ex merâ malitiâ, non ex subreptione passionis, aut ignorantiæ: ideoque dicuntur blasphemi in Spiritum-Sanctum, potius quàm in Filium.

Item blasphemia vna est enunciatiua, secunda imprecatiua, tertia dehonestatiua.

1003. *Blasphemia enunciatiua est contumeliosa de Deo affirmatio, vel negatio.* CONTVMELIOSA, quia omnis blasphemia, etiam cordis, spectat non ad detractionem, quæ fit occultè, in absentiâ personæ; sed ad contumeliam, quæ fit palàm, in facie personæ: nam Deus est vbique præsens. AFFIRMATIO, tribuens Deo, quod ei non competit. v. g. iniustitiam, crudelitatem,

&c. VEL NEGATIO, auferens Deo, quod ei competit. v.g. prouidentiam, omniſcientiam, &c. Item *affirmatio* tribuens creaturæ, quod Deo proprium eſt. v.g. numen, diuinitatem, templum, altare, omnipotentiam, &c. Quæ affirmatio de creaturâ, eſt virtualis negatio de Deo; quaſi non habeat ſolus diuinitatem, omnipotentiam, &c. ſed cum creaturâ communem.

1004. *Blaſphemia imprecatiua eſt contumelioſa in Deum locutio, exoptans ei malum.* Eiuſmodi eſt deſperatorum, & damnatorum.

1005. *Blaſphemia dehoneſtatiua eſt indecens nominatio membrorum Chriſti.* v.g. capitis, ventris, ſanguinis; quinet & mortis.

De Virtutibus Iuſtitiæ annexis, Pietate, Obſeruantia, Gratitudine, &c.

1006. *Virtus annexa iuſtitiæ, eſt virtus in aliquo cum iuſtitiâ conueniens, in alio differens.* Eiuſmodi eſt religio, pietas, obſeruantia, amicitia, gratitudo, liberalitas. IN ALIQVO CONVENIENS, ſcilicet in obiecto, quod vtrobique eſt *debitum alteri.* ET IN ALIO DIFFERENS, quia in iuſtitiâ, debitum alteri, reddendum eſt ad æqualitatem, eamque extinguentem debitum: eſtque ſtricto iure debitum. In virtute iuſtitiæ annexâ; debitum alteri, non redditur ad æqualitatem: vti in religione. Vel ad æqualitatem quidem, ſed non extinguentem exhaurientemque debitum; ita vt ceſſet obligatio vlterius ſatisfaciendi: vti in pietate, & obſeruantiâ. Vel non ſtricto iure debitum: vti in amicitiâ, gratitudine, & liberalitate. Itaque virtus reductitia ad iuſtitiam, ſiue

1007. *Virtus annexa iuſtitiæ, eſt virtus reddens debitum alteri, non ad æqualitatem, non ſtricto iure.* DEBITVM ALTERI, adeò magnum, vt non poſſit ei ſatisfieri ad æqualitatem; ſaltem non poſſit ſatisfactione extingui debitum: vel ita exile, vt non inducat ſtrictam obligationem ciuilem; ſed tantùm moralem cu-

iuſdam decentiæ, & honeſtatis.
Pietas in ſcripturâ ſacrâ accipitur aliquando pro religione, & deuotione: aliàs pro miſericordiâ & benignitate: in hac materiâ autem,

1008. *Pietas eſt virtus exhibens obſequium debitum parentibus, patriæ.* EXHIBENS, inclinans filios, & ciues; ad exhibendum OBSEQVIVM, cultum, & ſubſidium corporale & ſpirituale. PARENTIBVS corporalibus: nam ſpiritualium parentum cultus, ſpectat ad obſeruantiam religioſam. PARENTIBVS, patri ſcilicet & matri; quatenùs poſt Deum, ſunt principium noſtri ortûs, educationis, & inſtitutionis. Ad parentes reducentur conſanguinei, maximè aſcendentes. v. g. auus, proauus, abauus alijque maiores. ET PATRIÆ, loco natali, prouinciæ, & popularibus: ad quos reuocantur patriæ fœderati, aut beneuoli. Hoc debitum parentibus, & patriæ obſequium, tantum eſt, vt non poſſit reddi ad æqualitatem, exhaurientem debitum; quomodo tamen fit, in ſolutione debiti, reſtitutione, & eiuſmodi actibus iuſtitiæ. Aliàs certum eſt, quòd filius, & ciuis poſſit obſequijs ſuis corporalibus, & ſpiritualibus, non tantùm æquare, ſed & ſuperare beneficium, à parentibus, & patriâ acceptum; v. g. vtroſque ab infidelitate, ſeruitute, tyrannide liberando.

1009. *Obſeruantia eſt virtus, exhibens cultum debitum ſuperioribus.* EXHIBENS, inclinans inferiorem ad exhibendum CVLTVM, honorem cum ſui ſubmiſſione. DEBITVM: non minorem, quàm par ſit, ex obſeruantiæ neglectu: nec maiorem, ex obſeruantiæ exceſſu. SVPERIORIBVS, tam politicis, quàm ſpiritualibus, nos gubernantibus: quatenùs poſt Deum, ſunt principium noſtræ gubernationis. *Gubernantibus* actu, vel etiam potentiâ; id eſt, idoneis nos gubernare, ratione ſuæ authoritatis, ſcientiæ, virtutis, ſanctitatis, poteſtatis, nos præcellentis.
Obſeruantia vna eſt politica, ſiue ciuilis; alia religioſa.

1010. *Obſeruantia politica eſt virtus, deferens cultum perſonis, excellentiâ ciuili conſpicuis* v. g. regibus, ma-

gistratibus, dominis, heris, præceptoribus.

1011. *Obseruantia religiosa est virtus, deferens cultum personis, excellentiâ supernaturali conspicuis.* SVPERNATVRALI, excellentiam naturalem, & ciuilem superante; & habente singularem respectum ad numen diuinum ita vt sit particularis participatio excellentiæ diuinæ. Eiusmodi obseruantia exhibetur beatis, sacerdotibus, pastoribus, confessarijs, &c. quà talibus.

1012. Vnde hæc obseruantia religiosa est triplex: prima est obseruantia viatorum: secunda est communis beatorum, vocaturque *Dulia*: tertia est particularis humanitati Christi præcisæ, & Beatissimæ Mariæ Virgini matri. Hæc secunda & tertia sæpè accipitur pro actuali cultu duliæ, & hyperduliæ, definito n. 785. & 787. hîc autem accipitur pro virtute, eiusmodi cultum exhibente.

Cæterum licet possit fieri speculatiua præcisio humanitatis Christi, ab hypostasi Verbi; tamen nunquam fuit, nec erit sic præcisa ideoque adoranda est cultu latriæ; vti dicimus in p. 3. n 97.

1013. *Obseruantia religiosa viatorum, est virtus, exhibens cultum viuis, excellentiâ supernaturali conspicuis*: viatoribus sanctitate claris, episcopis, religiosis, prophetis, &c. quà talibus.

1014. *Dulia est virtus, exhibens cultum creaturæ, ob excellentiam adeptæ beatitudinis.* Vocatur *Dulia*, siue seruitus, qua tanquam serui, magnâ animi demissione, debemus reuereri sanctos, tanquam dominos nostros.

1015. *Hyperdulia est virtus, exhibens creaturæ cultum transcendentem, ob illius singularem vnionem ad Deum:* & excellentiam particularem, incommunicatam alteri. TRANSCENDENTEM, cultum superantem duliam communem: idque meritò, quia creatura culta habet non communem, sed SINGVLAREM VNIONEM AD DEVM. Qualem habet humanitas Christi: quæ præcisè considerata in se, vt integer terminus cultûs, colitur hyperduliâ. Itidem B. V. Maria, ratione maternitatis Dei. Generaliter sumpta

1016. *Obedientia est virtus, inclinans ad executionem voluntatis superioris*, etiam non præceptiuæ. Propriè dicta.

1017. *Obedientia est virtus, inclinans ad executionem præcepti superioris.* PRÆCEPTI, propriè dicti: aliàs in hac materiâ obedientiæ, sumitur subinde impropriè & latè præceptum, pro nutu voluntateque superioris, intimatâ inferiori, absque intentione obligandi. Hæc obedientia est duplex: materialis: & formalis.

1018. *Obedientia materialis est virtus inclinans ad executionem operis præcepti, non quà præcepti*, sed quà habentis intrinsecam honestatem, aut relationem in Deum, aut motiuum virtutis distinctæ ab obedientiâ. Hæc materialis obedientia, non est specialis virtus; sed complectitur omnes virtutes, inclinantes ad actum cadentem sub præceptum,

1019. *Obedientia formalis est virtus, inclinans ad executionem præcepti superioris, quia præceptum est.* Hæc licet se extendat ad omnis virtutis materiam, tamen est virtus specialis: quia habet rationem obiectiuam specialem, scilicet debitum authoritate superioris præcipientis; id est, intimantis inferiori voluntatem suam, obligantisque vt exequatur eam.

1020 *Inobedientia est vitium, violans superioris præceptum.*

1021. *Inobedientia materialis est prauaricatio præcepti, sine intentione prauaricandi*, expressâ. Hæc reperitur in omni peccato: quòd (iuxta D. Ambrosium.) *est diuinæ legis prauaricatio, & cœlestium inobedientia mandatorum.*

1022. I*nobedientia formalis est violatio præcepti, cum expressâ intentione violandi*; & præceptum, aut præcipientem contemnendi.

De gratitudine, & ingratitudine.

1023. G*Ratitudo est virtus, inclinans ad beneficij accepti æstima-*

1024. *tionem, & repensionem.* Hic, * B*eneficium*

est res donatario grata, gratisque donata. GRATIS; absque debito, & intuitu remunerationis. Nam si subesset debitum rigorosum, foret merces, solutio, compensatio, vel tributum honorarium. Si subesset intuitus remunerationis, degeneraret in auaritiam.

Gratitudinis obiectum, est debitum alteri, à quo acceptum est beneficium. Illius officium est, agnoscere, æstimareque beneficium acceptum; & satagere vt benefactori aliquatenus satisfiat reciproco beneficio, obsequio, cultu, gratiarum actione. Quæ

1025. *Gratiarum actio est beneuola protestatio accepti beneficij, cum sui submissione*, erga benefactorem n. 835.

1026. *Ingratitudo formalis est beneficij, benefactorisue contemptus expressus*; inficiando beneficium; aut illud, benefactorisue animum vilipendendo; aut omittendo officia gratitudinis, eâ intentione, vt ipse beneficiarius videatur non esse obligatus, ratione beneficij.

1027. *Ingratitudo materialis est omissio agnitionis beneficii accepti, vel commissio contra benefactorem, absque contemptu* expresso. OMISSIO officiorum gratitudinis, absque contemptu expresso beneficij, aut animi benefactoris; non tamen absque tacito, & implicito.

De iustitia vindicatiua.

DE iustitiâ vindicatiuâ aliquid diximus antea n. 312. cui superaddi possunt ea, quæ sequuntur.

1028. *Iustitia vindicatiua est virtus, ad æqualitatem rependens pœnam, pro iniuriâ.* VIRTVS, inclinans superiorem & iudicem, ad æquandam vltionem injuriæ, commensurando pœnam prauitati culpæ: vt vindicatio, excessu non degeneret in crudelitatem; aut defectu, in nimiam lenitatem.

Motiuum speciale iustitiæ vindicatiuæ, est ordinatio, correctio, & reparatio deprauati ordinis actionis humanæ, ad rectam rationem, legemque æternam. Ordinatio inquam, vt scilicet qui culpâ suâ, ex-

trà ordinem abiit; ad illum reuocetur, etiam inuitus, per pœnam.

1029. *Vindicatio est repensio mali pœnæ, pro malo culpæ.* Vt hæc licita sit, debet fieri à publicâ potestate, & ad æqualitatem.

1030. Si in vindicatione intendatur ordinatio iustitiæ læsæ, & reparatio conformitatis ad rectam rationem; erit actus præfatæ iustitiæ vindicatiuæ. Si intendatur emendatio rei, vel aliorum; erit actus charitatis erga proximum: itidem si intendatur reparatio iniuriæ, læso illatæ. Si intendatur reparatio honoris diuini, erit actus religionis. Si autem intendatur malum proximi, vt ei malè sit; degenerabit in vitiosam vindictam priuatam. Quæ

1031. *Vindicta priuata est inflictio pœnæ, ex odio proximi facta authoritate propriâ.* EX ODIO PROXIMI, vt ei malè sit; reputando malum alienum, esse bonum proprium vlciscentis. Hæc vindicta est vsurpatio potestatis publicæ, & diuinæ: scriptum est enim Deuteronomij 32. & Romanorum 12. *Mea est vltio: Mihi vindicta, & ego retribuam.* n.252, notabili 3.

De veracitate, & mendacio: amphibologia, & reseruatione mentali.

1032. *VEracitas est virtus, inclinans ad semper dicendum verum.*

Veracitatis sunt tria officia propria: primò procuratio conformitatis intellectûs ad rem intellectam; vt sit verum in cognoscendo, ne concipiatur dicaturque falsum. Secundò procuratio conformitatis verborum ad mentem; vt sit verum in enunciando, ne committatur mendacium. Tertiò procuratio conformitatis factorum ad dicta, & promissa; vt sit verum in præstando, & exequendo, ne committatur infidelitas.

1033. *Mendacium est locutio contra mentem.* Nonnulli complent definitionem, addentes *cum intentione fallendi:* sed assumentum illud omitti potest: quia lo-

cutio contra mentem, destituta intentione speque fallendi, reuera est mendacium. LOCVTIO, tam impropria, quàm propria. Hæc autem.

1034. *Locutio propria est externa mentis expreßio, per verba propriè dicta,* vocesque humanas articulata.

1035. *Locutio impropria est externa mentis expreßio, per verba impropriè dicta,* v.g. scripta, nutus, gestus, & similia signa, mentis humanæ expressiua.

1036. Malitia mendacij consistit in abusu locutionis: quæ à Deo hominibus data est, vt sit expressiua mentis, eique conformis.

Mendacium est triplex: officiosum, iocosum, perniciosum.

1037. *Mendacium officiosum est locutio contra mentem, causa vtilitatis propria, vel aliena:* absque iniusto nocumento alieno spirituali, vel temporali: semper autem cum nocumento spirituali proprio.

1038. *Mendacium iocosum est locutio contra mentem, causâ voluptatis propria, vel aliena:* absque iniusto nocumento alieno. Quod si subsit, ex officioso, iocosoue mendacio fiet perniciosum. Nam

1039. *Mendacium perniciosum est locutio contra mentem, cum proximi nocumento iniusto:* siue subsit propria alienaue vtilitas, vel voluptas. Cum iniusto inquam, nocumento: nam si foret iustum, mendacium desineret esse perniciosum. Exempli gratiâ, proditor ciuitatis Cameracensis, exhibet mihi coniurationem, à pluribus signatam, sollicitans vt & ipse subscribam: dico me facturum, modò authographum coniurationis instrumentum deponatur penès me asseruandum: non habeo autem voluntatem subsignandi, nec subsigno; sed defero illud ad Magistratum, proditores autem capite plectuntur. Hoc casu est mendacium officiosum in Rempublicam; & non perniciosum, quia licet adferat proditoribus nocumentum, tamen non iniustum.

1040. Ad cauendum mendacium, quidam vtuntur amphibologiâ, vel restrictione tacitâ, siue reseruatione mentali: sed frustrà sæpissimè, Nam hæ-

rent in eodem mendacij luto, aut in illud relabuntur; vel incurrunt in duplicitates, dolos, fallacias, damnificationes, ſcandala, euerſionemque ſocietatis humanæ: quæ mendaciis paria ſunt, imò priora. Cæterùm

1041. *Amphibologia eſt ambiguus ſermo.* Siue, *eſt locutio, habens ſenſum duplicem.* v. g. *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.*

1042. *Reſtrictio tacita eſt externa locutionis interna limitatio ſubaudita.* v. g. *Homo eſt mortalis, & immortalis*; ſubaudiendo, ſecundùm corpus *mortalis*; ſecundùm animam *immortalis*. Hæc reſtrictio tacita, eſt ſynonima reſeruationi mentali. Quæ *Reſeruatio mentalis eſt internum complementum ſermonis, incompletè prolati.* v. g. Geneſis 27. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, iure ſcilicet.

1043. Amphibologiæ, reſeruationiſque mentalis promiſcuus vſus, eſt illicitus tanquam abuſus; diſcretus vſus eſt licitus: quando ſcilicet ſubeſt neceſſitas abſoluta, vel moralis, aliaue iuſta cauſa celandæ veritatis, hoc artificio verborum.

1044. Itaque vt amphibologiæ vſus ſit licitus, requiritur primò quòd verba ſint verè ambigua, & abſque violentâ detorſione poſſint verificari in ſenſu loquentis. Secundò quòd ſubſit rationabilis cauſa, ſic ambiguè loquendi. v. g. Tobiæ 5. Raphaël dicit: *Ego ſum Azarias, magni Anania filius*: id eſt, Ego ſum adiutorium domini, filius adoptiuus Dei. Eiuſmodi amphibologia eſt communiſſima, quando loquens vſurpat verba, in ſignificatione propriâ; quæ audiens intelligit in metaphoricâ ordinariâ. v. g. dico aliquem *delirare*, id eſt ſulcum curuum ducere: *Diſsidere*, id eſt ſeparato loco ſedere, &c,

1045. Vt autem reſeruatio mentalis ſit licita, illa debet ſubintelligi ex diſpoſitione iuris, vel communi vſu loquendi; aut particulari reſpectu perſonæ loquentis, vel de quâ ſit locutio. *Ex diſpoſitione iuris.* v. g. promitto iudici me dicturum in cauſâ, quidquid noui; ſubiicendo mente, *Quando interrogabor, ſeruato or-*

dine iuris. Vel debet subintelligi *communi vsu loquendi*, v.g. promitto seruare secretum; subintelligendo, *Nisi vergat in praeiudicium alterius*. Aut debet subintelligi *particulari respectu personae loquentis*. Sic Christus dicit Ioannis 14 *Pater maior me est*, subaudiendo. *Secundùm humanitatem*. Addit Ioannis 10. *Ego, & Pater vnum sumus*, scilicet. *Secundùm diuinitatem*. Item affirmat confessarius se nihil scire de peccato alieno, noto ex sacramentali confessione; subaudiendo, *ita vt possit illud reuelare*, &c. Item poenitens à confessario interrogatus an commiserit aliquod particulare peccatum? quod reuerâ commisit, ante postremam legitimam confessionem: respondet se non commisisse, subaudiendo, *à postremâ confessione*: vel, *ita vt hic & nunc debeat illud confiteri*, Aut debet subintelligi *particulari respectu personae, de quâ fit locutio*. Sic Christus Matthaei 11. & 17. & Marci 9. dicit, *Ioannes est Elias*, subaudiendo, *spiritu*, non personâ.

De simulatione, & hypocrisi.

1046. Simulatio *est mendacium facti*, in exteriori gestu; prae seferendo exteriori actione aliud, quàm sit in mente.

1047. In genere, *Hypocrisis est personae alienae simulatio*: vti fit in comediis, & tragediis. *Hypocrita est personae alienae simulator*: cuiusmodi est histrio. Ad sensum sacrae scripturae, & patrum,

1048. *Hypocrisis est fictio peccatoris, se iustum simulantis.*

Hypocrita est peccator, simulans se iustum; prae se ferendo exteriùs sanctitatem fictam, & simulatam.

De affabilitate, eutrapelia, & vitiis oppositis.

1049. Affabilitas *est virtus, efficiens conuersationem cum proximis, gratam, & comem.* Conversationem, propriè in colloquiis, & affatu; consequenter in omni aliâ seriâ conuersatione humanâ.

1050. *Eutrapelia est virtus, seruans decorum in ludicris*, recreandi animi causâ assumptis. Ne scilicet eorum vsus degeneret in scurrilitatem; vel abstinentia, in rusticitatem, & morositatem,

Affabilitati per excessum opponitur *blanditia*, & *adulatio*; per defectum, *morositas*, & *litigium*.

1051. *Blanditia est indecora sui ad homines accommodatio*; omnia probando, & laudando, vtilitatis suæ causâ.

1052. *Morositas est asperitas conuersationis*, adferens proximis molestiam, & tædium.

1053. *Litigium est alienarum actionum contradictio*, in conuersatione humanâ.

De liberalitate, prodigalitate, auaritia, & epikeia.

1054. *Liberalitas est virtus, moderans pecuniæ cupiditatem*. MODERANS iuxta præscriptum rectæ rationis auiditatem pecuniæ, & rerum pecuniâ æstimabilium: dans quoque promptitudinem ad eas gratis, hilariter, & copiosè expendendum. Itaque duo sunt munia liberalitatis: primò, moderatio affectûs diuitiarum: secundò, earundem communicatio prompta, gratuita, & copiosa. Vnde potest etiam rectè definiri, *Liberalitas est virtus inclinans ad erogandum res suas promptè, gratis, & copiosè*.

Liberalitati, per defectum opponitur auaritia; per excessum, prodigalitas.

1055. *Auaritia est inordinatus amor diuitiarum, erogationisque illarum tenacitas*.

1056. *Prodigalitas est excessiua erogatio diuitiarum*.

1057. *Epikeia, siue Æquitas est virtus dirigens ad agendum contra verba legis, secundum habitualem intentionem legislatoris*. v. g. Lex ait *Redde depositum*: petit furiosus depositum gladium; depositarius non reddit, sequens habitualem intentionem legislatoris, in tali casu. Vide p. 1. 2. n. 538.

De fortitudine, & actibus ipsius, vitiisque oppositis.

1058. F*Ortitudo est virtus, dans animo firmitatem in periculis mortis, aliisque rebus terribilibus* FIRMITATEM, reddens animum constantem & inconcussum in perpessione, & repulsâ terribilium; iuxta præscriptum rationis moderando motus animi, scilicet timorem mali imminentis, tristitiam mali præsentis, & audaciam in repellendo malo.

1059. *Audacia est actus fortitudinis, animique promptitudo, in periculis terribilium*, aggrediendis, & repellendis; iuxta præscriptum rectæ rationis.
Fortitudini per excessum opponitur intimiditas, & temeritas; per defectum, ignauia, & timiditas.

1060. I*ntimiditas est vitium, dans vacuitatem iusti timoris*, in periculis mortis, aliisque rebus terribilibus: non timendo ea, quæ verè timenda sunt; quando, & quantum oportet, iuxta præscriptum rectæ rationis.

1061. *Temeritas est excessus in audendo.* Siue, *est vitium, in repellendo malo, audens supra quàm recta ratio dictat*; aggrediendo quod non conuenit, aut quo modo non conuenit. Vocatur subinde *protecta audacia.*

1062. *Ignauia est defectus audaciæ, in periculis mortis*, aliisque rebus terribilibus: non audendo aggredi quod conuenit, ad malum repellendum.

1063. *Timiditas est excessus timoris, in periculis mortis*, aliisque rebus terribilibus; timendo quod non oportet vel plusquàm oportet.

1064. *Martyrium est actus fortitudinis, & testimonium veritatis fidei, alteriusue veræ virtutis; per tolerantiam mortis.* EST ACTUS elicitus FORTITUDINIS: imperatus autem subinde fidei, charitatis, castitatis, iustitiæ, &c. ET TESTIMONIUM externum, quod Christo, doctrinæque ipsius præbetur; hoc ipso, quo pro eâ mors sustinetur VERITATIS FIDEI: iuxta illud Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, & euangelium; saluam faciet eam.* ALTERIUSUE VE-

RÆ, perfectæ, & charitate formatæ VIRTVTIS v. g. temperantiæ, veracitatis, castitatis, &c. iuxta illud Matthæi 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur, propter iustitiam*, &c. PER TOLERANTIAM MORTIS, quà completur perfectum martyrium.

1065. Præter martyrium in voto, efficacique desiderio; potest statui quadruplex martyrium. Primum est omnino completum, quo mors reipsâ sustinetur, in testimonium Dei, doctrinæque ipsius. Secundum est completum ex parte causæ proximæ, & intrinsecùs penetrantis. v. g. vulnerum lethalium, veneni, &c. etiamsi contingat mortem diuinitus impediri. Tertium est completum ex parte causæ, extrinsecùs applicatæ v. g. ignis, olei feruentis, &c. diuinitùs impeditæ. Quartum est inchoatum tantum, per tolerantiam tormentorum, non lethalium. Quisquis autem coràm persecutore fidem confessus fuerat, sine passione tormentorum, non martyr, sed confessor vocabatur.

1066. Ad martyrium paruulorum, & adultorum à natiuitate amentium, non est aliud requisitum: quàm vt illis mors inferatur, in odium christianæ religionis. Ad martyrium vtentium ratione, quatuor sunt requisita: primò, mortis irrogatio, odio Christi, fidei, alteriusue virtutis perfectæ. Secundò, acceptatio mortis, ob piam causam. Tertio, non resistentia. Quartò, fides, charitas, & status gratiæ. Itaque primò, vel indirectè, adigendo martyrem ad sui præcipitationem, submersionem, &c. Debet inquam fieri in odium Christi, fidei, alteriusue perfectæ virtutis: vti patet ex 1. Petri 4. Matthæi 5. & Marci 8. Debet secundò esse mortis acceptatio: quia adultus, vti non potest sine proprio consensu peccare; ita nec iustificari sine eo, saltem virtuali. Acceptatio inquam, ob piam causam: aliàs non foret opus virtutis, si fieret ad vanam gloriam, similemue finem prauum, tanquam integrum motiuum. Debet tertiò esse non resistentia ad tuendam propriam vitam: quia martyrij passio debet esse voluntaria; & mortis Christi, tanquam ouis, ad occisionem ducti, assimilatiua, Secus foret, si resi

ſtentia fieret ad tuendam rempublicam Chriſtianam, contra infideles, &c. Debet quartò adeſſe fides, charitas, & ſtatus gratiæ: ſaltem ante conſummatum morte martyrium. Quia *ſine fide, impoßibile eſt placere Deo*; vt ait Heb. 11. Apoſtolus; adiungens 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt.*

1067. *Patientia eſt virtus, firmans animum, in tolerantiâ afflictionum.* FIRMANS, ita vt propter mala, & afflictiones, non deſerat bonum virtutis, nec committat peccatum. Patientia eſt fortitudo, inadæquatè concepta: nam adæquatè concepta moderatur animum non tantùm in perpeſſione malorum; ſed etiam in repulſione illorum.

1068. *Longanimitas eſt æquanimis tolerantia afflictionis, orta ex boni ſperati dilectione.*

Patientiæ per exceſſum afflictionis opponitur impatientia; per defectum, inſenſibilitas.

1069. *Impatientia eſt vitium, excedens modum in dolore malorum*; illiuſque impulſu, à recto diſcedens.

1070. *Inſenſibilitas eſt vitium, quo quis afflictionibus non tangitur*, velut ſtolidus, aut inhumanus.

De magnanimitate, magnificentia, conſtantia, &c.

1071. M*Agnimitas eſt virtus, inclinans ad actus heroïcos, in omni genere virtutum.* Quæuis virtus perfecta, gradùsque intenſi, inclinat ad ſuæ ſpeciei actus excellentes; quia in ijs excellenter elucet honeſtas ſpecialis cuiuſque virtutis. Magnanimitas autem inclinat ad omnium omninò virtutum actus excellentes, quia ardui ſunt, & animo generoſo congruentes.

Ad magnanimitatem pertinet fidentia, & ſecuritas. Iſta autem

1072. *Fidencia eſt expedita promptitudo animi*, orta ex perſuaſione ſuperandarum difficultatum, adipiſcendique boni ardui.

1073. *Securitas est animi tranquillitas, reddens illum curis superfluis solutum*, & in Dei auxilio quiescentem. Magnanimitati per defectum opponitur pusillanimitas, per excessum præsumptio, ambitio, & inanis gloria.

1074. *Pusillanimitas est vitiosa propriarum virium diffidentia, refugiens opera, eisdem commensa.* PROPRIARVM VIRIVM, Dei dono acceptarum. REFVGIENS tanquam nimis ardua, & superantia propriam facultatem: cùm reuerà talia non sint.

1075. *Præsumptio est propriarum virium nimia æstimatio, in aggrediendis iis, quæ superant eas.*

1076. *Ambitio est inordinatus appetitus honoris.*

1077. *Inanis gloria est inordinatus appetitus famæ, laudis, & gloriæ.*

1078. *Magnificentia est virtus, inclinans ad efficiendas res magnas*; & sumptuosas; iuxta præscriptum rectæ rationis.

1079. *Perseuerantia est virtus, firmans animum, efficiensque boni operis laboriosi ac diuturni continuationem.* FIRMANS ANIMVM, vincendo molestiam, & tædium obrepens ex opere laborioso ac diuturno. CONTINVATIONEM vsque ad finem, à recta ratione præstitutum: ideo, quia eiusmodi continuatio est per se honesta.

1080. Perseuerantiæ affinis *Constantia est virtus dans animo immutabilitatem in bono*, vt in eo sibi constet, inuariabilisque perseueret, contra omnes difficultates.

Constantiæ per excessum opponitur pertinacia; per defectum, inconstantia, & mollities.

1081. *Pertinacia est vitium dans animo inordinatam firmitatem*, & persistentiam; vbi non oportet, aut plus quàm oportet.

1082. *Inconstantia est vitium, afficiens animum, in suo propposito, mutabilem*, absque ratione.

1083. *Mollities est vitium, efficiens animum, temerè resilientem à bono, tædio difficultatis, aut diuturnitatis.*

De temperantia.

1084. *Temperantia est virtus, moderans affectum vsumque voluptarum gustûs, & tactûs* VIRTVS cardinalis. MODERANS iuxta præscriptum rationis voluptates gustûs: & esculentorum poculentorumque affectum, & vsum; quatenùs conducit bonæ valetudini corporis, & idoneæ dispositioni mentis, ad suas functiones. Moderans etiam voluptates tactûs, in vsu venereorum, ad matrimonialem prolis generationem, vel debiti redditionem.

Temperantiæ partes integrales sunt honestas, & verecundia.

1085. Quæ * *Honestas est prosecutio decori, elucentis in acti-*

1086. *bus temperantia.* Et hoc * *Decorum est conformitas actuum temperantia, ad rectam rationem.*

1087. *Verecundia est fuga turpitudinis, ex intemperantiâ prouenientis.*

Temperantiæ per defectum opponitur stupor; per excessum

1088. intemperantia. Ille * *Stupor est inordinata auersio delectationum gustûs, & tactûs*: nolendo ijs vti, quando, & quantum oportet.

1089. *Intemperantia est inordinatus affectus, vsusue delectationum gustûs, & tactûs.*

Temperantiæ species sunt abstinentia, sobrietas; castitas, pudicitia.

1090. *Abstinentia est virtus, moderans affectum, vsumque delectationis esculentorum.*

1091. *Sobrietas est virtus, moderans affectu vsumque potûs inebriatiui.* Quatenùs est peccatum,

1092. *Ebrietas est vitium, causans inordinatam potationem, & ex eâ, vsûs rationis priuationem.* Quatenùs est peccati effectus,

1093. *Ebrietas est voluntaria, & violenta vsûs rationis priuatio, per nimium potum, causâ voluptatis assumptum.* VOLVNTARIA, vt excludatur inuoluntaria, per

ignorantiam inaduertentiamque inculpabilem, & per coactionem. VIOLENTA, vt excludatur naturalis priuatio vsûs rationis, per somnum. PER NIMIVM POTVM, vt excludatur ea, quæ fit per odorem lupuli, suffitum petuni, siue tabaci, &c CAVSA VOLVPTATIS: quia si fiat causâ medicinæ, saluandæ vitæ, &c, non erit ebrietas, ad præsentem sensum.

1094. Mala in ebrietate commissa imputantur ad peccatum, si antea fuerint volita in se; vel voluntaria, in ebrietate. In se, inquam; volita, per ebrietati præuiam intentionem expressam: vel indirectè voluntaria, in ebrietate, tanquam causâ, ex quâ nata sunt sequi, aut secutura præuidentur, vel debent præuideri; & omittitur sufficiens cautio ne sequantur.

De ieiunio.

1095. IN genere, *Ieiunium est victûs parsimonia maior, quam communis temperantia regula postulet.* PARSIMONIA MAIOR, consistens in abstinentiâ diuturniore, & duriore victûs ratione.
Ieiunium est multiplex: naturale, medicinale, ecclesiasticum, &c.

1096. *Ieiunium naturale est omnimoda abstinentia cibi, & potûs*, exterius sumpti, & per fauces traiecti in stomachum: idque à mediâ nocte præcedente. Eiusmodi ieiunium regulariter est requisitum, ad sacræ Eucharistiæ sumptionem.

1097. *Ieiunium medicinale est cibi potûsque abstinentia, sanitatis gratiâ.*

1098. *Ieiunium philosophicum est cibi potûsque abstinentia, ad habendas animi functiones expeditas.*

1099. *Ieiunium morale est cibi potûsque abstinentia, ad obtinendum finem, moraliter bonum.* v. g. ad sedandos concupiscentiæ motus, &c.

1100. *Ieiunium spirituale est abstinentia à peccatis.* Iuxta illud Augustini, tractatu 17. in Ioannem. *Ieiunium magnum, & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus suis.*

1101. *Ieiunium pœnitentiale est abstinentia cibi potusque delectabilis, ad iram Dei placandum,* remissionemque peccatorum impetrandam. Iuxta illud Danielis 10. *Panem desiderabilem non comedi; & caro, & vinum non introierunt in os meum.*

1102. *Ieiunium ecclesiasticum est voluntaria victus abstinentia, secundum Ecclesiæ præscriptum:* quod tria requirit: primò abstinentiam ciborum, certi generis; carnis inquam, & pinguedinis; & in quadragesimâ, ouorum, lactis, & lacticiniorum butyri & casei; quæ sementiuam trahunt originem carnis: quæ tamen lacticinia permissa sunt iam multis locis. Secundò, abstinentiam plurium vnâ refectionum in die, siue spacio viginti quatuor horarum, à mediâ noctè præcedente, ad sequentem: ita vt moraliter peccetur in secundâ plena refectione; quinet probabiliter in sequentibus. Tertiò, certam refectionis horam: quæ olim fuit occasus solis; postea tertia vel quarta hora pomeridiana; iam est ipse meridies. Cuius anticipatio notabilis, absque iustâ causâ, probabiliter est peccatum mortale.

1103. Ieiunij excusatio legitima est triplex: impotentia, labor, & pietas: quæ potest reuocari ad vnicam, scilicet ad impotentiam; eamque absolutam, vel moralem. Quando euidenter cessat obligatio ieiunij, quoad vnicam refectionem, cibosue vetitos; tunc non est opus dispensatione: in dubio, est opus eâ, impetratâ à superiore: qui respectu religiosorum, est prælatus regularis: respectu sæcularium, est Ordinarius; eoque absente, parochus. Quibus autem permissus est vsus vetitorum, ad corroborandam naturam debilitatam; ijsdem est permissa secunda refectio: non tamen habentibus meram antipathiam ciborum quadragesimalium.

1104 Peregrinus tenetur ieiunijs particularibus locorum, in quibus versatur; & absoluitur à ieiunijs loci domicilij sui. Nisi sint ieiunia, toti populo Christiano communia: quale est ieiunium quadragesimale, quod in loco habitationis absolutum, non debet prorogari in loco peregrinationis, si ibidem adhuc duret,

In quo quantumuis absolutum, prorogari debebit, si adhuc duret in loco habitationis. In ieiunium sensim per abusum irrepsit collatio: vnde est consultissimum, eâ penitus abstinere. Hæc.

1105. *Collatio est vespertina modici cibi sumptio*, ne potus noceat; & secundum laxiores, vt corpus modicè reficiatur.

1106. *Gula est inordinatus appetitus, vsusue cibi & potûs.* INORDINATVS quinque modis, hoc versiculo comprehensis:

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè,

1107. Gula est peccatum capitale, quia ex eo tanquam capite multa alia peccata oriuntur: tamen ex genere suo est tantùm peccatum veniale: quia illius malitia, ex obiecto sumpta, non notabiliter repugnat charitati Dei, vel proximi.

De castitate.

1108. C*Astitas est virtus, moderans affectum, vsumque venereorum.* MODERANS iuxta præscriptum rectæ rationis. Castitas est duplex, perfecta, & imperfecta.

1109. *Castitas perfecta est virtus, excludens omnem affectum vsumque venereorum*, etiam aliàs licitorum: quia habet annexum propositum abstinendi perpetuò ab omnibus voluptatibus carnalibus, illicitis aliàsque licitis.

Si castitas habeat adiunctam carnis integritatem, libidinosæ contagionis expertem. vocatur, estque virginitas: quæ duplex est, scilicet virginitas status, & virginitas virtus. Accepta pro statu

1110. *Virginitas est naturalis integritas carnis, expers libidinis*, Accepta pro virtute,

1111. *Virginitas est perfecta castitas, carnisque integritas.* Siue, *est virtus, refrenans omnem affectum, vsumque venereorum; conseruans voluntariam carnis integritatem.* VOLVNTARIAM, quia si inuoluntariè & violentè corrumperetur integritas carnis, non amitteret

tur virginitatis virtus. Ceterùm quamdiu manet integritas carnis, tamdiu manet virginitatis status, non tamen semper virtus.

1112. *Castitas imperfecta est virtus, aliquatenùs moderans carnales voluptates.* ALIQVATENVS, non omninò perfectè: quia includit propositum, ad tempus duntaxat abstinendi ab omnibus voluptatibus carnalibus; vel perpetuò ab illicitis, moderatè autem vtendi licitis.

1113. *Pudicitia est virtus, pudori humano conformans vsum venereorum*, & omnia ordinata ad venerem. v. g. gestus, aspectus, tactus, oscula, amplexus, pudenda, &c. PVDORI,

1114. & verecundiæ. Hic autem * *Pudor est infamiæ, instaque vituperationis metus, reprimens à turpitudine actionis.*

De luxuria, & illius speciebus.

1115. L*Vxuria est libidinosæ voluptatis inordinatus affectus, & vsus.* Est peccatum capitale, quia ex eo tanquam capite, multa alia peccata promanant: estque mortale ex genere suo, ideoque ab Apostolo Galat. 5. numeratur inter *opera carnis, quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur.*

Luxuriæ species sunt fornicatio, adulterium, &c.

1116. *Fornicatio est carnalis copula soluti cum solutâ corruptâ.* SOLVTI CVM SOLVTA à vinculo matrimonij, voti, ordinis sacri, cognationis, & affinitatis. Aliàs si cocũbentium vterque aut alteruter foret innexus vinculo matrimonij, esset adulterium: si voti, ordinisue sacri, esset sacrilegium: si cognationis, aut affinitatis, esset incestus. CORRVPTA, non virgine: aliàs foret stuprum

1117. Fornicatio est peccatum mortale, contra ius diuinum positiuum; vti patet ex 1. Cor. 6. Galat. 5. & Ephes. 5. Est insuper contra ius diuinum naturale: quod pro fine concubitûs carnalis instituit procreationem prolis, illiusque rectam educationem, assequendam per maris & feminæ vinculum indissolubile matrimonij.

1118. *Adulterium est copula carnalis, violans fidem coniugalem.* Siue, *est illicitus concubitus coniugatorum*, vtriusque; vel alterutrius. Vnde est triplex adulterium: primò ex parte maris coniugati: secundò ex parte feminæ coniugatæ: tertiò ex parte vtriusque coniugagati. Primum est graue, quia est peccatum contra castitatem, & contra iustitiam, vetitum Exodi 20. & alibi. Secundum est grauius, quia continet totam malitiam primi, eique superaddit aliam, impediendo prolis generationem, illiusue certitudinem; substituendo marito adulterinam prolem, dandoque legitimis illegitimum cohæredem. Et licet actu hæc non sequantur, tamen nata sunt sequi; eorumque periculo adultera sese exponit: quinet adulter, cooperans hisce omnibus, & conijciens adulteram in moralem necessitatem horum omnium; imò subinde ad ea expressè inducens. Tertium est grauissimum, quia committitur duplex peccatum, & duplex iniuria in duos coniuges; estque duplex ille numerus necessariò in confessione aperiendus: duplex inquam numerus malitiarum mortalium, in vnico physico adulterio concurrentium: quo duo thori violantur: vti & duplex numerus iniuriarum, in vnico physico homicidio, quo mater prægnans, & fœtus occiditur, &c.

1119. *Incestus est copula carnalis consanguineorum, vel affinium, intra gradus prohibitos.* COPVLA destituta legitimâ dispensatione. PROHIBITOS: quales sunt gradus consanguinitatis, vsque ad quartum inclusiuè: item gradus affinitatis, ex matrimonio contractæ, vsque ad quartum etiam; ex copulâ autem illicitâ, vsque ad secundum inclusiuè.

1120. Incestus est grauior cum cõsanguineâ, quàm cum affine, in eodem gradu: imò verius est, quòd illi duo incestus differant specie; quia consanguinitas & affinitas differunt specie, sicut vnio immediata, & mediata; naturalis, & voluntaria. Insuper probabile est, omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis differre specie; & efficere incestus, specie distinctos. Saltem probabile est, quòd specie differat incestus con-

ſanguineorum, & affini um lineæ rectæ, ab inceſtu lineæ collateralis. Item inceſtus conſanguineorum primi gradûs lineæ collateralis, ab inceſtu reliquorum graduum Item inceſtus affinium primi gradûs lineę rectæ, ab inceſtu reliquorum graduum; præſertim lineæ collateralis.

1121. Ad inceſtum reducitur violatio cognationis legalis: violatio autem cognationis ſpiritualis, ortæ ex Baptiſmo, & Confirmatione, ad ſacrilegium; ad quod etiam reducitur congreſſus confeſſarij, cum pœnitente filiâ ſpirituali: vti conſtat ex causâ 30.q.1. cap. *Omnes*, & ſequenti. In hac luxuriæ materiâ

1122. *Sacrilegium eſt perſona, rei, locive ſacrorum violatio, per actum venereum.* PERSONÆ ſacræ, ſcilicet Ordine ſacro initiatæ, vel voto caſtitatis obligatæ, REI ſacræ, à perſonâ locoque ſacris diſtinctæ. v. g. ſacramenti, imaginis, calicis, &c. LOCIVE ſacri, templi, altaris, ſacelli, cœmeterij. Cuiuſmodi ter execrandum ſacrilegium, in excidio Thenenſi accidit militis illius, qui conſtuprans ſanctimonialem, Chriſto deſponſatam, in ipſo altari Eccleſiæ; aiebat ore blaſphemo, [redacted]

1123 Ad ſacrilegium, latè ſumptum reuocatur omnis libido Chriſtiani, tanquam perſonæ ſacratæ per Baptiſmum, Confirmationem, ſacerrimamque Euchariſtiam; quibus corpus cuiuſque fidelis, factum eſt membrum Chriſti, & templum Spiritûs-Sancti.

1124. Propriè dictum *Stuprum eſt illicita defloratio virginis.* Præcipuè inuitæ. Siue, *eſt clauſtri virginalis corruptio, per copulam carnalem illicitam*, id eſt, habitam extra legitimum matrimonium. Quidam probabiliter tenent, ſtuprum non eſſe luxuriæ peccatum, ſpecie diſtinctum à fornicatione ſimplici; niſi ſit virginis inuitæ iniurioſa defloratio Propriè, inquiebam, dictum ſtuprum; quia latè, & impropriè acceptum ſtuprum, ſignificat omnem copulam carnalem, lege ciuili prohibitam, id eſt, condiſtinctam contra ſimplicem fornicationem, & concubinatum.

1125. *Raptus eſt violenta abductio perſonæ, causâ ex-*

plenda libidinis. ABDVCTIO renitentis, de vno loco, ad alium. PERSONÆ, feminæ, vel maris. EXPLENDÆ, ita vt libido actu expleatur.

Ad completum raptum, tria requiruntur: primò, vis illata renitenti personæ, mari vel feminæ abductæ: aut saltem iniuria illata scientibus & reclamantibus iis, quorum potestati subest. v. g. parenti, tutori, sponso, marito. Secundò, abductio de vno loco, ad alium dissitum. Nihilominùs si persona non abducatur, sed in eodem loco inuita violetur; secundùm leges censebitur raptus, & punietur pœnis raptorum, vti constat ex cap. 3. de raptoribus 36. q. 1. Tertiò, actualis expletio libidinis: quia hic raptus est species luxuriæ. Paulò aliter sentiendum est de raptu, impedimento matrimonij: vti dicimus in p. 3. n. 593.

1126. *Vitium contra naturam est libidinosa voluptatis actus, contra naturam eiusdem* actûs venerei: qui ex naturâ suâ postulat esse talis, vt ex ipso possit sequi conceptio fœtûs, eiusdem speciei. Ad quod quinque sunt requisita: primò copula carnalis duorum suppositorum: secundò, eadem in vtroque natura: tertiò, diuersus sexus: quartò, organa congrua: quintò, applicationis organorum debitus modus. Vnde potest, esse quintuplex peccatum contra naturam: primò voluptas carnalis, extra copulam carnalem, per vnius personæ mollitiem & pollutionem. Secũdò, voluptas carnalis, cum supposito diuersæ naturæ. v. g. dæmone, vel bruto. Tertiò, voluptas carnalis duorum suppositorum, eiusdem naturæ, & sexûs. Quartò voluptas carnalis duorum suppositorum, eiusdem naturæ, diuersi sexûs, cum organis indebitis. Quintò voluptas carnalis duorum suppositorum, eiusdem naturæ, diuersi sexûs, cum debitis organis, indebito modo applicatis. Inter quæ peccata, est hic ordo grauitatis: primò, copula carnalis cum dæmone: secundò, cum bruto: tertiò, cum eodem sexu: quartò, cum diuerso sexu, in vase indebito, vel cum organo indebito: quinto, copula cum sexu debito, modo indebito: sextò, pollutio, siue mollities.

1127. *Sodomia diabolica est hominis copula carnalis, cum dæmone* HOMINIS, maris, vel feminæ. DÆMONE, in ſpecie humanâ, vel brutali apparente: eoque incubo, vel ſuccubo. Beſtialitas, ſiue

1128. *Sodomia beſtialis eſt hominis copula carnalis, cum beſtiâ*. De eâ deteſtandâ, flammiſque vorandâ, fit mentio Leuitici 18. & 20.

1129. *Sodomia eiuſdem ſexûs, eſt congreſſus carnalis perſonarum eiuſdem naturæ, & ſexûs.* v. g. maris, cum mare; feminæ, cum feminâ. De eâ agit Apoſtolus Rom. 1. & Galat. 5.

1130. *Sodomia diuerſi ſexûs, eſt congreſſus maris & feminæ, cum organis indebitis.* Scilicet in vaſe indebito, inſtrumentoue indebito.

1131. *Concubitus inordinatus eſt ille, qui in omnibus eſt naturalis, excepto modo.* Id eſt, qui fit inter perſonas eiuſdem ſpeciei, diuerſi ſexûs; ſed modo inepto ad generationem: quia ſperma virile non poteſt eo modo recipi, vel ad matricem attrahi. v. g. ſitu feminæ auerſo, vel viri ſuccubo, &c. Mollicies, ſiue

1132. *Pollutio eſt voluntaria ſeminis reſolutio, facta extra copulam carnalem.* VOLVNTARIA in ſe, vel in causâ. SEMINIS virilis, aut feminei. RESOLVTIO, ac deciſio; etiamſi abeſſet effluxio extra membrum genitale femineum. FACTA voluptatis causâ; vel ſolius ſanitatis, tentationiſue mitigandæ.

1133. *Impudicitia eſt vitium, pudori humano repugnans, in vſu venereorum, & ad ea ordinatorum.* v. g. in copulâ carnali, & in aſpectibus, tactibus, oſculis, amplexibus, aliiſque ad eam ordinatis. Hoc ſenſu interpretes accipiunt, *Impudicitiam*, ab Apoſtolo Galat. 5. inter opera carnis recenſitam.

De manſuetudine, clementia, modeſtia, vitiiſque oppoſitis.

1134. MAnſuetudo eſt virtus, moderans iram, appetitumque vindictæ, iuxta præſcriptum rectæ rationis.* MODERANS IRAM, cohibendo

illam, quando non est irascendum: & quando est irascendum, imponendo iræ modum; vt illa non moueatur, nisi quando, cui, quantum, & quomodo oportet.

Mansuetudini per defectum opponitur lentitudo, per excessum iracundia.

1135. *Lentitudo est iræ vacuitas inordinata.* Siue, *est natura stupor, tollens iram omnem,* & ordinatum vindictæ appetitum: quando scilicet secundùm præscriptum rectæ rationis, sumenda est ira, & vindicta. Eiusmodi lentitudo est peccaminosa, quando ex eâ omittit quis officium suum. v. g. monere, corripere, & punire delinquentes.

1136. *Vindicta est repensio pœnæ, pro culpâ.* Vide n. 1029. 1030. & 1031.

1137. *Iracundia est inordinatus vindictæ appetitus.*

1138. *Clementia est virtus, moderans vindictam,* minuensque pœnæ inflictionem, quantum recta ratio patitur.

Clementiæ per defectum opponitur lenitas nimia; per excessum, crudelitas.

1139. *Lenitas nimia est inordinatus vindictæ defectus.* Siue, *est indebita pœnæ remissio, ex nimiâ mali alieni compassione.*

1140. *Crudelitas est inordinatus vindictæ excessus.* Siue, *est animi atrocitas, in inflictione pœnæ; supra meritum culpæ.*

1141. *Modestia est virtus, internos externosque animi motus moderans, intra modum debitum:* intra limites status, ingenij, & fortunæ vniuscuiusque.

1142. *Lascivia est corporis motus indecens, ex animi dissolutione procedens.*

Modestiæ species est humilitas.

De humilitate, & superbia, &c.

1143. H*umilitas est virtus, inclinans creaturam intellectualem, ad sui vilitatem profitendam,* interius, exteriusque; dictis, & factis. Siue, *est virtus, quâ*

quis vilissimâ sui cognitione, sibiipsi vilescit, Vnde est duplex humi-

1144. litas; iudicij, & affectûs. * Iudicij humilitas est ea, qua quis seipsum intuens ad lumen veritatis, agnoscit suam vilitatem, & se coram Deo demittit; non tamen vult ab aliis vilis haberi, aut contemni; sed potiùs magni æsti-

1145. mari, & honorari. * Affectûs humilitas est ea, quâ quis cupit ab aliis vilis haberi, qualem se coràm Deo iudicat. Humilitati per defectum opponitur nimia sui abiectio, per excessum, superbia.

1146. *Abiectio sui est inordinata propriæ excellentiæ demissio:* redundans in iniuriam proprij statûs, malamue proximi ædificationem. Eiusmodi foret sacerdotum Episcoporumque abiectio, ad ministeria magnatum, obsequia heroïdum, similiaue indecentia officia sese demittentium.

1147. *Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.*

1148. *Maledictio est mali imprecatio.*

1149. *Improperium est indigentiæ obiectio*, vel exprobratio beneficij, in necessitate collati.

1150. *Conuitium est obiectio mali pœnæ, coràm facta*, per violationem honoris alieni. MALI POENÆ, tam animi, quàm corporis. v. g. obiectio stupiditatis, ignorantiæ; balbutiei, defectûs natalium, &c. Distinguitùr à contumeliâ quæ fit per impositionem mali culpæ.

1151. *Rancor est amaritudo animi irati.*

1152. *Acedia est torpor animi, bona laboriosa fugientis inchoare, & inchoata perficere.* Est peccatum capitale, quia ex eo, tanquam capite, multa peccata oriuntùr: tamen est veniale ex genere suo, quia non tam repugnat charitati, quàm eiusdem feruori.

De studiositate, & vitijs oppositis.

1153. *STudiositas est virtus moderans affectum, studiumque sciendi.* Hoc

1154. *Studium est vehemens applicatio animi ad ali-*

quid cognoscendum. Id est, intensus conatus potentiarum cognitiuarum ad operationes suas: intellectûs, ad considerandum; phantasiæ, ad imaginandum; memoriæ, ad reminiscendum; visûs, ad legendum; auditûs, ad audiendum. Hoc studium coincidit cum diligentiâ, strictè sumpta. Aliàs latè & ge-

1155. neraliter sumpta * *Diligentia est attenta intensio actûs humani.* Siue, *est circumspecta & intensa applicatio potentiarum animæ, ad operationes suas.* CIRCVNSPECTA, attenta ad operationem humanam, illiusque circumstantias. ET INTENSA, per vehementiam conatûs. POTENTIARVM cognitiuarum, & appetitiuarum. AD OPERATIONES SVAS, speculatiuas, & practicas.

1156. Studiositatis officium est, primò incitare voluntatem, & potentias cognitiuas, ad parandam scientiam eorum, quæ scitu sunt necessaria, vel vtilia. Secundò moderari affectum scientiæ, vt quis non velit altiora, aliaue scire, quàm deceat; nec per media indebita, aut propter finem inordinatum: vt scientiam suis momentis æstimet, non præponendo illam virtuti, nec mandatorum diuinorum obseruationi. Tertiò, moderari ipsum studium, conatumque potentiarum cognitiuarum, in acquisitione vsuque scientiæ.

Studiositati per defectum opponitur negligentia; per excessum curiositas: vtraque strictè accepta

1157. *Negligentia est tædium laboris subeundi in discendo eo, quod quis scire tenetur.*

1158. *Curiositas est inordinatus affectus studiumque sciendi,* tantùm ad sciendum; vel ad impertinentia sciendum, Aliàs.

1159. generaliter accepta * *Negligentia est omissio attentionis, & intensionis debita in actibus humanis.* ATTENTIONIS, & circumspectionis requisitæ ad actum humanum, circumstantiasque illius. INTENSIONIS, conatûs vehementis.

Itidem generaliter accepta.

1160. *Curiositas est superflua cura, & diligentia in rebus non necessarijs, nec vtilibus.*



BREVIARII THEOLOGICI

PARS TERTIA.

1. TErtiæ partis obiectum est Deus, vt incarnatus, passus, mortuus, rediuiuus; Saluatór, Sacramentorum institutor, iudex mundi, præmiator, & vindex.

De Incarnatione Verbi.

2. MYsterium, quo Filius Dei est factus filius hominis, à Patribus appellatur diuersis nominibus: scilicet *inhumanatio*, *corporatio*, *assumptio humanitatis ad personam Verbi*, *deificatio humanæ naturæ*, *vnio hypostatica*, *incarnatio*. Quæ vnio hypostatica, &

3. Incarnatio potest accipi tribus modis: primò, in fieri, pro transeunte actione vnitiuâ: secundò, in facto esse, pro termino vnionis, modoque permanente: tertiò, relatiuè, pro relatione resultante inter diuinam humanamque naturas vnitas

4. Primo modo, *Incarnatio est actio, quâ Verbum caro factum est.* Siue, *est actio, quâ Filius Dei sibi iunxit naturam humanam, in vnitatem suppositi sui.* NATVRAM HVMANAM totam, præcisam à personalitate suâ. Itaque animam rationalem, cum intellectu, voluntate, cæterisque potentiis: corpus huma-

num, scilicet carnem, ossa, neruos; quatuor humores, sanguinem, pituitam, choleram, & melancholiam: spiritus vitales, & animales: dentes, vngues, pilos, cæterasque partes animatas, & inanimatas, pertinentes ad complementum corporis humani. Idque vno & eodem instanti, iuxta Synodum sextam, actione 11. dicentem: *Simul caro, simul Dei Verbi caro, animata, rationalis.* Vnde hìc synecdochicè

5. *Caro est corpus humanum animatum animâ rationali.* Siue, *est humana natura, non suppositata propriâ personalitate.* Cuius humanæ naturæ pars deterior hic tantùm nominatur, ad testandam profundissimam diuinæ maiestatis humiliationem.

6. Secundo modo, *Incarnatio est modus substantialis, quo humanitas Christi manet actu vnita personæ Verbi.*

7. Tertiò modo, *Incarnatio est habitudo diuinæ humanæque naturæ, orta ex ipsarum hypostaticâ vnione.* Nam ex hac intimâ vnione, tanquam fundamento resultat mutua relatio, quâ persona Verbi, & humanitas Christi, tanquam duo extrema referuntur ad se inuicem: ita vt humanitas habeat dependentiam à Verbo, cuius personalitate subsistit.

8. *Vnio est rerum diuersarum coniunctio, ex quibus resultat quid vnum.* DIVERSARVM: ideoque inter personas, & essentiam diuinam, non est vnio, sed vnitas. Eædem tamen personæ distinctæ inter se, vniuntur in vnâ indiuiduâ naturâ diuinâ: vti è diuerso tres naturæ, diuina, anima rationalis, & corpus humanum, vniuntur in vnâ personâ Christi Domini.

Quemadmodum incarnatio accipitur tribus modis præfatis, ita & vnio hypostatica. Itaque primo modo,

9. *Vnio hypostatica actiua, est actio, quâ Verbum, vt principium vniens, sibi coniungit humanitatem Christi, in vnitatem suæ personæ:* suppositando illam propriâ suâ hypostasi.

10. *Vnio hypostatica passiua, est passio, quâ humanitas Christi iungitur Verbo; ita vt illius hypostasi subsistat.*

11. Secundo modo, *Vnio hypostatica est modus substantialis, quo immediatè Verbi personalitas, & Christi*

humanitas; mediatè diuina humanaque natura manent actu iuncta, in vnitatem personæ Verbi.

12. Tertio modo, *Vnio hypostatica est habitudo diuinæ humanaque naturæ, orta ex ipsarum personali coniunctione.*

13. Vnionis hypostaticæ, & incarnationis causa efficiens est tota Trinitas: quia est opus ad extrà, quod est semper indiuisum; vtpote procedens à tribus personis, quatenùs sunt vnum in essentiâ, voluntate, & potentiâ. Ideoque tribuitur Patri, Galat. 4 *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Filio, Philip. 2 *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Spiritui Sancto, Matth. 1. *Quod in eâ natum est, de Spiritu Sancto est.*

14. Vnio hypostatica est vnio substantialis, quia est Verbi & humanitatis coniunctio ex quâ resultat vna substantia Christus. Vna inquam, substantia composita: nam secundùm Concilia & Patres, vnio hypostatica est vera compositio; Christique persona est composita. Nam præcisè loquendo,

15. *Compositio est vnio plurium rerum, ex quibus vnum resultat.* Huic formali conceptui compositionis alia superaddita, inuoluentia imperfectionem, non sunt de essentiâ compositionis, vt sic: præcipuè quando alterum componentium est infinitæ perfectionis, vti hic. Itaque non est de essentiâ compositionis, vt extrema componentia habeant rationem partium, respectu compositi: nec vt realiter ab eo distinguantur: nec vt sint minùs perfecta, quàm compositum: nec vt se mutuo perficiant: nec vt naturâ suâ ordinentur ad totum componendum.

16. *Vnio substantialis est coniunctio plurium rerum substantialium, quâ constituitur vnum per se, in genere substantiæ.*

Vnio hypostatica est etiam vnio subsistentialis, quia est coniunctio diuinæ humanæque naturarum, ex quâ resultat vna persona Verbi. Nam

17. *Vnio subsistentialis est coniunctio plurium naturarum, ex quibus resultat vna subsistentia*, vnum suppositum

tum vnicaque persona. Eadem autem incarnatio non est vnio essentialis; neque vnio Verbi facta est in natura; quasi in Christo sit vnica natura: sed facta est in personâ: id est, in Christo sic sunt vnitæ diuina humanaque natura, vt sit tantùm vna persona, ex duabus, & in duabus naturis subsistens. Vna inquam persona, eaque diuina: quia est tantùm vna personalitas Verbi.

18. *Vnio essentialis est coniunctio plurium, ex quibus resultat vna essentia*, vnicaque natura.

19. *Assumptio humanitatis, est actio, quâ Verbum, tanquam principium efficiens, humanam naturam sumit ad se, tanquam terminum.* Hæc assumptio, respectu humanitatis assumptæ, est passio; respectu Verbi assumentis, est actio: ita significans principium efficiens assumptionis, vt consignificet principium terminans eandem. Nam *assumere est ad se sumere.* Terminans, inquam, quod est solum Verbum, per suam personalitatem.

20. Incarnatio fuit conueniens Verbo, & naturæ diuinæ, quia bonum est sui diffusiuum, & communicatiuum; & conuenit summo bono, vt se summè, & infinitè communicet: quod ad intra fit per generationem, & actiuam spirationem; ad extra autem per incarnationem. Fuit etiam conueniens naturæ humanæ incarnatio, quia per eam assecuta est summam perfectionem, & infinitam dignitatem. Fuit insuper conueniens vniuerso, cui per eam obtigit, vt omnes rerum ordines in se comprehenderet; naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ.

21. Eadem incarnatio non fuit absolutè necessaria ad redemptionem generis humani, sed ex hypothesi: supposito scilicet decreto diuino, de eodem genere humano per hominem redimendo, ex perfectâ iustitiâ, per rigorosam satisfactionem: quæ debebat esse infinita, vt foret commensa infinitæ offensæ; & consequenter præstari à personâ infinitâ, Deo-homine,

22. Probabilius est secluso Adami peccato, futuram incarnationem, quoad substantiam suam; sed

non quoad circumſtantias carnis paſſibilis, & mortalis: nam infiniti boni infinita communicatio hoc exigebat.

23. *Natura eſt id, quo res intrinſecè conſtituitur.* Scilicet materia & forma, in re materiali, & phyſicè compoſitâ: genus & differentia, in re immateriali, logicè compoſitâ: prædicatum commune, & proprium, in re ſimplici, Siue, *Natura eſt rei eſſentia*: Et

24. *Eſſentia eſt id, quod in re primò intelligitur, per ipſius eſſe*, ſiue actum eſſendi, & exiſtendi.

25. *Entitas eſt id, quod definitione explicatur,*

26. *Quidditas eſt id, quod quæſtioni quid eſt res: aptè reſpondetur.*

27. *Eſſe eſt rei exiſtentia actualis*, per ſe, vel in ſubiecto inhæſionis.

28. *Exiſtentia eſt complementum eſſentiæ, dans ei realitatem actualem.* Siue, *eſt poſitio entis extra nihil*: quâ ſcilicet ens ponitur in rerum naturâ; & ex ente potentiali, fit ens reale actuale.

29. *Subſiſtentia eſt entis exiſtentia per ſe*, non in ſubiecto inhæſionis.

30. *Suppoſitalitas eſt entis exiſtentia per ſe completè.* Eſt ſynonima hypoſtaſi: quæ

31. *Hypoſtaſis eſt vltimum complementum ſubſtantiæ, in ratione exiſtendi per ſe completè.* PER SE, abſque ſui ſubiecto. COMPLETE, ita vt ſubſtantia non ſit pars neque compars, ordinata ad alterius ſubſtantiæ conſtitutionem: neque exiſtat in alieno ſuppoſito. Subinde hypoſtaſis accipitur pro ſuppoſito: quod

32. *Suppoſitum eſt ſubſtantia completa incommunicabilis*, intellectualis, vel non intellectualis. Vnde latiùs patet, quàm perſona. Nam

33. *Perſona eſt ſupoſitum intellectuale.* Siue, *eſt intellectualis naturæ ſubſtantia completa, incommunicabilis* alteri ſuppoſito. Vide p. 1. n. 345. & ſequentibus.

34. Ex vnione hypoſtaticâ oritur communicatio idiomatum. *Idioma eſt proprietas*: & *Communicatio idiomatum eſt mutua prædicatio proprietatum.* Imò plenè, & completè

35. *Communicatio idiomatum est prædicatio naturæ diuinæ, ac humanæ, & proprietatum vtriusque, de se mutuo, earumque supposito*, Christo domino. PRÆDICATIO in concreto, non in abstracto: quæ falsa, & impossibilis est. Nam *Diuinitas non est humanitas*, &c. Et abstractum significat naturam existentem separatim à supposito: quomodo non est hîc abstracta natura diuina, & humana.

Itaque communicatio idiomatum est ex vnione hypostaticâ resultans prædicatio, primò naturæ diuinæ & humanæ, de se mutuo. v. g. *Deus est homo*: &, *homo est Deus*. Secundò, prædicatio vtriusque naturæ de Christo. v. g. *Christus est Deus*: &, *Christus est homo*. Tertiò, prædicatio proprietatum naturæ diuinæ, de humanâ; & humanæ de diuinâ. v. g. *Homo est æternus, Deus est mortalis*. Quartò, prædicatio proprietatum vtriusque naturæ, de Christo. v. g. *Christus est immortalis, Christus est passibilis*.

Christus fuit conceptus de Spiritu-Sancto: natus ex Mariâ virgine.

36. Humana autem ordinaria conceptio est duplex: vna carnis, alia hominis. Illa est seminum commixtio, præcedens animationem: hæc est vnio animæ rationalis, cum corpore; estque natiuitas in vtero, iuxta Matth. 1. *Quod in eâ natum est, de Spiritu-Sancto est*. Hæc secunda conceptio, siue animatio, est circiter quadraginta diebus posterior primâ conceptione: quæ ferè secura redditur, septimo post copulam die: ante quem si genitura vtero excidat, est seminum *effluxio*: si post eum contineatur, certa habetur fœtûs conceptio. Si verò fœtûs, post septimum, ante quadragesimum diem excidat, est *abortus*, id est concepti embryonis expulsio. Si autem excidat post diem quadragesimum, & organizationem corporis, infusionemque animæ rationalis, est *eiectio*. Itaque prima humana.

37. *Conceptio est virilis femineique seminis, ac menstrui sanguinis coagulatio*, ac fermentatio in matrice; embryonisque inchoata figuratio, ac rudis delineatio. Secunda conceptio, siue

38. *Animatio est animæ rationalis infusio in corpus humanum organizatum.* ANIMÆ RATIONALIS, quæ creatur in ipso corpore, iuxta illud Zachariæ 12. *Fingens spiritum hominis in eo.* ORGANIZATVM: nam certum est animam rationalem non infundi corpori humano, ante illius figurationem & organizationem. Scripturâ etiam innuente, quæ iuxta Septuaginta Exodi 21. sancit vt percutiens mulierem prægnantem, eique causans aborsum, det animam, pro animâ, sitque homicidij reus, si fœtus sit effigiatus. Quoto autem à conceptione die absoluatur organizatio sufficiens ad animationem, ambigitur inter philosophos, medicos, & theologos. Probabilior sententia tenet id fieri circa quadragesimum diem, non modò in fœtibus masculis, sed & femellis virilioribus: paulò seriùs in debilioribus vtrisque. Vnde est versiculus:

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni:
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

39. Beatissimæ Mariæ, Christum concipientis, actiua *Conceptio est virginei sanguinis, in matrice coagulatio, corporisque humani formatio, & animatio; & ad illud Verbi vnio:* facta operâ Spiritûs-Sancti, communique virtute trium personarum diuinarum. SANGVINIS, totiusque materiæ, per matrem generantem ministrari solitæ; & consequenter seminis virginalis, iuxta Bedam l. 4. in Lucam c. 49. aliosque: quod efformando Christi corpori, fuit à B. M. V. ministratum: sed citra illius decisionem, resolutionem, & seminationem. Vnde potiori ratione est mater Christi, quam quæuis alia mater filij sui: quia de substantiâ suâ suppleuit insuper semen virile, quatenùs solet præbere materiam efformando corpori prolis. Quatenus autem idem habet effectiuam vim coagulandi materiam, figurandi, & organizandi; eatenùs vicem illius suppleuit virtus Spiritûs-Sancti, totiusque Sanctissimæ Trinitatis.

40. Axioma Theologicum, Damasceno attributum, *Verbum nunquam dimisit, quod semel assumpsit,* intelligendum est de humanæ naturæ partibus essen-

tialibus, animâ rationali, & corpore assumptis: vel de corporis humani partibus formalibus, vt talibus; non de partium formalium materialibus partibus: quæ ratione quotidianæ nutritionis, & resolutionis, sunt in continuo fluxu; accessu atque recessu. Vnde sicut per conuersionem alimenti, fiebat vnio animæ, ad nouam partem corporis; & per resolutionem, illa vnio desinebat; ita potest dici idipsum, de vnione hypostaticâ.

41. *Corporis humani partes formales sunt ea, quæ semper retinent partium communem naturam, & formam.* v. g carnes, ossa, nerui, &c.

42. *Partes materiales sunt particulæ materiæ, quæ accedunt ad formales, & recedunt,* per nutritionem. Christus præter gratiam habitualem, habuit vnionis gratiam duplicem, increatam & creatam.

43. *Christi gratia habitualis est donum supernaturale, ipsi gratuitò & permanenter à Deo collatum, reddens eum formaliter Deo gratum, & ad vitam æternam acceptum.* Vide 1. 2. n. 578.

44. *Increata gratia vnionis est Verbum, humanitati Christi gratuitò datum.* Siue, *est esse personale Verbi, gratis datum humanitati.*

45. *Creata gratia vnionis est gratuita substantialis vnio Verbi, cum humanitate Christi.*

46. Christi gratia habitualis, per modum cuiusdam proprietatis, consequitur ad creatam gratiam vnionis: vti ipse Christus agnoscit Isaiæ 6. & Lucæ 4. *Spiritus domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me*: scilicet oleo, vnguento, & chrismate diuinitatis, quo sanctus sanctorum fuit vnctus, & delibutus, præ consortibus suis. Psal. 44. Hanc gratiam habitualem, vna cum virtutibus, (imperfectionem non inuoluentibus, statui beatitudinis, aut dignitati Christi repugnantem: qualem inuoluunt pœnitentia, fides, & spes) accepit, vt haberet suarum actionum supernaturalium intrinsecum principium connaturale: scilicet habitus, perficientes potentias. Aliàs non erat simpliciter necessaria, vt Christi humanitas foret

sancta: nam abundè eam sanctificabat increata gratia vnionis, & sanctitas substantialis: cuius ratione, opera humana Christi, erant morali æstimatione, infinitè Deo grata, meritoria, & satisfactoria: quamuis ipsius gratia habitualis, vtpote creata, fuerit finita entitatiuè, & intensiuè. Vnde potuisset augeri, non fuit tamen aucta; quia initio conceptionis fuit data animæ Christi, in suâ plenitudine inuariabili. Quod autem habetur Lucæ 2. *Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ, apud Deum, & homines*, intelligitur de profectu, non secundùm habitum, sed effectum; estque sensus, quòd ætatis progressu, maiora in dies opera sapientiæ, & gratiæ faciebat.

Christus est Filius Dei naturalis, & consubstantialis; non adoptiuus. Patet ex Matth. 16. *Tu es Christus, filius Dei viui*, & 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

47. *Filius naturalis est viuens, productus à viuente, in similitudinem naturæ, vi productionis suæ*, & generationis propriè dictæ. Vide p. 1. n 403. & 429. Coëssentialis, siue

48. *Consubstantialis filius est is, qui cum patre est eiusdem substantiæ*, & essentiæ: in creatis, eiusdem essentiæ specificæ; in diuinis, numericæ.

49. *Filius adoptiuus est is qui non generatione productus, sed adoptione est in filium assumptus.*

50. *Adoptio est personæ extraneæ, in filium & hæredem gratuita assumptio.* Vide infrà n. 547. & 548.

51. *Adoptio spiritualis est personæ extraneæ in filium hæredemque Dei, gratuita assumptio.* EXTRANEÆ, ex origine suâ carentis honore filiationis, & iure æternæ hæreditatis.

52. *Filius Dei adoptiuus est extraneus, in filium hæredemque Dei, gratuitò assumptus.* EXTRANEVS, non generatione productus, sed origine suâ, carens titulo filiationis. IN FILIVM HÆREDEMQVE: nam *Si filius, & hæres, per Deum*, Galat. 4 Itaque qui est filius Dei adoptiuus, est priùs naturâ, quàm sit filius; & priùs est extraneus, quàm sit Dei filius: quod Christo, vt homini,

homini, non competit; multò minùs, vt Verbo.

53. Christi intellectus humanus fuit præditus scientiâ visionis beatificæ: quia fuit beatus ab initio conceptionis suæ. Fuit insuper præditus scientiâ infusâ per se, & per accidens. Per se inquam, vti patet ex Isaiæ. 11 *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectûs, scientiæ,* &c. Per accidens, vti patet ex Ioannis 7. *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?* Item scientiâ acquisitâ, & experimentali: de quâ à quibusdam Patribus intelligitur allegatus locus Lucæ 2. *Iesus proficiebat sapientiâ:* & Heb. 5. *Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam.*

54. Christus vt homo, est mysticum caput Ecclesiæ, constantis Angelis, & hominibus: vti patet ex scripturis i. 2. n. 115. citatis. Proinde influit in membra sua mystica, non tantùm exteriorem gubernationem; sed etiam internum influxum gratiæ & gloriæ.

55. Omnipotentia absoluta Christo vt Deo competit propriè; eadem vt homini, per communicationem idiomatum: & quidem ab initio conceptionis; ita tamen, vt demum à resurrectione cœperit perfectè manifestari: secundum illud Matthæi vltimo, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terrâ.*

56. *Omnipotentia absoluta est omnium entium poßibilium effectiua potentia independens.*
Eidem Christo vt homini competit omnipotentia secundùm quid: quæ

57. *Omnipotentia secundùm quid est instrumentaria potestas operandi opera, Deo propria.* Potestas inquam communicata Christi humanitati, tanquam instrumento coniuncto diuinitati. Eiusmodi opera, propria Deo, tanquam causæ principali, sunt productio gratiæ, remissio peccatorum, iustifi-

58. catio, & patratio miraculorum. * Quorum (probabiliter, conformiterque scripturæ) humanitas Christi fuit instrumentaria causa efficiens, non tantùm moralis, sed physica per realem influxum. Nam dicitur Ioannis 1, *Gratia, & veritas per Iesum Chri-*

stum facta est: & Lucæ 6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, & c. 8. *Ego noui virtutem de me exisse* & ante c. 5. *Vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata*. Vnde etiam in Concilio Ephesino càn. 11. definitur, *carnem Christi, propter vnionem ad Verbum, fuisse viuificatricem*.

Hæc omnipotentia secundùm quid, vocatur etiam potestas excellentiæ. Quæ

59. *Potestas excellentia est pracipua instrumentalis ministerialisque potestas operandi opera, propria Deo*, tanquam causæ principali. PRÆCIPVA inter potestates instrumentales, & ministeriales eiusmodi operum diuinorum. Quales potestates reperiuntur in Sacramentis, eorumque ministris, & miraculorum patratoribus.

60. Christus in primo instanti conceptionis suæ habuit perfectum vsum rationis, & cœpit mereri continuò, vsque ad instans mortis suæ: vti constat ex Psal. 39. Heb. 10. & Ioan. 9. Meruit autem sibi resurrectionem, gloriam corporis, exaltationem nominis, ascensionem, & vsum iudiciariæ potestatis. Angelis verò meruit gratiam, & gloriam essentialem & accidentalem: vtpote illorum caput, influens in eos, tanquam membra mystici sui corporis, influxum spiritualem. Et quamuis pro Angelis redimendis non sit mortuus; tamen morte suâ iis meruit, quomodo & sibi. Hominibus autem meruit gratiam habitualem, & actualem; iustificationem, perseuerantiam, vitamque æternam, & prædestinationem ad illam.

61. Christus est sacerdos, & pontifex, ratione cruenti sacrificij crucis, & incruenti eucharistici. Patet ex Psal. 109. & Heb. 5. Quamuis autem in sacrificio cruento, non occiderit se; tamen voluntariè seipsum tradidit in mortem, vsus ministerio occidentium se: & propriâ potestate posuit animam à seipso; offerens se Deo, in recognitionem supremi dominij ipsius, suæque subiectionis; tanquam legitimus minister, ad hoc deputatus à Deo.

62. Christo homini competebat oratio, ad exhi-

bendum Deo cultum latriæ; ad explicandum Deo humanam suam voluntatem, per se impotentem; & ad assequendam illius impletionem: ad impetrandum etiam multos redemptionis humanæ effectus, ex decreto diuino, nonnisi per orationem obtinendos. Hæc Christi oratio propriè dicta, semper fuit exaudita: quia illius absoluta voluntas, oratione explicata, semper fuit conformis diuinæ voluntati, quæ semper impletur. Ideoque confidenter dicit Ioan. 11. *Ego sciebam, quia semper me audis*: Et Heb. 5. *Exauditus est, pro suâ reuerentiâ*. Itaque quando Matth. 26. dicit, *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, nudè proponit naturale desiderium sui appetitûs sensitiui, auersantis passionem, tanquam sibi disconuenientem: demùm autem verè orat, quando subiungit, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

63. Ambigitur autem an modò in cœlo, Christus oret pro nobis: & est conforme scripturæ, Ioan. 14. Rom. 8. Heb. 7. & 1. Ioan. 2. quod sic; non tantùm implicitè, & interpretatiuè, exhibendo Deo corpus suum, vulneribus insignitum; sed etiam expressè petendo meritorum & satisfactionum suarum applicationem.

64. Christus fuit absolutè impeccabilis, per peculiarem Dei assistentiam, & confirmationem in gratiâ habituali: per visionem beatificam: per increatam gratiam vnionis, quæ est sanctitas substantialis: & per creatam vnionem hypostaticam, quâ Christus fuit suppositum diuinum. Cùm autem actiones sint suppositorum, si Christus potuisset peccare; consequenter Deus potuisset peccare: quod implicat contradictionem: sic enim Deus, non esset Deus; vtpote imperfectus.

65. Fuit in Christo appetitus sensitiuus, & concupiscentiæ potentia, cum sua inclinatione naturali; sed sine inordinatione: quia ipse appetitus sensitiuus, cum motibus suis fuit perfectè subditus rationi, & legi æternæ. Vnde in Christo, destructore peccati, non fuit fomes peccati, nec fomitis origo peccatum

originale. Accedit quòd Christus suscepit naturam humanam in statu innocentiæ, cum iustitiâ originali.

66. *Fomes peccati est appetitûs sensitiui propensio ad motus, rectæ rationi repugnantes.* PROPENSIO habitualis, vel actualis. Vnde est duplex fomes, habitualis, & actualis: siue, in actu primo, & secundo.

67. *Fomes peccati habitualis, & in actu primò, est appetitûs sensitiui proxima dispositio ad motum, rectæ rationi repugnantem.*

68. *Fomes peccati actualis, & in actu secundo; est appetitûs sensitiui motio indeliberata, recta rationi repugnans.*

Verùm propriè generaliterque loquendo, fomes comprehendit non tantùm appetitûs sensitiui, sed etiam intellectûs, & voluntatis inordinationem, propensionemque ad actus, rectæ rationi repugnantes. Intellectûs inquam, ad inconsiderationem, errorem, hæresim, iudicium temerarium. Voluntatis, ad superbiam, odium, inuidiam, &c. Ideo in genere

69. *Fomes peccati est appetitûs sensitiui, intellectûs, & voluntatis propensio ad motus, recta rationi repugnantes.* PROPENSIO, pronitas, & procliuitas; tam habitualis, quàm actualis *Fomes peccati* sic dictus, quia peccato materiam fomentúmque suppeditat. Idem fomes dicitur *lex membrorum, lex fomitis,* & *fomes lex,* quia ad instar legis, dictat esse agendum secundùm sensum: ideoque est lex ex lex.

70. In nobis *passio*, id *est*, *appetitûs sensitiui motio, immediatè efficiens corporis transmutationem*, sæpè est indeliberata, præueniensque iudicium rationis; inordinata etiam, insurgensque contra rectam rationem: nullatenus autem in Christo. In quo nullus omninò motus præueniebat iudicium rectæ rationis: sed expectabat nutum illius; cui etiam perfectissimè subdebatur. Ideoque à Patribus vocatur *propassio:* & Synodus sexta, actione 11. ait: *Christus arbiter & dominus erat motuum naturalium, & omnium suorum affectuum, & passionum: qui, nisi eo annuente, non mouebantur.* Itaque hæc

71. *Propaßio est inchoata paßio.* Siue, *est appetitûs sensitiui motio, rectæ rationi perfectè subdita.*

Aliter sumptâ passione, Christus fuit passibilis: passione inquam animali, & corporali. Hæc autem

72. *Paßio est receptio qualitatis disconuenientis, cum abiectione conuenientis.*

73. *Paßio animalis est receptio qualitatis disconuenientis, immediatè in animam;* mediatè in corpus vnitum. Eiusmodi est timor, tristitia, &c. Male afficiens immediatè animam sensitiuam, aut rationalem; & terminatiuè redundans in corpus vnitum, per tremorem, frigus, &c.

74. *Paßio corporalis est receptio qualitatis disconuenientis, immediatè in corpus;* mediatè in animam informantem. Eiusmodi est dolor sensibilis, consequens corporis læsionem: quâ malè afficitur immediatè corpus, debilitaturque illius vnio cum animâ: quæ tanquam forma corporis, mediatè ac per redundantiam patitur. Itaque doloris sensibilis obiectum est læsio corporis; læsionis autem perceptio per tactum, & internam apprehensionem, est obiecti applicatio: quâ positâ, naturaliter resultat dolor sensibilis. Qui

75. *Dolor sensibilis est immutatio appetitûs sensitiui, auersantis læsionem corporis, tactu perceptam,* & sub eâ succumbentis. Quamuis anima Christi habuerit visionis diuinæ gaudium beatificum, tamen supernâ dispensatione factum fuit, quòd non impedierit appetitûs rationalis tristitiam, nec sensitiui dolorem.

76. *Admiratio est voluntatis affectio, consequens intentam considerationem rei miræ.* Ignotæ scilicet, incomprehensæ, excellentis, insolitæ, inexpertæ, cuius causa ignoratur. Siue, *est rei insolitæ intenta consideratio, animique suspensio.* Eam fuisse in Christo arguunt verba Matthæi c. 8. *Audiens Iesus miratus est* quia experientiâ hactenùs non inuenerat tantam fidem in Israël.

In Christo domino fuit duplex voluntas: diuina, & humana. Christi

77. *Voluntas diuina est essentia diuina, concepta per modum potentiæ appetitiuæ rationalis.* Per modum, inquam, potentiæ, id est proximi principij actûs: cuiusmodi potentia non est in Deo, actu puro, excludente omnem potentialitatem. Eiusdem Christi

78. *Voluntas humana est potentia appetitiua rationalis.* Potentia inquam naturalis, ab animæ rationalis essentiâ fluens, eidemque subiectiuè inexistens; organo corporeo non alligata APPETITIVA, prosequens bonum, & fugiens malum. RATIONALIS, sequens iudicium rationis, siue intellectûs. Vide p. 1. 2. n. 79. 80. 81. 222. & 223. Hæc voluntas humana consideratur duobus modis: vt natura, & vt ratio: & vtraque duplici sensu. Primo sensu,

79. *Voluntas vt natura est facultas appetitiua, prosequens bonum per se, necessariò*, & non liberè. Secundo sensu,

80. *Voluntas vt natura est facultas appetitiua, prosequens bonum, naturæ sensibusque conueniens*, & à disconueniente resiliens. NATVRÆ CONVENIENS. v. g. sanitatem, vitam, conseruationem vnionis animæ, cum corpore; sequendo instinctum naturæ. SENSIBVS CONVENIENS. v. g. cibum sapidum, odorem gratum, aërem temperatum, &c. Vide p. 1. 2. n. 81. & 82.

81. Primo sensu, *Voluntas vt ratio est potentia appetitiua liberè eligens medium, propter finem.*

82. Secundo sensu, *Voluntas vt ratio est potentia appetitiua, prosequens bonum honestum, iuxta iudicium intellectûs.*

83. In Christo homine potest statui triplex appetitus, siue voluntas: naturalis, sensitiua, & rationalis. Siue, vna & eadem voluntas potest distingui in partem inferiorem, superiorem, & supremam, pro diuersitate motiui, quo mouetur ad agendum. Itaque si moueatur ad appetendum bonum, vel auersandum malum, sub ratione boni, maliue naturalis, vel sensibilis; est pars inferior. Si sub ratione honesti, vel inhonesti; conformis vel difformis rectæ rationi; est pars

superior. Suprema autem, si sub ratione meritorij vel demeritorij vitæ æternæ.

84. Humana Christi voluntas semper fuit conformis voluntati diuinæ, sensu explicando numero 90. & 91.

85. Quæuis creata voluntas potest est conformis diuinæ tribus modis. Primò in obiecto materiali tantùm: secundò in obiecto formali tantùm: tertiò in obiecto materiali & formali simul. *In obiecto materiali tantùm*: volendo idipsum, quod vult Deus: sed non sub eâdem ratione. Sic volebant impij Christum pati, quod ipsum volebat Deus Pater: sed hic ex charitate, illi ex odio. *In obiecto formali tantùm*, volendo aliud quàm velit Deus; & tamen sub eadem ratione. Sic parens vult viuere infantem suum, vt saluetur, quem Deus vult mori, ob eandem rationem; ne malitia mutet intellectum eius. *In obiecto materiali, & formali simul*, volendo idem, quod Deus vult; & sub eadem ratione. Sic Deus voluit pati Christum, ad redimendum genus humanum: & ipse Christus voluit pati, ob eandem rationem.

86. Hæc conformitas potest paulò aliter explicari, dicendo quòd creata voluntas conformetur diuinæ, primò effectiuè, secundò materialiter, tertiò formaliter. *Effectiuè*, quando vult id, quod diuina vult eam velle: *materialiter*, quando vult idem obiectum, quod vult diuina: *formaliter*, quando vult aliquid, sub eâdem ratione, quâ diuina vult. Consequenter potest statui triplex conformitas: effectiua, materialis, & formalis. Ista autem

87. *Conformitas effectiua est creata voluntatis volitio obiecti illius, quod diuina vult eam velle*: licet ipsa fortè aliud velit.

88. *Conformitas materialis est creata voluntatis volitio eiusdem obiecti*, quod diuina itidem vult.

89. *Conformitas formalis est creata voluntatis volitio obiecti eiusdem, quòd vult diuina, eâdemque sub ratione*. Et hæc creatæ voluntatis, cum diuinâ conformitas, potest esse positiua, per actum expressum; aut

negatiua, per non repugnantiam.

90. His præmissis, dicitur quòd Christi humana voluntas rationalis efficax, semper fuit diuinæ conformis effectiuè, materialiter, & formaliter. Patet ex Ioan. 6. *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam; sed voluntatem eius, qui misit me.* Et c. 8. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Confirmatur ratione, quia Christo erat nota voluntas diuina, quam non poterat præuaricari; vtpote impeccabilis.

91. Eiusdem Christi voluntas inefficax, conditionata, naturalis, & sensitiua fuit semper diuinæ conformis effectiuè; sed non semper materialiter, neque formaliter. Patet ex Marci 14. *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.* Confirmatur, quia diuina voluntas volebat quòd humana Christi voluntas, vt natura, siue sensualitatis, moueretur motu suo naturali, refugeretque passionem & mortem, tanquam naturæ & sensibus inconuenientem: & sic erat voluntas humana, diuinæ conformis effectiuè. Eadem autem diuina voluntas volebat Christi passionem & mortem, propter humani generis redemptionem: Christi autem voluntas sensualitatis refugiebat eandem suam passionem & mortem, propter sensibilem incommoditatem: & sic humana ista voluntas non erat diuinæ conformis materialiter, neque formaliter.

92. Cæterùm in Christo nulla fuit contrarietas voluntatum, vti fuit definitum in Synodo 6. actione 4. quia ista contrarietas attendenda est inter voluntates efficaces; non autem inter vnam efficacem, & rationalem Christi, alteramque inefficacem sensualitatis eiusdem. Non habet etiam contrarietas locum in voluntatibus, quæ non sunt secundùm idem; sed habent diuersas rationes formales: vti hic contigit. Nam efficax, diuina, rationalisque Christi voluntas volebat mortem, tanquam bonum generis humani; eiusdem autem inefficax sensualitatis voluntas refugiebat mortem, tanquam malum naturæ, & sensuum.

93. Christus qua homo habuit excellentiæ potesta-

tem temporalem, dominiumque à diuino dependens; sed alijs prædominans, in regna, prouincias, mundumque vniuersum. Et licet reges principesque sæculares, sub eo manserint proprietarij suorum dominiorum; illa tamen poterat transferre ad alios, sine cuiusquam iniuriâ. Patet ex Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et cap. vltimo. *Data est mihi omnis potestas, in cælo, & in terrâ.* Et Apoc. 1. Christus vocatur *princeps regum terræ*: diciturque cap. 19. habere *in femore suo scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.* Consequenter potest statui rerum temporalium triplex dominium: supremum, medium, & infimum. Supremum competit Deo, medium Christo homini, infimum hominibus proprietariis. Hoc

94. *Dominium supremum est independens potestas disponendi de temporalibus rebus omnibus, tanquam suis.*

95. *Dominium medium est dependens prædominans potestas disponendi de temporalibus rebus omnibus, tanquam suis.*

96. *Dominium infimum est legitima potestas disponendi de re aliquá tanquam suâ*; dependenter à supremo dominio Dei, & prædominante Christi hominis.

97. Christus homo (iuxta Conc. Ephesinum can. 8. & Synodum quintam can. 9) adorandus est latriâ formali: illius quoque humanitas, vnita Verbo: nam ratione diuinæ hypostasis, in quâ sustentatur, cultus diuinus ei debetur. Eadem humanitas, considerata vt natura Verbi, abstracta tamen ab illius hypostasi (qualis nunquam fuit, nec est, nec erit) adoranda foret latriâ respectiuâ. Eadem autem nudè considerata, cum gratiâ, suisque perfectionibus creatis, adoranda foret hyperduliâ, iuxta D. Thomam p. 3. q. 25. a. 2. ad 1. Non est tamen sic consideranda, nec adoranda: sed vt subsistens hypostasi Verbi.

98. Crux Christi vera adoranda est; sed non latriâ formali. Itaque illa, illiusue assula, considerata seorsim à Christo, ipsius tamen contactu sanctificata; adoranda est latriæ cultu respectiuo, siue adora-

tione honorariâ, vti decidit Synodus septima, quæ est secunda Nycæna. Si eadem vera crux consideretur vt imago repræsentans Christum, adoranda est latriâ materiali, & relatiuâ. Si verò consideretur vt habens affixum Christum, coadoratur eâdem latriâ, quâ Christus: sicut eâdem politicâ adoratione, quâ rex adoratur; ipsius purpura coadoratur. Repræsentatiua crux Christi, considerata vt imago illius crucifixi, adoranda est latriâ materiali, & relatiuâ; non secùs, quàm vera, vt similis imago considerata.

99. Non absolutè, sed supposito decreto diuino, *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Lucæ 24.

100. In morte Christi, licet anima fuerit separata à corpore; neutrum tamen fuit separatum à Verbo diuino: quia humanitatis partes essentiales, quas assumpsit, nunquam dimisit. Hæc autem Verbi ad humanitatem vnio, fuit vna actu, & plures potentiâ: & consequenter quando eiusdem humanitatis partes diuisæ fuerunt, tunc resultauerunt plures vniones actu. Consequenter etiam sanguis Christi effusus in passione, mansit vnitus Verbo; fuitque totus resumptus in resurrectione: quod ipsum arguit, & conuincit numerica identitas corporis Christi rediuiui, cum viuo. Posito autem, quòd aliquid carnis, vel sanguinis dominici (extra Eucharistiam) foret in terrâ reliquum; illud non esset vnitum diuinitati, nec adorandum latriâ formali; sed materiali, & respectiuâ.

101. Christus à morte suâ, descendit ad inferos, secundùm animam: imò & secundùm diuinitatem, eatenùs quia cœpit esse in inferis nouo modo, quo ante non erat: scilicet triumphando de dæmonibus, & damnatis; consolando, & liberando existentes in purgatorio; beandoque animas in limbo.

102. Christus ab ascensione suâ, sedet ad dexteram Dei Patris, secundùm diuinitatem; quia habet manifestationem æqualitatis cum illo, in gloriâ, & maiestate: secundùm humanitatem, quia post Deum

obtinet primum beatitudinis locum.

103. Beatissima Maria est verè mater genitrixque Dei: quia concepit, & genuit Christum; qui est verus Deus. Ideoque vocanda est *Deipara* & *Christipara*. Quo posteriore vocabulo, studiosè abstinebant Catholici, vigente hæresi Nestorij, qui illud induxerat, ad abolendum priùs: vti constat ex Damasceno lib. 3. c. 12. & ex Synodo Chalcedonensi, & Constantinopolitanâ.

104. Eadem B. Maria peccauit in Adamo: *in quo omnes peccauerunt*, Rom. 3. & 5 Ideoque vi conceptionis suæ, quâ ex Adamo descendebat secundùm corpulentam substantiam, & secundùm seminalem rationem; habuit debitum contrahendi peccati originalis: à quo tamen piè creditur præseruata diuinitus, in suâ conceptione, siue animatione. Itaque B. M. descendit ab Adamo secundùm corpulentam substantiam, & seminalem rationem: Christus autem secundum illam, & non secundùm hanc,

105. *Corpulenta substantia est materia, contributa à parentibus, in formatione corporis prolis.*

106. *Seminalis ratio est vis actiua, formatiua fœtûs, existens in virili semine patris generantis.*

107. Fuisse in Adamo, vel *Descendere ab Adamo, secundùm corpulentã substantiam, est corporis sui materiam sumere ab eo, tanquam originali principio effectiuo*, immediato, vel mediato. IMMEDIATO, vti sumpsit Abel, Cain, Seth: MEDIATO, vti sumpserunt omnes posteri.

108. *Descendere ab Adamo secundùm seminalem rationem, est corporis sui materiam sumere, per virilis seminis actiuam vim formatricem, traductam ab eo*, tanquam originali principio effectiuo. Ob hanc traductionem corpulentæ substantiæ, corpus humanum est ex traduce, non autem anima. Nam

109. *Tradux est productio rei animatæ, ab aliâ; per decisionem partis, à producente.*

110. Probabile est, quòd in B. Mariâ nunquam fuerit fomes peccati in actu secundo. Et quamuis post

primam illius sanctificationem in vtero, videatur in eâ mansisse fomes in actu primo; fuit tamen ligatus, & tandem penitùs exstinctus in secundâ sanctificatione eiusdem concipientis Christum, per superuenientem Spiritum Sanctum. Cuius operatione, formatum est effectiuè corpus Christi, eodemque momento animatum, & à Verbo assumptum. Qui tamen Spiritus Sanctus non est pater Christi, vtpote quem non produxit in similitudinem naturæ diuinæ: quia secundùm eam procedit à solo Patre, non à Spiritu-Sancto: qui è diuerso, á Patre Filioque procedit. Non etiam in similitudinem naturæ humanæ, quia Spiritus-Sanctus eam non habet, sed solam diuinam; quæ est omninò dissimilis humanæ.

DE SACRAMENTIS in genere.

111. IN scripturâ sacrâ; duobus modis accipitur *Sacramentum:* primò pro re arcanâ, Sapientiæ 6. *Non abscondam à vobis sacramenta Dei.* Similiter Tobiæ 12. Danielis 2. Ephesiorum 1. & 3. Apocal. 17. Secundò accipitur pro signo rei arcanæ, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo, & Ecclesiâ.* Id est, Matrimonium est excellens signum arcanæ, & sacræ coniunctionis Christi, cum Ecclesiâ.

Generaliter sumptum Sacramentum (vt comprehendens illud, quod fuit in lege naturæ, Mosaicâ, & est in Euangelicâ) passim sic definitur:

112. *Sacramentum est signum rei sacræ.* SACRAMENTVM, sic dictum, quia sacrat, & practicè sanctificat suscipientem; dedicando, & consecrando illum cultui diuino. SIGNVM diuinitùs institutum, & practicum. REI SACRÆ, sanctitatis moralis, legalis, aut formalis.

113. *Sacramentum legis naturæ est signum practicum*

sanctitatis moralis, & speculatiuum formalis. PRACTICVM, quia de ratione essentialis Sacramenti est quòd sit signum practicum sanctitatis, legi suæ conuenientis: sanctitas autem moralis congruebat legi naturæ, & dictamini rectæ rationis. ET SPECVLATIVVM signum: FORMALIS sanctitatis. Nam immediata, vel mediata significatio gratiæ sanctificantis videtur Sacramento omni esse essentialis: ita vt Sacramentum legis naturæ, & Mosaïcæ, non fuerit precisè Sacramentum ex eo, quòd fuerit signum practicum, illud sanctitatis moralis, hoc legalis; sed quia simul erat speculatiuum signum gratiæ sanctificantis. Vtraque enim *lex habebat vmbram futurorum bonorum*. Heb. 10. Et, vt ait Conc. Florentinum, antiqua Sacramenta, gratiam per passionem Christi dandam

114 figurabant.* Vnde probabile est, quòd Sacramentum sit genus vniuocum, respectu sacramentorum legis naturæ, Mosaïcæ, & Euangelicæ,

115. Inter Sacramenta legis naturæ recensentur ritus consecrationis Sacerdotum, ad offerendum Deo sacrificium: panis & vinum sacrificij Melchisedech: circumcisio: & præcipuè signum sensibile, protestatiuum fidei in Messiam venturum; institutum à Deo ad peccati originalis remissionem.

116. *Sacramentum legis Mosaicæ est signum practicum sanctitatis legalis, & speculatiuum formalis.*

117. Inter sacramenta legis Mosaïcæ recensentur, Circumcisio, agnus pascalis, consecratio sacerdotum, lustratio ab immundiciâ legali, &c.

118. Si status innocentiæ perseuerasset, probabiliter habuisset tunc Ecclesia visibile sacrificium; & sacramenta nostris similia, id est ex opere operato causatiua gratiæ habitualis, primæ & secundæ.

Cum præfatâ generali definitione Sacramenti coincidit hæc descriptio:

119. *Sacramentum est res, ritusue sacer, sensibilis, diuinitùs stabiliter institutus; vsu suo conferens congruam sanctitatem, veramque significans*. RES sacra, RITVSVE SACER: vt comprehendatur Sacramentum consistens

tam in re permanente, vti agnus paschalis, & Euchariſtia; quàm in cæremoniâ religiosâ, actioneque sacrâ; vti alia Sacramenta. SENSIBILIS, externo ſenſu perceptibilis: aliàs foret potiùs Sacramentum angelicum, quàm humanum. DIVINITVS, quia ſoli Deo competit inſtituere cæremonias ſui cultûs: & ſacramenta; quibus fideles ſibi conſecrentur. STABILITER; quamdiu ſcilicet manet eadem lex, idemque Eccleſiæ ſtatus. Ideoque à definitione ſacramenti excluduntur ea, quibus ad ſanctificandum vſus eſt Chriſtus, ſed non ſtabiliter & permanenter. v. g. lotio pedum Apoſtolorum, inſufflatio in eos, verba remiſſiua peccatorum Magdalenæ, & paralitici. VSV SVO, vtpote ſignum practicum, ſui applicatione ſanctificans ſuſcipientem. Vnde à definitione ſacramenti excluditur tranſitus maris rubri, eſus mannæ, &c. quæ ſignificabant ſanctitatem, nullam tamen conferebant vſu ſuo. Excluditur etiam ſacrificium, quà tale; quia vſu ſuo non ſanctificat, ſed teſtatur ſupremum dominium diuinum. CONFERENS ex opere CONGRVAM, & conuenientem tempori SANCTITATEM: ſcilicet ſanctitatem moralem conuenientem tempori legis naturæ: legalem Moſaïcæ: veram Euangelicæ, in quâ *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Ioan. 1. Infirma autem, & egena ſacramenta congruebant legi naturæ, & Moſaïcæ inutili. Galat. 3. & 4. Heb 7. & 10. Interim quando legis vtriuſque fideles, cum fide in Meſſiam venturum, contritione, charitate, & ſpiritu legis nouæ, vtebantur ſacramentis; illa ſuſcipientibus conferebant gratiam ex opere operantis. VERAMQVE ſanctitatem SIGNIFICANS, immediatè practicè, vel mediatè theoricè.

120. *Sanctitas moralis eſt conſecratio hominis ad cultum diuinum, iuxta praſcriptum recta rationis.*

121. *Sanctitas legalis eſt conſecratio hominis ad cultum diuinum, iuxta praſcriptum Moſaica legis.*

122. *Sanctitas formalis eſt gratia habitualis, quâ homo fit verè formaliter iuſtus, & ſanctus.*

123. *Signum eſt quid notum, alterius repraſentati-*

uum. REPRÆSENTATIVVM, quod actualiter, vel aptitudinaliter, aliud à se repræsentat, & præsens exhibet potentiæ cognitiuæ. Nam *Repræsentare est præsens exhibere.*

Signo respondet signatum, siue significatum: & hoc *Signatum est quid repræsentatum, per aliud.* REPRÆSENTATVM, præsens exhibitum.

Signum, & signatum dicitur à significatione: ab actiuâ significatione, signum; à passiua, signatum.

Signum vnum est naturale, aliud arbitrarium, siue ex instituto: item vnum speculatiuum, aliud practicum, &c.

124. *Signum naturale est quid, suapte naturâ, alterius repræsentatiuum.* SVAPTE NATVRA, vi essentiæ suæ, seposito instituto. v. g. conceptus est eiusmodi naturale signum rei conceptæ; fumus, ignis; risus, lætitiæ; vultus, verecundiæ, timoris, iræ, aliarumque affectionum animi. Signum arbitrarium, ad placitum, siue

125. *Signum ex instituto est id, quod electione agentis liberi, ordinatum est ad aliud repræsentandum.* Quod scilicet in esse essentiæ positum, libere assumptum est, ad aliud repræsentandum potentiæ cognitiuæ. Quia verò agens liberum est triplex, Deus, angelus, homo; consequenter signum ex instituto, est itidem triplex: ex instituto humano, angelico, diuino. Ex instituto inquam humano. v. g. verba, scriptura, &c. Ex instituto angelico. v. g, spirituale signum, expressiuum conceptûs angelicæ mentis; vel affectûs voluntatis. Ex instituto diuino. v. g. Sacramentum, arcus in nubibus, serpens æneus, &c. In hac materia autem

Institutum est authoritatem habentis ordinatio, vt res vna, alterius sit repræsentatiua. Vt scilicet res determinata, mediante sui cognitione, deducat nos in alterius notitiam.

Signum ex instituto diuino, est duplex: theoricum, & practicum: siue, speculatiuum tantum, & speculatiuo-practicum; id est, speculatiuum simulque practicum.

126. *Signum diuinum theoricum est quid, ex instituto diuino, repraesentatiuum alterius, cuius non est effectiuum.* v. g. arcus in nubibus, est signum diuini foederis: serpens aeneus est signum crucifixionis Christi, &c.

127. *Signum diuinum practicum est quid, ex instituto diuino, repraesentatiuum alterius, eiusdemque effectiuum.* Eiusmodi signum est sacramentum legis naturae, respectu sanctitatis moralis: sacramentum legis Mosaïcae, respectu sanctitatis legalis: sacramentum legis nouae, respectu gratiae sanctificantis.

128. *Signum spirituale est illud, quod intellectu est cognoscibile, non sensu externo.* v.g. character sacramentalis. Signum sensibile, siue

129. *Signum visibile est illud, quod externo sensu est perceptibile.* v.g. in Baptismo aqua est visu, & tactu perceptibilis, forma auditu, &c.

130. Generaliter sumpti sacramenti n. 112. definitio, *Sacramentum est signum rei sacrae*, si intelligatur hoc modo, *est signum* diuinum; sensibile practicum ex opere operato *rei sacrae*, gratiae sanctificantis; erit adaequata definitio sacramenti nouae legis, & aequiualebit huic:

131. *Sacramentum nouae legis est inuisibilis gratiae signum visibile, ad nostram sanctificationem diuinitus institutum.* INVISIBILIS, imperceptibilis sensu externo. GRATIAE habitualis sanctificantis. SIGNVM practicum ex opere operato. AD NOSTRAM SANCTIFICATIONEM, iustificationem primam, & secundam: directè ad primam, sacramentum mortuorum; ad secundam, sacramentum viuorum. DIVINITVS, à Deo immediatè. INSTITVTVM: à Christo domino, secundum diuinitatem, per potestatem principalem: secundum humanitatem, per ministerialem potestatem excellentiae.

132. *Instituere sacramentum, est determinare illius materiam, & formam, dareque illis vim effectiuam gratiae.* SACRAMENTVM nouae legis. DETERMINARE immediatè, per se instituentem; non mediatè per

aliumq;

ditum. MATERIAM non ſecundum indiuiduum, ſed ſecundum ſpeciem infimam, vt aquam in Baptiſmo: aut ſecundum ſpeciem ſubalternam, vt panem & vinum in Euchariſtia. ET FORMAM, non quoad ſonum, ſed ſenſum. Materiam, inquam, & formam applicandas per certum & determinatum miniſtrum. VIM EFFECTIVAM inſtrumentalem, non moralem tantùm; ſed probabiliter phyſicam, & realem.

133. Nouæ legis ſacramentum conſideratum more ſolito, per modum compoſiti phyſici; habet pro materia ſua res permanentes, vel actus tranſeuntes, cum partiali ſua ſignificatione, & efficientia ijs reſpondente. Pro forma habet verba propriè dicta, iiſue æquiualentia ſigna; cum ſua itidem partiali ſignificatione, & efficientia correſpondente. Idem ſacramentum conſideratum per modum compoſiti artificiati, & moralis; ſiue per modum ſigni, habet pro materia ſua res, & verba: pro forma autem habet ſignificationem totalem, ex rebus, & verbis exurgentem.

Itaque ſacramentum, vt compoſitum phyſicum, perficitur rebus, tanquam materia; & verbis, tanquam forma. Hæ verò

134. *Res ſunt ſubſtantiæ corporeæ permanentes, vel actus ſenſibiles, per formam determinabiles.* SVBSTANTIÆ, vti in Baptiſmo, aqua elementaris: in Confirmatione, chriſma; in Euchariſtia, panis & vinum: in Ordine, res traditæ ordinandis: in Extrema-vnctione, oleum infirmorum. VEL ACTVS, vti in Pœnitentia, contritio, confeſſio, ſatisfactio: in Matrimonio, conſenſus traditiuus dominij mutui corporum.

135. *Verba ſunt voces humanæ articulatæ*, aliaue ſigna mentis expreſſiua. VOCES, & verba propriè dicta, in ſex ſacramentis, ALIAVE SIGNA, verbis æquiualentia, in Matrimonio.

136. Omnia ſacramenta nouæ legis, aliquatenus conſtant duplici materia; proxima, & remota. Vti Baptiſmus, pro materia remota, habet aquam ele-

mentarem: pro proxima, ablutionem per aquam. Confirmatio pro materia remota habet chrisma: pro proxima, chrismatis vnctionem. Pœnitentia pro materia remota habet peccata, post Baptismum commissa: pro proxima, contritionem, confessionem, satisfactionem. Eucharistia pro materia remota habet panem, & vinum: pro proxima, species panis, & vini. Extrema vnctio pro materiâ remotâ habet oleum oliuarum: pro proximâ, olei inunctionem. Ordo pro materiâ remotâ habet res, ordinandis tradendas: pro proximâ, eiusmodi rerum traditionem. Matrimonium pro materiâ remotâ habet corpora contrahentium: pro proximâ, traditionem illorum. Sacramenti

137. *Materia remota est res, vel actus sensibilis, per formam remotè determinabilis.*

138. *Materia proxima est res, vel actus sensibilis, per formam proximè determinabilis.* Siue, Sacramenti in actione transeunte consistentis.

139. *Materia remota est res, cuius vsu exercetur actio sacramentalis.* v. g. aqua, oleum, chrisma, &c.

140. *Materia proxima est actualis vsus materia remota.* v. g. ablutio, vnctio, chrismatio, &c.

141. Sacramentorum materia & forma debent esse coniungique simul, secundùm moralem æstimationem: quæ æstimatio exigit breuiorem moram temporis in cæteris sacramentis; quàm in Pœnitentiâ, & Matrimonio.

142. Mutatio substantialis materiæ, & formæ, inualidat sacramentum: secus est de accidentali.

143. *Mutatio substantialis materia est eâ, quâ conuertitur in aliam speciam, vel quâ redditur inutilis ad sui vsum.* v. g. conuersio aquæ, in cereuisiam: vel congelatio illius, ita vt per eam non possit fieri ablutio, &c.

144. *Mutatio accidentalis materia est alteratio illius, talis, quâ non conuertitur in aliam speciem; nec redditur inutilis ad sui vsum.* v. g. calefactio aquæ, &c.

145. *Mutatio substantialis forma est conuersio verbo-*

barum illius, in alium sensum. v. g. *Ego te baptizo in nomine matris,* &c.

146. *Mutatio accidentalis est alteratio verborum illius, retento eorum sensu.* v. g. *Abluo te, in nomine Patris,* &c.

Vniuersim est tantummodò mutatio accidentalis formæ, quoties verba illius mutantur in alia synonima. Hæc autem formæ sacramentalis

147. *Verba synonima sunt diuersa verba, significantia idem distinctè & explicitè.* Vnde verba hæc: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*, non sunt synonima formæ ordinariæ.

148. Ad valorem sacramenti requisita est intentio ministri: quia ministratio sacramenti, est actio humana deliberata: quæ intentione agentis dirigi debet. Itaque minister debet intendere conferre sacramentum, prout Christus instituit, & Ecclesia facit.

149. *Intendere est in aliquid tendere*, tanquam in terminum. Et

150. *Intentio est tendentia in aliquid:* quâ scilicet voluntas tendit, & fertur in finem. Siue, *est actus voluntatis, tendentis in finem, per medium, ad eum ordinatum.* Item, *est volitio finis, directa per intellectum.* Siue, *est volitio eius, quod propter se est volitum; & aliud, propter ipsum.* Itaque

151. *Intentio est volitio finis, per medium assequendi.* Multiformis est intentio: scilicet actualis, virtualis, habitualis, interpretatiua, absoluta, & conditionata.

152. *Intentio actualis est præsens volitio finis, per medium assequendi.* Siue, *est actus elicitus voluntatis, expressè tendentis in finem, per medium, ad eum ordinatum.*

153. *Intentio virtualis est ea, quæ virtute actualis præhabita, non interrupta; dirigit actionem humanam.* Siue, *est ea, quæ desiit esse præsens actu, sed manet virtute.*

Intentio habitualis est triplex. Et quidem prima

154. *Intentio habitualis est ea, quæ fuit actu elici-*

ta; & non fuit reuocata, sed est interrupta: ita vt non influat in actum humanum, per se; nec per virtutem, à se relictam. De hac passim intelliguntur Theologi, quando intentionem habitualem condistinguunt contra virtualem. Secunda autem

155. *Intentio habitualis est ea, quæ sui frequentatione, versa est in habitum.* Siue, *est habilitas & promptitudo relicta ex intentionis actu frequentato*, inclinans ad similem actum. Et in præsenti materia, hæc secunda

156. *Intentio habitualis est facilitas eliciendi actualem intentionem faciendi quod Christus instituit, in administratione sacramentorum.* Facilitas inquam, orta ex iteratione eiusmodi intentionis, in frequenti administratione sacramentorum. Tertia verò

157. *Intentio habitualis est animi dispositio talis, quâ intendisset actu aliquid, si fecisset reflexionem:* quod tamen antea non intendit actu, neque modò virtute. Hæc tertia intentio habitualis, aliquatenùs coincidit cum intentione implicitâ, indirectâ, & interpretatiuâ. Hæc autem

158. *Intentio interpretatiua est ea, quâ quis intendens aliquid, censetur implicitè intendere aliud*, in eo contentum, annexum, aut subsequum. Vide 1. 2. n. 159.

159 *Intentio absoluta est desiderium efficax finis, per medium assequendi, absque conditione Si*, vel æquipollente, *modò, dummodò, vbi, quando*, &c,

160. *Intentio conditionata est desiderium efficax finis, per medium assequendi, sub conditione Si*, vel æquipollente.

161. In ministro sacramenti, ex præfatis intentionibus, optima est actualis: sufficiens virtualis: insufficiens triplex habitualis, quia non potest dirigere actionem humanam deliberatam: qualis debet esse administratio sacramenti. Interpretatiua quoque est insufficiens, ob eandem rationem: & quia magis se tenet ex parte operis, quàm operantis.

162. In omnibus sacramentis, excepto Matrimo-

nio, requisita est intentio absoluta; vel absolutæ æquiualens conditionata. Cuiusmodi est intentio modificata sub conditione de præterito, vel præsenti. v. g. *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo. Si viuis, ego te absoluo.* Nam si eiusmodi conditio subsit, intentio resoluitur in absolutam: si non subsit, intentio tollitur. Excipitur sacramentum Matrimonij: quod quia retinet rationem contractûs, potest iniri sub conditione suspensiuâ, etiam de futuro contingenti: à quâ in esse suo pendeat; quâque completâ, transeat in contractum absolutum. Secus est de reliquis sacramentis: quibus addita conditio de futuro contingenti, suspendit ministri intentionem, quando applicat materiæ formam: & licet postea impleatur conditio, non conficietur equidem sacramentum; quia tunc deerit materia & forma essentialis.

163. Vt sacramentum, in actione consistens, validè recipiatur ab adulto, vtente ratione, eâue aliquando vso; requisita est in eo intentio, vt minimùm habitualis. Quia receptio sacramenti, in eiusmodi adulto, debet esse voluntaria; debetque se ad eam disponere. *In actione*, inquam, *consistens*: quia Eucharistia, in re permanente consistens, etsi absque vllâ intentione suscipiatur, verè suscipitur. Dixi insuper, *Vt minimùm habitualis*, eaque prima, definita n. 154. quinet tertia, definita n. 157 vti apparet ex praxi Ecclesiæ; quæ fidelibus moribundis, vsu rationis destitutis; nec aliam, quàm hanc tertiam intentionem habitualem, vel interpretatiuam habentibus, Extremam vnctionem ministrat. Secus est de Baptismo, Ordine, & Matrimonio per procuratorem contracto: in quorum susceptione, requisita est vt minimùm intentio habitualis prima quia sunt sacramenta, transferentia suscipientem, in alium planè statum.

164. Theologi agnoscunt tria, in quolibet sacramento: sacramentum tantùm; rem tantùm; sacramentum, & rem simul.

165. *Sacramentum tantùm est id, quod significat; &*

non significatur. v. g. partialis materia, & forma, ad sensum n. 133.

166. *Res tantùm est id, quod significatur, & non significat.* v. g. gratia sacramentalis.

167. *Sacramentum, & res simul, est id, quod significat, & significatur.* v. g. character, &c.

168. Sacramenta nouæ legis, quædam sunt viuorum; alia mortuorum.

169. *Sacramentum mortuorum est illud, quod institutum est, ad causandam primam gratiam:* & non prærequirit vitam spiritualem in suscipiente. v. g. Baptismus, & Pœnitentia.

170. *Sacramentum viuorum est illud, quod institutum est directè ad augmentum gratiæ:* quam prærequirit in suscipiente, tanquam vitam spiritualem. v. g Eucharistia, Confirmatio, Extrema vnctio, Ordo, Matrimonium.

Omnia sacramenta nouæ legis conferunt dispositis gratiam, ex opere operato.

171. *Opus operatum est actiō sacramentalis, per ministrum facta*, ex instituto diuino. Ipsa scilicet legitima prolatio formæ, super materiâ: & ad suscipientem applicatio vtriusque; aut sacramenti consistentia in re permanente.

172. *Opus operantis est actio meritoria de condigno, vel congruo.*

173. *Conferre gratiam ex opere operato, est illam causare vi operis, ex instituto diuino exerciti:* in administratione sacramenti. VI OPERIS, secundùm entitatem suam considerati: non quatenus virtuosum & meritorium est; sed abstrahendo ab omni merito ministri; & suscipientis.

174. Gratiam habitualem, in communi consideratam restringit gratia sacramentalis, ratione sui, ad particularem effectum cuiusque sacramenti: & ratione annexæ gratiæ actualis, restringit ad assecutionem finis cuiusque sacramenti. Itaque

175. *Gratia sacramentalis est gratia habitualis restricta, habens annexum ius, ad actuales*, necessarias ad

assequendum finem proprium cuiusque sacramenti. RESTRICTA ad particularem effectum, ratione sui: & ad particularem finem assequendum, ratione iuris annexi gratiarum actualium. Vnde

176. Gratia baptismalis, secundùm se, & ratione sui, est gratia habitualis *regeneratiua*: ratione actualis annexæ, est conseruatiua regenerationis; & benè dispositiua ad sanctam receptionem reliquorum sacramentorum.

177. Gratia confirmationis, ratione sui est gratia habitualis *roboratiua* fidei: ratione actualis annexæ, est benè dispositiua ad fidem constanter profitendam.

178. Gratia pœnitentiæ, ratione sui est gratia habitualis, *remissiua* peccatorum: ratione actualis annexæ, est benè dispositiua ad detestationem peccatorum præteritorum, & fugam futurorum.

179. Gratia Eucharistiæ, ratione sui est gratia habitualis *nutritiua*, & vnitiua cum Christo: ratione actualis annexæ, est benè dispositiua ad continuationem augmenti spiritualis, & præfatæ vnionis.

180. Gratia extremæ vnctionis, ratione sui est gratia habitualis *saluatiua*, & alleuiatiua ægroti: ratione actualis annexæ, est benè dispositiua ad finalem perseuerantiam in adeptâ saluatione, & alleuiatione.

181. Gratia ordinis, ratione sui est gratia habitualis *traditiua potestatis sacræ*: ratione actualis annexæ, est benè dispositiua ad pium vsum præfatæ potestatis.

182. Gratia matrimonialis, ratione sui est gratia habitualis *moderatiua concupiscentiæ*: ratione actualis annexæ est benè dispositiua ad fidelem & castum amorem coniugalem, christianamque prolis educationem.

183. Sacramentum nouæ legis est gratiæ sanctificantis causa efficiens instrumentalis; probabiliter physica, & non tantùm moralis.

Ex dictis l. 2. n. 250. & sequentibus, constat quòd

184. *Causa efficiens est principium productiuum effectûs.*

185. *Causa efficiens principalis est principium, propriâ vi productiuum effectûs.*

186. *Causa efficiens instrumentalis est principium, motione alienâ productiuum effectûs.* Nam vis propria est insufficiens effectui producendo; debetque ad hoc eleuari à causâ principali.

187. *Causa efficiens physica est principium reale productiuum effectûs.* Siue, *principium eliciens realem actionem productiuam effectûs.*

188. *Causa efficiens moralis est ea, quæ in effectum non influit reali influxu; sed ad illum mouet causam physicam.* MOVET, quia est id, cuius intuitu, causa efficiens physicè operatur. *Mouet* autem diuersimodè causam increatam, & creatam: nam increatam eatenùs mouet, quia est causa moralis externæ operationis ipsius; non autem interni actûs, & volitionis immanentis, quæ est Deus ipse. Causam creatam liberam mouet ad operandum, tum quia est causa externæ operationis; tum etiam interni actûs, quo voluntas determinatur ad operandum, intuitu causæ moralis.

Præter gratiam sacramentalem, in Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimitur character: qui

189. *Character est potestas spiritualis, inamißibiliter collata animæ, quâ redditur apta ad sacramenta recipienda, & administranda.* Vel conformiter ad Trid. sess. 7. can. 9.

190. *Character est signum spirituale, indelebile, impressum animæ, quo homo ad diuina deputatur, & ab alijs distinguitur.* SIGNVM SPIRITVALE, intellectu cognoscibile, significatiuum alterius rei: scilicet gratiæ sanctificantis, configurationis cum Christo, deputationis ad diuina; & distinctionis ab aliis. INDELEBILE, vtpote inhærens animæ, subiecto incorruptibili; & non habens contrarium. IMPRESSVM ANIMÆ, probabiliter immediatè ipsi essentiæ animæ, & non mediante potentiâ. AD DIVINA DEPVTATVR,

ſcilicet ad ſacramentorum receptionem, & adminiſtrationem; fideique profeſſionem. AB ALIIS DISTINGVITVR, qui non ſunt inſigniti charactere.
Sublatâ ſuſcipientis fictione, ſacramentum informe reuiuiſcit.
Fictio hic non eſt ſimulatio, quâ ſuſcipiens ſacramentum, ſimulat ſe velle ex animo illud ſuſcipere; quod tamen non vult: ſed

191. *Fictio eſt ſimulatio exterior internæ diſpoſitionis, requiſita ad primarium effectum ſacramenti.* SIMVLATIO ſuſcipientis ſacramentum, EXTERIOR: qui enim indiſpoſitus indignè accedit ad ſacramentum, exteriùs præ ſe fert, & fingit ſe accedere cum debitâ diſpoſitione ad recipiendum PRIMARIVM EFFECTVM, gratiam ſanctificantem, & non tantum ſecundarium, characterem. SACRAMENTI, eſſentialiter integri.

192. *Sacramentum informe eſt ſacramentum eſſentialiter integrum, deſtitutum effectu gratiæ*, ob indiſpoſitionem ſuſcipientis. Omne ſacramentum poteſt eſſe informe, exceptâ Pœnitentiâ: quia in illâ, idem contritionis actus, qui eſt diſpoſitio neceſſaria ad effectum ſacramenti; eſt illius pars eſſentialis.

193. Sacramentum reuiuiſcit, quando ſuſceptum informe, ſublatâ fictione, indiſpoſitioneque ſuſcipientis, confert gratiam, per modum cauſæ moralis; vtpotè non exiſtens realiter: quinet Euchariſtia permanens, per modum cauſæ phyſicæ.

194. *Votum ſacramenti eſt deſiderium illius ſuſcipiendi, iunctum debitæ diſpoſitioni.*

195. *Sacramentale eſt res religioſo ritu ſacrata, ipſeque ritus.* RES. v. g. chriſma, oleum ſacrum, agnus Dei, aqua benedicta, &c. RITVS. v. g. ſignum crucis, exorciſmus, inſufflatio, &c.

196. *Cæremonia eſt ritus religioſus*, ſiue pertinens ad Dei cultum. Eiuſmodi cæremonia adhibetur in ſolenni ſacramentorum adminiſtratione, & aliàs; ſecundum approbationem Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 13.

197. Sacramentalia habent aliquos effectus, non

tamen infallibiles: quorum participes fiunt, piè & debitè ijs vtentes. Primus est excitatio piorum motuum, per gratiàs præuenientes. Secundus est remissio peccatorum venialium, mediantibus eiusmodi motibus; & pœnitentiâ expressâ, vel implicitâ. Tertius est remissio pœnæ temporalis, debitæ peccatis. Quartus est effugatio, vel repressio dæmonis. Quintus est sanitas corporalis, simileue beneficium temporale. Hos effectus causant sacramentalia, non ex opere operato, sed operantis: Ecclesiæ scilicet, oratione suâ eos impetrantis: fidelium quoque, piè vtentium sacramentalibus, v. g. signo crucis, aquâ benedictâ, &c.

De Baptismo.

198. SAcramentum Baptismi fuit adumbratum à Christo, in sui baptismo per Ioannem: fuit autem institutum ante passionem, & habuit tunc efficaciam, vi præcedentium meritorum Christi, & futuræ ipsius passionis, à Patre acceptatæ. Vnde fuit ante passionem vtilis Baptismus; demùm tamen cœpit esse necessarius post eam, factamque in Pentecoste promulgationem.

Secundum materiam, & formam, physicè consideratus

199. *Baptismus est aquea ablutio corporis, facta sub præscripta verborum forma.* AQVEA, facta per aquam elementarem. VERBORVM FORMA hac: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.*

Secundùm genus, & differentiam logicè consideratus

200. *Baptismus est sacramentum regenerationis per aquam, in verbo vitæ.* SACRAMENTVM est genus definiti. REGENERATIONIS, differentiæ vicem habet: nam in Baptismo est spiritualis regeneratio, dans primum esse spirituale, & vitam gratiæ: in pœnitentiâ potiùs est spiritualis resuscitatio, supponens vitam anteà habitam.

Baptismi materia remota, est aqua naturalis: proxima, est eiusmodi aquæ ablutio.

201. *Aqua naturalis est aqua vera, retinens speciem elementaris.* v.g. aqua marina fluuialis, fontana, putealis, pluuia, &c. non autem aqua distillata è plantis, herbis, rosis, eliquata è vite, &c.

202. *Ablutio est aquæ fluidæ motio, facta per baptizantem, circa corpus baptizati.* FACTA per applicationem aquæ ad corpus abluti; vti fit in aspersioue, & infusione: vel per applicationem corporis abluti, ad aquam; vti fit in immersione. Quæ immersio si sit submersio, validus erit Baptismus, sed illicitus: etiam illo casu, quo moriturus certò, aliter baptizari non posset: quia esset directa innocentis occisio. Non sunt enim facienda mala, vt eueniant bona.

203. Baptismi forma est, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs-Sancti.* Forma Græcorum, *Baptizetur seruus Christi*, &c. & quæ cunque alia, vt valida, debet esse synonima latinæ

204. Ordinarius Baptismi minister est Sacerdos; & ex eius commissione, Diaconus. In casu autem necessitatis, quilibet potest baptizare, absque solennitate; clericus, laicus, mulier, hæreticus, & paganus; dummodò vtatur materiâ, forma, & intentione debitis. Tamen cæteris paribus, præferendus est clericus laico; dignior clericus, minùs digno; vir feminæ; catholicus hæretico; baptizatus non baptizato. *Cæteris paribus* inquam, quia subinde est præferenda viro femina, ob honestatem, peritiamue baptizandi vel ad cauendam cognationem spiritualem: laicus quoque clerico cen surato, præsetim non tolerato.

205. Sacerdos sine ordinariis solennibus cæremoniis baptizans, extra necessitatem; peccat mortaliter; vti & baptizans alibi, quàm in fontibus sacris, alios quàm filios regum, principumue supremorum, qui alterius non sunt vassalli: vti explicat communiter recepta glossa ad Clementinam vnicam, de Baptismo. Et iste alibi baptizans, incurrit ipso facto excommunicationem, in Diœcesi Cameracensi.

206. Rebaptizantis punitio ciuilis, est pœna capitis; ecclesiastica, est irregularitas. Quando autem

dubius, & verè incertus est baptismus, potest conferri sub conditione: *Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine* Patris, *& Filij, & Spiritûs-Sancti.*

207. Primarius Baptismi effectus est gratia habitualis remissiua peccati originalis, & (si quod sit) actualis; quoad reatum culpæ, & pœnæ. Secundarius, est character.

208. Est triplex Baptismus: fluminis, flaminis, & sanguinis. E quibus, solus baptismus fluminis, est sacramentum: & consequenter iuxta Apostolum Ephes. 4. & symbolum Ecclesiæ, est *vnum baptisma.* Reliqua duo dicuntur metaphoricè baptismata; quia in necessitate supplent defectum sacramenti Baptismi: eò quòd ad positionem illorum, Deus confert gratiam non baptizatis.

209. *Baptismus flaminis est non baptizati, contriti, desiderium Sacramenti Baptismi*, conceptum ex inspiratione Flaminis sacri, siue Spiritûs-Sancti.

210. *Baptismus sanguinis est martyrium non baptizati.* Siue, *est martyrium, præcedens Baptismi sacramentum.* Vide partem 2.2. n.1066.

211. Ex Apostolico instituto adhibendus est in Baptismo aliquis suscipiens baptizatum: isque vocatur patrinus, fidei doctor, sponsor, & susceptor. *Patrinus.*, quia patris spiritualis munus implere debet, erga filiastrum, siue filium lustricum. *Fidei doctor*, quia in fide catholicâ, & moribus christianis debet docere baptizatum. *Sponsor*, quia spondet, & respondet pro baptizato, quòd sathanæ, pompis eius, omnibusque operibus abrenunciabit, *non solùm vocibus, sed etiam moribus: non tantùm sono linguæ, sed & actu vitæ: nec tantùm labijs sonantibus, sed operibus pronunciantibus*, vt loquitur hortatur que Augustinus. *Susceptor*, quia de manu baptizantis, baptizatum suscipit in fidem curamque suam.

212. In Baptismo suscipiens non potest esse, nisi vnus, & vna, ad summum. Conc. Trid. sess. 24. cap. 2. in Decreto de refor. Matrimonij.

213. Ante baptismum fœtûs humani monstrosi,

diligenter examinandum est, num sit homo. Si dubium subsit, baptizandus erit conditionatè, dicendo: *Si tu es homo, ego te baptizo*, &c. Si sit gemellus, cum duplici capite, & corde; vtrique capiti est adhibenda aquæ ablutio, & forma geminanda: vel pluraliter proferenda, dicendo: *Ego vos baptizo*, &c. Si ambigatur num sunt duo homines, vni capiti adhibenda est aqua, cum ordinariæ formæ prolatione: deinde alteri capiti, vel membro alterius putatitij hominis adhibebitur secunda ablutio, cum forma conditionata, *Si tu non es baptizatus, Ego te baptizo*, &c.

De Confirmatione.

214. *Confirmatio est sacramentum, quo baptizatus, in fronte vngitur chrismate, à legitimo ministro, sub præscriptâ verborum formâ.* CONFIRMATIO sic dicta, quòd suscipientem confirmet, eique det robur spirituale, ad firmiter corde credendum, & constanter oré confitendum christianam fidem. Quia etiam confirmat, & auget gratiam, in Baptismo susceptam. Hæc Confirmatio, Act. 8. & 10, & à Patribus vocatur *manûs impositio*, quia in illius collatione manus confirmantis imponitur fronti confirmati. QVO BAPTIZATVS: nam Confirmatio ad sui validitatem, præsupponit Baptismi characterem. Vnde non baptizatus Baptismo fluminis, est incapax Confirmationis: quantumuis præditus baptismo flaminis, & sanguinis. IN FRONTE, non in vertice, vti fit in Baptismo; sed in fronte, tanquam sede verecundiæ: ne confirmatus erubescat confiteri fidem religionemque Christianam. VNGITVR, in forma crucis, immediatè per manum ministri, non per aliud instrumentum: quia Confirmationi essentialis est immediata manûs impositio. CHRISMATE, oleo oliuarum, mixto balsamo, ab Episcopo benedicto. A LEGITIMO MINISTRO, Episcopo, tanquam ordinario ministro: vel Sacerdote, tanquam extraordinario commissario. SVB PRAESCRIPTA VERBORVM FORMA, quæ est: *Signo te signo*

crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs-Sancti.

215. Omnia præfata verba, ijsue æquiualentia, sunt de formæ essentia : nam per *Signo*, & *Confirmo*, exprimitur actus ministri, vt ab eo procedens : per pronomem *Te*, exprimitur persona confirmata : materia autem, & effectus, *Chrismate salutis*. Sequentia verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs-Sancti*, sunt itidem essentialia, vti in Baptismo : quia vtrumque est sacramentum fidei, quæ exigit explicitam trium personarum diuinarum, in vna essentia confessionem.

216. Confirmationis materia remota est Chrisma; proxima est chrismatis vnctio, per modum crucis, in fronte confirmati, immediate manu ministri.

217. *Chrisma est vnguentum, oleo oliuarum, balsamoque mixtum, ab Episcopo benedictum.* BALSAMO, siue opobalsamo : nam propriè *Balsamum* est arbuscula bicubitalis : *Opobalsamum* est arbusculæ succus pinguis, odoratus : *Xylobalsamum* est lignum arbusculæ : & *Carpobalsamum* est fructus illius. AB EPISCOPO BENEDICTVM : estque hæc episcopalis benedictio, essentialis Chrismati.

218. Vnde debent Episcopi satagere, vt benedicant chrisma, & oleum infirmorum, in tanta quantitate, quanta toti Diœcesi sufficiat ad administrationem sacramentorum : quæ aliàs exponuntur euidentissimo periculo inualiditatis, per mixtionem materiæ profanæ, factam primò per Episcopi substitutum, sacra olea distribuentem decanis christianitatum : secundò per eosdem decanos, distribuentes pastoribus: tertiò per ipsos pastores, olei benedicti sufficientia destitutos. Vide infra n. 442.

219. Confirmationis minister ordinarius, est solus Episcopus : extraordinarius, est simplex Sacerdos, habens summi Pontificis commissionem : vti patet ex Conc. Florentino, in decreto de Armenis; & Tridentino sess. 7. can. 3. de Confirmatione, & sess. 23. de Sacramento Ordinis cap. 4. & can. 7.

Itaque Christus instituit Sacramentum Confirmationis, ita vt solus Episcopus, ex sua ordinatione habeat completam potestatem illius conferendæ: simplex autem Sacerdos habeat illam inchoatam, quæ possit compleri per commissionem Papæ, & accessionem entis moralis. Sic eidem Sacerdoti, habenti vi ordinationis suæ, absoluendi potestatem ordinis incompletam; illa completur per Episcopi approbationem, & iurisdictionis concessionem: & fit idoneus minister Sacramenti Pœnitentiæ, qui antè non erat.

220. Confirmationis effectus primarius est gratia habitualis, baptismali par, imò maior: vti constat ex Scriptura, & Patribus, dicentibus antonomasticè conferri Spiritum-Sanctum, & plenitudinem gratiæ, per Confirmationem. Est inquam, gratia habitualis, quatenûs per se, sibique annexas gratias actuales, est animæ roboratiua in fide & religione Christiana. Effectus secundarius est character. Finis, ad quem Confirmatio est instituta, est robur, firmitas, & constantia in fide & religione Christianâ tenenda, & confitenda.

221. Confirmationis Sacramentum potest conferri pueris, statim à Baptismo, & aliàs ante vsum rationis; infallibiliterque consequuntur illius effectum. Confirmandus autem debet habere patrinum, & confirmanda matrinam; eumque confirmatum & diuersum à patrino baptismali.

De Eucharistia.

222. Eucharistia *est sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sub speciebus panis, & vini*: ad spiritualem fidelium nutritionem, diuinitùs institutum. EVCHARISTIA idem est, quòd *bona gratia.* EST SACRAMENTVM, vnicum totale; duo partialia, ratione duarum materiarum, & formarum partialium. CORPORIS, ET SANGVINIS; ita vt propriè corpus, & sanguis Christi, contentum sub speciebus, sit sacramentum Eucharistiæ. SVB SPECIEBVS, accidenti-

bus PANIS, ET VINI, existentibus ibi absque substantia, & subiecto.

223. Eucharistiæ in fieri materia transiens, est panis triticeus, & vinum de vite: forma, sunt verba consecrationis. Eucharistæ in facto esse, materia permanens, sunt accidentia panis & vini: forma, est corpus, & sanguis Christi. Est inquam panis vsualis, ex farina triticea, & aqua naturali confectus, & coctus: in Ecclesia latina azimus, in græca fermentatus.

224. *Eucharistica transsubstantiatio est conuersio totius substantiæ panis & vini, in corpus & sanguinem Christi* Hæc transsubstantiationis conuersio, non est annihilatio: quia licet illius terminus ad quem, sit nihil panis & vini; non est tamen absolute nihil. Vide p. 1. n. 490.

225. In Eucharistiâ est verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguis; cum animâ, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi. Conc. Trid. sess, 13. can. 1. *Verè*, in rei veritate, non tantùm significatione; quasi Eucharistia foret merum signum corporis & sanguinis Christi. REALITER, & non tantum figuratiuè; quasi Eucharistia foret mera figura, & nuda repræsentatio corporis & sanguinis Christi. SVBSTANTIALITER, & non tantum virtualiter, per energiam suam. Itaque *verè* opponitur signo: *realiter* figuræ: *Substantialiter* energiæ.

226. In Eucharistiâ *Species sacramentales sunt accidentia panis & vini, existentia sine subiecto.* SPECIES SACRAMENTALES, sic dictæ, quia corpori & sanguini Christi, dant esse visibile, & consequenter sacramentale, quia sacramentum est signum visibile. SVNT ACCIDENTIA. v.g. quantitas dimensiua, superficies, figura, color, odor, sapor, humor, &c. EXISTENTIA supernaturaliter SINE SVCIECTO inhæsionis. Aliàs *accidentis esse, est inesse*: id est, naturalis existentia accidentis, est inhærentia actualis: illius autem existentia supernaturalis, est inhærentia aptitudinalis: qualis etiam hic subest.

227. In formâ consecrationis, *corpus* non est substantia

ſtantia totalis, compoſita ex materiâ & formâ; ſed eſt eiuſmodi compoſiti ſubſtantialis pars materialis, prædita mole quantitatiuâ: id eſt, conſtans tribus dimenſionibus, longitudine, latitudine, profunditate. Itaque in eadem formâ conſecrationis,

218. *Corpus eſt phyſici compoſiti humani pars materialis, diſtincta à ſanguine.* Siue, *eſt corpus organicum humanum, à ſanguine condiſtinctum.* ORGANICVM, habens diuerſas diſpoſitiones, qualitates, & figuras. HVMANVM, proximè aptum informari animâ rationali: conſtans carne, oſſibus, neruis, & humoribus, vno excepto ſanguine. Non quòd ſanguis ſignificetur abeſſe, ſed quia non ſignificetur adeſſe.

219. In eâdem formâ conſecrationis, *Sanguinis* nomine intelligitur ſanguis perfectus, & elaboratus; non autem (probabiliter) imperfectus, & alimentarius: qui etiam vocatur *cauſa ſanguinea*, id eſt coagulatio fluida quatuor humorum, prædominante ſanguine pituitæ, bili, & melancholiæ. Hæc porrò maſſa ſanguinea fit per tertiam concoctionem. Nam ex cibo, & potu, per primam concoctionem fit chylus: per ſecundam, ex chylo fit chymus; per tertiam, in iecore ex chymo fit maſſa ſanguinea. Ex quâ, tanquam alimento communi, reſtaurantur omnes corporis partes; ab eâ trahentes nutrimentum familiare: quædam ſanguineum, aliæ pituitoſum, aliæ bilioſum, aliæ melancholicum.

230. *Sanguis eſt humor rubicundus, calidus, per venas & arterias fluidus.* RVBICVNDVS, rubens intensâ rubedine.

231. *Sanguis perfectus eſt humor rubicundus, calidus, temperatus, ab alijs humoribus ſecretus, per venas & arterias fluens.*

232. *Sanguis alimentarius eſt humor rubidus, alijs tribus miſtus, prædominanſque; in venis & arterijs fluidus.* RVBIDVS, dilutam habens rubedinem.

In Euchariſtiâ quædam continentur *ex vi verborum*, id eſt per efficaciam verborum formæ conſecrationis

quædam *per concomitantiam*, id est per connexionem vnius cum altero.

233. Itaque in Eucharistiâ *id continetur ex vi verborum, quod expreßè significatur per verba formæ:* ita vt hæc falsa foret, si illud abesset. Vnde sub specie panis, continetur corpus, ex vi verborum; quia verba expresè dicunt, *Hoc est corpus meum:* & si corpus abesset, verba forent falsa: non item, si abesset sanguis, anima, & diuinitas.

234. *Per concomitantiam continetur id, quod per verba formæ non exprimitur, sed habet necessariam connexionem cum expresso per ea.*

235. In hac materiâ, *Concomitantia est connexio alicuius, cum eo, quod est ex vi verborum, in Eucharistiâ.* Hæc concomitantia est duplex: vna naturalis, alia supernaturalis, ratione vnionis hypostaticæ

236. *Concomitantia naturalis est connexio partium naturæ humanæ, inter se.* Scilicet anima rationalis, corporis, & sanguinis.

237. *Concomitantia supernaturalis est vnio Verbi, naturæque diuinæ, cum humanâ.* Hæc iterùm est duplex: vna immediata, altera mediata.

238. *Concomitantia supernaturalis immediata est vnio personalitatis Verbi, cum humanitate Christi.* Scilicet cum illius animâ, corpore, & sanguine,

239. *Concomitantia supernaturalis mediata est vnio naturæ diuinæ, cum humanâ.* NATVRÆ DIVINÆ, ipsius diuinitatis, personarumque diuinarum primæ, ac tertiæ.

240. Itaque sub specie panis, ex vi verborum, est tantùm corpus: sub specie vini, est tantum sanguis: quia illorum tantùm fit expressa mentio, respectiuè in verbis formæ. Per concomitantiam naturalem, sub specie panis, est sanguis, & anima: & sub specie vini, est corpus, & anima: sub vtrâque autem specie, per concomitantiam supernaturalem immediatam, est Verbum: & per mediatam, ratione Verbi, est natura diuina; siue diuinitas; item Pater, & Spiritus-Sanctus.

241. In formâ consecrationis, pronomen *Hoc*, & *Hic*, demonstrat contentum sub speciebus, in confuso: ita tamen vt in fine prolationis operatoriæ, propositio verificetur pro corpore, & sanguine Christi: estque sensus. *Hoc* ens, contentum sub speciebus, *est corpus meum*: *Hic* liquor, contentus sub speciebus, *est sanguis meus*. Et consequenter non est propositio identica; vti nec quando intendens digitum in aurum, vel Ioannem, dico, *Hoc est aurum*; *Hic est Ioannes*. Non enim est sensus, Aurum est aurum, Ioannes est Ioannes; sed, Hoc

242. ens est aurum, Hic homo est Ioannes. Nam * *propositio identica est enunciatio eiusdem de eodem, sub eâdem ratione*.

243. Eucharistiæ effectus est gratia habitualis, quatenus per se, sibique annexas gratias actuales, est nutritiua, augmentatiua, & vnitiua cum Christo. Hic effectus est promissus dignè manducanti, id est cibum transmittenti in stomachum, per os & fauces: etiamsi species sacramentales integræ deglutiantur, sine vllâ dentium masticatione.

244. *Missa est sacrificium incruentum corporis & sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini*. MISSA videtur esse nomen Hebraicum, à suâ natiuâ scabritie nonnihil leuigatum: nam Deut. 16. *Missach* significat oblationem spontaneam. Imo potius est latinum, significans missionem, siue dimissionem. Et quia olim erat duplex dimissio assistentium sacrificio eucharistico; hinc erat duplex Missa: vna catechumenorum, altera fidelium. Illa consistebat ab initio vsque ad offertorium: quò cum peruentum erat, clamabat Diaconus, *Si quis est cathecumenorum, exeat foras*. Vnde Augustinus sermone 237. de tempore c. 8. *Ecce*, inquit, *post sermonem fit missa catechuminis, manebunt fideles*. Missa autem fidelium consistebat in toto decursu sacrificij, à principio ad finem; in quo Diaconus dimittens in pace populum, dicebat, *Ite, Missa est*: Missio, & dimissio fit vobis: Abire licet vobis. Est

245. quia * *est oblatio externa rei sensibilis, per realem mutationem, à legitimo ministro facta Deo, in testimonium supremi dominij ipsius, & nostræ subiectionis.* EST OBLATIO: in actu signato oblatio panis & vini, tanquam materiæ transeuntis, præsuppositæ actioni sacrificali: in actu exercito oblatio corporis & sanguinis Christi, tanquam hostiæ: oblatio inquam, contenta in consecratione; cui ex instituto Christi, annexa est oblatio. EXTERNA, non merè interna, & mentalis; sed panis & vini externa, & verbalis per verba *Suscipe*, & *Offerimus*: corporis quoque, & sanguinis externa oblatio, & verbalis, per verba consecrationis. REI SENSIBILIS panis & vini; sed & corporis & sanguinis Christi, sensu externo perceptibilis, ratione specierum sacramentalium. PER REALEM MVTATIONEM panis & vini; per veram quoque reproductionem Christi, tanquam termini ad quem actionis sacrificalis. Vnde non est opus, quòd Christus sic reproductus, realiter mutetur: quia non est materia, actioni sacrificali præsupposita: sicut fuit idem Christus viuus materia sacrificij cruenti. Itaque in transsubstantiatione Eucharisticâ, ratio sacrificij reperitur non in desitione termini à quo; sed in productione termini ad quem, tanquam excellentioris. Vti etiam consistebat in sacrificio thimiamatis, & incensi: cuius suffitus principaliter offerebatur. A LEGITIMO MINISTRO, Sacerdote, FACTA DEO, eique soli, tanquam supremus cultus latriæ. IN TESTIMONIVM, &c. expressè, vel implicitè, hoc ipso, quo Missam celebrans, vult facere id, quod Christus instituit. Itaque à definitione ad definitum, Missa est verum sacrificium: sed INCRVENTVM, id est, absque san-

246. guinis, extra venas effusione. Nam * *Cruor est sanguis, è venis effusus.*

247. Sacrificium Missæ, ex opere operato (tempore à prouidentiâ diuinâ destinato) causat gratias actuales præuenientes, quibus iusti excitantur ad pios motus, & augmentum iustitiæ: peccatores autem

ad pœnitentiam : & consequenter causat peccatorum etiam mortalium remissionem, quoad culpam & pœnam. *Huius quippe oblatione* (ait Tridentinum sess. 22. cap. 2.) *placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.*

248. Sacrificij Missæ valor, & effectus, ex opere operantis Ecclesiæ, & Sacerdotis, est absolutè finitus. Eiusdem sacrificij, ex opere operato valor, est absolutè infinitus : quia ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, dignitas ipsius est infinita ; non minus quàm sacrificij cruenti. Effectus tamen est finitus, & valoris applicatio est limitata : idque ex ordinatione Christi, qui voluit sacrificium incruentum

249. sæpius repeti. Hic autem sacrificij * *Missæ valor est moralis dignitas, quam habet ex parte offerentis, & rei oblatæ.*

250. Eiusdem * *Missæ effectus est id, quod actu datur, intuitu præfatæ dignitatis.*

251. Effectus sacrificij Missæ est duplex : ex opere ope-

252. rato, & ex opere operantis. * *Effectus operis operati est ille, qui annexus est à Deo, actioni sacrificali,* præcisè spectatæ ; seclusâ deuotione, aut indeuotione offerentis priuati.

253. *Effectus operis operantis est ille, qui correspondet deuotioni offerentis priuati.*

254. Ex antedictis sequitur (vti notamus in *Faculâ Sacerdotum*) quòd quò pluribus applicatur fructus & effectus Missæ ; eò minor portio singulis obueniat. Sequitur insuper, quòd obligatus celebrare duas Missas, pro duobus ; non satisfaciat in conscientiâ, celebrando vnam pro ambobus. Quia vtrumque fraudat mediâ parte fructûs.

255. Præfati duplicis fructûs & effectûs applicatio fieri debet per intentionem offerentis. Et nominatim fructûs operis operati applicatio, debet expresè vel implicitè fieri viuis atque defunctis, ante vtriusque speciei consecrationem; in quâ essentialiter completur

sacrificium, causans suum effectum, absque suspensione & dilatione.

256. Sacerdos sacrificans ex priuatâ deuotione, absque obligatione beneficij, officij, honorarij, promissionis; potest sibi, & alijs, in totum, vel in partem, applicare fructum operis operati, & operis operantis: pro impetrandis beneficijs spiritualibus; quin & temporalibus (v. g. sanitate, longæuitate, &c.) quantum conducunt ad Dei honorem, & animarum salutem. Sacrificans autem ex obligatione beneficij, officij, honorarij, promissionis; pro vno, vel pluribus; debet illis applicare totum fructum operis operati, solidè vel partialiter; pro ratione intentionis celebrantis Missam, vel curantis celebrari. *Solidè*, id est, applicando viuis totum fructum operis operati; & tantùm ex opere operantis, aliquid defunctis: vel è diuerso. *Partialiter*, id est, applicando fructûs operis operati partem viuis, & aliam partem defunctis.

De Pœnitentia.

257. *Poenitentia est Sacramentum, quo baptizatis relapsis, contritis, confessis, ac satisfacere proponentibus, impenditur absolutio à peccatis.* POENITENTIA sic dicta, quòd pœnam teneat, sibique vindictam infligat. EST SACRAMENTVM, à Christo institutum Ioannis 20. per illa verba, *Accipite Spiritum-Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus verbis* (ait Tridentinum sess. 14. cap. 1) *potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit.* QVO BAPTIZATIS: quia non baptizati non sunt capaces sacramenti Pœnitentiæ: secùs est de actu pœnitentiæ, qui debet elici à non baptizatis, & à baptizandis. RELAPSIS in peccata, post Baptismum: nam commissa ante illum, non sunt materia remota sacramenti Pœnitentiæ.

CONTRITIS, per veram contritionem. CONFESSIS integrè, saltem formaliter. AC SATISFACERE PROPONENTIBVS, iuxta Confessarii rationabile præscriptum. IMPENDITVR ABSOLVTIO, tanquam forma sacramenti.

258. Pœnitentiæ, sicut & cæterorum sacramentorum, duæ sunt partes essentiales: materia, & forma. Materia remota sunt peccata, post Baptismum commissa: proxima materia, sunt actus pœnitentis, contritio', confessio, & satisfactio. Qui à Concilijs Florentino & Tridentino dicuntur *quasi materia*, quia non sunt materia corporalis, & res permanens, vti aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione, oleum in Extremâ vnctione.

259. Præfatorum actuum contritio & confessio sunt essentiales, satisfactio est integralis.

260. Sacramenti Pœnitentiæ forma est, *Absoluo te à peccatis.* Quamuis autem probabile sit, duo prima verba sufficere ad essentiam formæ; tamen probabilius est, duo posteriora esse etiam necessaria: conformiter ad verba Christi, sacramentum hoc instituentis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Aliás *Absoluo te*, manebit indifferens & indeterminatum ad absolutionem á censuris, pœnis, iuramento, voto, promissione, &c. nisi restringatur ad peccata,

261. Porrò *Ego te absoluo à peccatis*, hoc est, impendo tibi absolutionis sacramentum, de se habens vim remittendi peccata, si nihil obstet. Item: Quantum est ex parte sacramenti, quod tibi administro, confero tibi gratiam sanctificantem, ex se remissiuam peccatorum. Item, Ego soluo peccatorum tuorum vincula; siue quoad culpam, siue pœnam, siue obligationem confitendi, siue aliam rationem, quâ te ligare possunt.

262. *Pœnitentia virtus est habitus, inclinans ad dolorem peccati proprii, vt offensa Dei*, cum emendationis satisfactionisque proposito, spe petitioneque veniæ.

263. *Pœnitentia actus est dolor peccati proprii, vt offensa Dei*, cum emendationis satisfactionisque proposito, spe petitioneque veniæ. Hic pœnitentiæ actus debet procedere ex gratiâ actuali, & ex motiuo supernaturali; vt habeat conuenientem proportionem cum iustificatione, ad quam disponit. Idem pœnitentiæ actus fuit quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarius, iuxta Conc. Trid. definitionem sess.14.cap. 1. & 4. Necessarius inquam, necessitate medij, & præcepti: & quidem formalis & explicitus, per se, aliquando tamen in immemore peccatorum, aut impedito eliciendis actibus aliarum virtutum, sufficit virtualis & implicitus, in actu dilectionis Dei, super omnia.

264. Pœnitentiæ præceptum, vtpote affirmatiuum, non obligat ad semper, neque statim à peccato mortali commisso; sub nouo peccato impœnitentiæ. Potest autem obligare per se, & per accidens.

265. *Præceptum pœnitentiæ obligat per se, quando ex ipso directè & immediatè oritur debitum pœnitendi:* non autem ex præcepto alterius virtutis. *Per se.* v. g. in articulo, euidentique periculo mortis peccatoris: vrgente graui tentatione impœnitentiæ: excitante Deo ad contritionem: aliquoties per vitam; & quidem toties, vt moraliter loquendo dilatio contritionis non censeatur Dei contemptus. Quandocunque autem præceptum pœnitentiæ obligat per se, tunc omissio illius, est speciale peccatum impœnitentiæ. Hæc autem specialis

266. *Impœnitentia est persistentia in peccato mortali, cum formali virtualiue proposito non pœnitendi.* Siue, *est propositum non pœnitendi, quando peccator potest, & per se debet.* PROPOSITVM expressum, aut virtuale. PER SE DEBET, ratione præcepti pœnitentiæ, obligantis directè. Nam si per accidens tantum debeat pœnitere, omissio contritionis non erit speciale peccatum contra virtutem pœnitentiæ, distinctum à peccato contra aliam virtutem, tunc obligantem. Quia prior obligatio tunc non censetur distincta formaliter

à secundâ. Similiter quando omissio pœnitentiæ est culpabilis tantùm, ratione peccati imminentis; tunc non habet malitiam distinctam ab illo peccato: quia eiusmodi omissio solùm est mala ex eo, quòd sit interpretatiua volitio dicti peccati.

267. *Præceptum pænitentiæ obligat per accidens, quando non ex ipso directè & immediatè oritur debitum pænitendi, sed aliundè*, Scilicet ex præcepto alterius virtutis obligantis, ad cuius exercitium necessarius est actus pœnitentiæ. v. g. quando peccator tenetur, aut liberè vult suscipere, vel administrare sacramentum; quando difficile opus virtutis est aggrediendum; aut superandæ graues tentationes: quando ratione proprij priuati peccati, communitas incidit in euidens periculum diuinæ punitionis. Item probaliliter quando est sanctificandum sabbatum, aliàsue orandum.

268. Quia per pœnitentiam reuiuiscunt opera mortificata, ideo de ijs hìc agendum est. Possunt autem assignari varia hominis opera: v. g. indifferentia, moraliter bona, viua, mortua, media, nociua, mortifera, mortificata, viuificata.

269. *Opera indifferentia sunt ea, quæ naturâ suâ non habent conformitatem, nec difformitatem ad rectam rationem.* v. g. comedere, bibere, ambulare, &c.

270. *Opera moraliter bona sunt ea, quæ ex solo dictamine rectæ rationis fiunt conformiter ad illam.* v. g. moralis amor, & honor parentum, &c.

271. *Opera viua sunt meritoria opera iusti*, procedentia ex Spiritûs-Sancti inhabitantis gratiâ actuali, & habituali, tanquam principio vitali. Ideoque sunt de condigno meritoria vitæ æternæ. v. g. dilectio Dei super omnia, oratio, eleëmosyna, &c. Scholasticorum sensu,

272. *Opera mortua sunt peccatoris impænitentis opera virtutum*, vitâ gratiæ habitualis priuata. v. g. peccatoris obstinati oratio, eleëmosyna, ieiunium, &c. Tamen scriptura per opera mortua, intelligit peccata mortalia.

273. *Opera media sunt peccatoris pænitentis opera vir-*

tutum, procedentia ab ſpiritûs-Sancti mouentis, non inhabitantis gratiâ actuali. v. g. hominis pœnitentis attritio, reſtitutio alieni, &c. Vocantur *opera media*, quia inter viua & mortua tenent locum medium. Non ſunt enim ſimpliciter viua, cùm deſtituantur principio vitali Spiritûs-Sancti inhabitantis, & gratiæ habitualis. Non ſunt etiam ſimpliciter mortua, quia procedunt abs Spiritûs-Sancti mouentis gratiâ actuali; & ab homine incipiente viuificari.

274. *Opera mortifera ſunt peccata mortalia.* Siue, *ſunt opera, quæ adferunt mortem ſpiritualem:* ad ſenſum 1. 2. n. 418. Subinde hæc latiùs ſumuntur: & ſic latè ſumpta

275. *Opera mortifera ſunt ea, quæ operanti adferunt mortem, aut ſaltem nocumentum ſpirituale*: & ſic comprehendunt opera nociua. Quæ

276. *Opera nociua ſunt ea, quæ operanti adferunt nocumentum ſpirituale.* Cuiuſmodi ſunt, non tantùm peccata mortalia, ſed etiam venialia.

277. *Opera mortificata ſunt iuſti opera meritoria, per peccatum ſubſequens priuata vitâ*: id eſt, efficaciâ perducendi operantem ad vitam æternam, Cuiuſmodi ſunt merita iuſti, in peccatum mortale lapſi.

278. *Opera viuificata ſunt iuſti opera meritoria, vita reſtituta.* Id eſt, per ſubſequens peccatum vitâ priuata; deinde per pœnitentiam reſtituta vitæ, ſiue efficaciæ perducendi authorem ad vitam æternam.

279. *Mortificatio operum bonorum eſt priuatio efficaciæ perducendi authorem ad vitam æternam.*

280. *Reuiuiſcentia operum mortificatorum eſt recuperatio priſtinæ efficaciæ perducendi authorem ad vitam æternam.*

281. Opera mortua & mortifera non reuiuiſcunt, quia nunquam habuerunt vitam, quam perditam poſſint recuperare.

282. Opera mortificata reuiuiſcunt, non quòd mutationem propriè ſuſcipiant per peccatum ſubſequens, ſiue ſuperuenientem pœnitentiam: cùm eiuſmodi opera ſint tranſeuntia, ſtatimque deſinentia: ſed quia

remanentia in acceptatione diuina, peccato perdunt vim perducendi authorem suum ad vitam æternam; pœnitentia eandem vim recuperant.

283. Opera media absolutè non reuiuiscunt, aliquatenùs tamen: quatenùs scilicet eorundem in acceptatione diuina manentium intuitu, à Deo de congruo gratiæ conferuntur; vel temporalia bona dantur, malaue auertuntur.

284. *Opus supererogationis est consilij opus bonum, supra obligationem præcepti factum.* OPVS SVPEREROGATIONIS sic dictum conformiter ad Lucæ caput 10. & *est opus bonum, obseruationi mandatorum spontè superadditum*, tanquam supernumerarium, mantissa, & superpondium.

De contritione, & attritione.

285. ATtritionis, & Contritionis vocabulum sumitur per translationem, & ad similitudinem corporis duri, quod exterius & superficie tenus affrictu deraditur; in scrobem, & ramenta atteritur: vel exteriùs interiusque dissoluitur, in minutias redigitur, penitùsque conteritur. Nam similiter induratum cor peccatoris, per Dei gratiam, & resipiscentis pœnitentiam, imperfectè atteritur, vel perfectè conteritur.

286. Iuxta Tridentinum sess. 14. cap. 4. Contritio accipitur aliquando generaliter, ita vt comprehendat contritionem perfectam, & imperfectam, siue attritionem salutarem. Sic generaliter accepta

287. *Contritio est detestatio proprij peccati, & dolor animi, cum proposito non peccandi de cætero, & spe, petitioneque veniæ.* EST DETESTATIO, displicentia, auersio, odium, & abominatio mali, ac PROPRII PECCATI, quoad reatum culpæ: nam contritionis detestatio restringitur ad eiusmodi reatum proprij peccati actualis, & (lato modo) originalis.

288. Hæc detestatio præmittitur dolori, tanquam causa effectui: nam *displicentia dolorem causat in eo, qui susceptiuus est doloris*, ait D. Thomas in 3. p. q. 84. a.

8. Displicentia, inquam, *proprij peccati*; sed & suiipsius, tanquam peccati authoris: iuxta Ezechielis 6. *Displicebunt sibimet, super malis, quæ fecerunt.* ET DOLOR ANIMI, tristitia voluntatis, peccatum tanquam malum præsens auersantis; & illud expellere conantis. Contritio itaque est dolor, non tantùm causaliter, sed essentialiter, & formaliter. Ideoque in beatis, in quibus est detestatio peccati, non est tamen contritio, propter ab-

289. sentiam doloris. * Hic autem contritionis dolor, est *animi*, non appetitûs sensitiui: qui tamen dolor, propter sympathiam appetitûs rationalis cum sensitiuo, sæpè ex illo in hunc redundat, & gemitibus lachrymisque exprimitur. Et hic dolor sensitiuus, à voluntate imperatus, est optimus; non tamen absolutè necessarius: quia sine eo potest consistere perfecta contritio in voluntate: quia etiam dolor ille sensitiuus non est semper in potestate pœnitentis; & sæpè destituitur verâ displicentiâ.

290. Porrò hic contritionis dolor debet esse supernaturalis, & procedere ex actuali auxilio diuino, vti constat ex Trid. sess. 6. in decreto de Iustificatione cap. 5. 6. & 7. & can. 3. quia dispositio ad effectum supernaturalem, scilicet peccati remissionem, & iustificationem, debet esse supernaturalis, vt sit conueniens proportio. Idem dolor animi, & tristitia de peccato commisso, causat vindictam illius, & punitionem per opera satisfactoria: nam *quæ secundùm Deum est tristitia, operatur vindictam.* 2. Cor. 7. Concipitur autem ex amore Dei, illiusue timore, aut turpitudinis peccati consi-

291. deratione, alioue motiuo supernaturali. * CVM PROPOSITO NON PECCANDI DE CÆTERO, cum deliberatâ resolutâque voluntate non peccandi in posterum. Et hoc propositum requiritur ad contritionem, quia illa continet vitæ veteris odium, & nouæ propositum, ac inchoationem, teste Tridentino sess. 14. cap. 4. significante idipsum scripturâ Isaiæ 1. *Quiescite agere peruersè, discite benefacere.* & psal. 36. Decli-

na à malo, & fac bonum. Et certè, ad recuperandam offensi amicitiam, præter dolorem de iniuria illatâ, requiritur propositum illius non irrogandæ in posterum. ET SPE VENIÆ, siue *cum fiduciâ diuina misericordia*, vti loquitur vtroque modo Trid. sess. 14. cap. 4. Nam detestatio dolorque de peccato, sine spe veniæ, est contritio Cain, & Iudæ, id est mera desperatio. PETITIONEQVE VENIÆ: contritio enim requirit vtrumque, veniæ spem, & illius petitionem: nam sine hac, illa foret inutilis.

292. *Detestatio est displicentia, & abominatio mali.*

293. *Dolor animi est actus voluntatis, malum præsens auersantis illudque expellere conantis.*

294. *Propositum est deliberata voluntas exequendi id, quod electum est, ad aliud assequendum.*

295. *Propositum non peccandi de cætero, est deliberata voluntas, firmiter statuens euitationem peccati, in posterum.*

296. *Spes veniæ est actûs voluntatis, certâ cum fiduciâ expectantis à Deo remissionem peccati*, quoad culpam præcipuè.

297. *Fiducia diuina misericordia est promptitudo voluntatis, ex persuasione obtinendæ remissionis peccati*; excludens inordinatam fluctuationem, ob infallibilem Dei promissionem.

298. *Petitio veniæ est postulatio condonationis offensæ.* Siue, *est oratio, quâ peccator petit à Deo condonationem peccati*, quoad culpam, & pœnam æternam.

Præfata generalis contritio, n. 287. definita, diuiditur in attritionem, & contritionem specialiter dictam.

299. *Attritio est detestatio proprij peccati, & dolor animi, ex motiuo supernaturali, alio quàm amoris Dei conceptus*; cum proposito non peccandi de cætero, & spe, petitioneque veniæ. ALIO, QVAM AMORIS DEI super omnia CONCEPTVS: communiter ex turpitudinis peccati consideratione; vel ex gehennæ, & pœnarum metu, vt ait Trid. sess. 14. cap. 4. item ex amore virtutis, & beatitudinis æternæ, &c. *Metu* autem relinquente voluntarium absolutum, & non causante

inuoluntarium secundùm quid: vti diximus in t. 2. n. 186. & 187.

300. *Contritio est detestatio proprij peccati, & dolor animi, ex amore Dei super omnia, conceptus*; cum proposito non peccandi de cætero, & spe, petitioneque veniæ. PROPRII PECCATI, quia contritionis detestatio, non est de peccato merè alieno: quod scilicet ab alio, ità commissum est, vt reatus illius nullatenùs contrito sit imputandus. Potest quidem, imò debet quisque detestari peccata aliena, & de ijs dolere; verùm ista detestatio, & dolor, non est contritionis & pœnitentiæ actus: sed charitatis, & misericordiæ. PROPRII ergò peccati, & quidem præteriti, non autem futuri: quia contritionis obiectum materiale, est peccatum commissum, ad cuius destructionem nititur, proponens cauere futurum. ET DOLOR ANIMI, EX AMORE DEI SVPER OMNIA, tanquam motiuo formali, CONCEPTVS. Ideoque contritionis efficaciam ad delenda peccata, scriptura tribuit charitati, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multùm*, & 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Trid. sess. 14. cap 4. dicit contritionem, ab imperfectâ distinctam, esse charitate perfectam. Potest autem duobus modis dici charitate perfecta contritio: primo ea, quæ est informata charitate habituali, & procedit ab actuali inde elicitâ: & hæc contritio non disponit ad remissionem peccatorum, & iustificationem: sed eam præsupponit Secundo ea, quæ concipitur ex motiuo dilectionis Dei; & quæ procedit ab actuali charitate, elicitâ per auxilium diuinæ gratiæ: & hæc disponit ad remissionem peccatorum, & iustificationem iuxta

301. allegatas scripturas Lucæ 7. & 1. Petri 4 * CVM PROPOSITO, regulariter formali, & expresso, NON PECCANDI DE CÆTERO: per accidens tamen, ratione ignorantiæ, inuincibilis, inconsiderationis, angustiæ temporis; &c. potest sufficere propositum virtuale, & implicitum.

Contritio quatenùs est sacramenti pœnitentiæ pars

materialis, præter iam dicta, debet esse sensibilis, & habere propositum confitendi, & satisfaciendi. Itaque sacramentalis

302. *Contritio est detestatio proprii peccati, & sensibilis dolor animi, ex amore Dei super omnia conceptus; cum proposito emendationis, confeßionis, & satisfactionis, spe petitioneque veniæ.* PROPRII PECCATI actualis, post Baptismum commissi. ET SENSIBILIS DOLOR, non necessariò sensitiuus, vti diximus n. 289. sed *sensibilis*, id est, externo sensu perceptibilis, per confessionem, aliaque externa signa doloris interni. Cùm enim hæc contritio sit pars Sacramenti sensibilis, ipsa debet itidem esse sensibilis. CVM PROPOSITO EMENDATIONIS, & obseruationis mandatorum diuinorum: CONFESSIONIS, ET SATISFACTIONIS sacramentalis, &c. Hæc enim contritio (iuxta Trident. sess. 14. cap. 4.) includit *votum præstandi reliqua, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.*

303. Attritio n. 299. & contritio n. 300. & 303. definitæ sunt inter se distinctæ essentialiter: quia sunt actus pœnitentiæ, differentes motiuis formalibus: Dei inquam timore, & amore; ad sensum præfati n. 299.

304. Multi graues Theologi tenuerunt, quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ, illiusque effectum, non sufficiat attritio essentialiter distincta contra contritionem: sed quòd requiratur attritio, habens essentialem rationem contritionis, conceptæ ex motiuo dilectionis Dei, super omnia. Contritionis, inquam, licet imperfectæ; ob debilitatem amoris Dei, detestationis peccati, doloris animi, propositi emendationis, obseruationisque mandatorum diuinorum, & spei veniæ. Debilitatem autem omnium præfatorum, vel alicuius eorum. Verum firmiter tenenda est doctrina Concilij Tri-

305. dentini, sess. 14. cap. 4. dicentis: * *Docet præterea* sancta Synodus, *etsi contritionem hanc, aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque*

Deo reconciliare, priusquam hoc pœnitentiæ *Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse ascribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum* Dei *esse, &* Spiritûs-*Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis: quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine Sacramento* Pœnitentiæ*, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam, in Sacramento* Pœnitentiæ *impetrandam disponit.*

306. Ad contritionem requiritur dolor, aliquatenus summus: vti constat ex Deut. 30. *Si ductus pœnitudine cordis, reuersus fueris ad Dominum, in toto corde tuo, miserebitur tui.* Et Ioëlis 2. *Conuertimini ad me, in toto corde vestro.* Requiritur autem dolor summus appreciatiuè, non intensiuè: summus absolutè, vel comparatiuè.

307. *Dolor intensiuè summus est actus voluntatis, peccatum auersantis, conatu maximo.* VOLVNTATIS, auxilio diuino adiutæ. PECCATVM, tanquam malum præsens AVERSANTIS, detestantis, & illud expellere conantis. CONATV MAXIMO, summo, & intensissimo absolutè, vel comparatiuè.

308. *Dolor intensiuè summus absolutè, est actus voluntatis, peccatum auersantis, secundùm totam intensionem gratiæ, virlumque suarum.* GRATIÆ actualis quin & in iusto habitualis, tanquam principii radicalis meritoriæ operationis, vti diximus 1. 2. n. 627. & n. 606. VIRIVMQVE SVARVM, gratiâ adiutarum.

309. *Dolor intensiuè summus comparatiuè, est actus voluntatis, peccatum auersantis, conatu intensiore, quam quodlibet aliud malum.* Non tamen conatu absolutè summo, neque secundùm totam latitudinem gratiæ,

viriumque

viriumque suarum illâ adiutarum.

510. *Dolor appreciatiuè summus, est actus voluntatis, auersantis peccatum, tanquam maximum malorum*, ita vt malit quoduis malum subire, & bonum creatum perdere, quàm peccare. Etiamsi id faciat auersione remissâ, & conatu debiliore.

De Confessione.

511. *Confeßio sacramentalis est pœnitentis accusatio propriorum peccatorum, facta Sacerdoti, ad obtinendam illorum absolutionem*, ACCVSATIO, facta immediatè ore pœnitentis, per verba propriè dicta: nisi impossibilitas absoluta, vel moralis permittat illam fieri præsenti Confessario, per interpretem, nutus, signa, scriptum. POENITENTIS, peccatoris contriti, & contritione suâ animantis confessionem suam.

512. ACCVSATIO inquam, id est externa propriæ culpæ agnitio: non inficiatio, excusatio, meraue narratio; multò minùs propriarum virtutum prædicatio. PROPRIORVM PECCATORVM, non alienorum, quâ talium: nisi scilicet ratione omissionis, aut commissionis, aliena peccata fiant propria. PECCATORVM inquam, à Baptismo commissorum: nam sola peccata, post Baptismum commissa; sunt sacramenti Pœnitentiæ materia remota; & confessio eorundem, materia proxima. FACTA SACERDOTI præsenti, tanquam vicario Christi. Quia solus Sacerdos est minister sacramenti Pœnitentiæ, & quidem tanquam vicarius Christi; vti expresse ait Tridentinum sess. 14. cap. 5. Ideoque Sacerdos absoluens: ait se id facere authoritate Christi, summi Pontificis, sibi concessâ. AD OBTINENDAM ILLORVM ABSOLVTIONEM sacramentalem: nam finis confessionis, à pœnitente intentus, est sacramentalis absolutio; non consultatio, consilii, remediiue, petitio, &c.

513. Confessio sacramentalis debet esse integra, saltem formaliter, si non materialiter.

314. *Confeßio integra, est accusatio omnium peccatorum mortalium, quoad speciem, numerum, & circumstantias*, PECCATORVM, à Baptiſmo commiſſorum, diligenti examine diſcuſſorum; aliàs non legitimè confeſſorum. CIRCVMSTANTIAS mutantes ſpeciem, & (probabiliter) aggrauantes notabiliter intra eandem ſpeciem.

315. *Confeßio integra materialiter, est accusatio omnium peccatorum, nullo prætermiſſo.*

316. *Confeßio integra formaliter, est accusatio peccatorum, quæ pœnitens potest, & debet hic & nunc confiteri:* Etiamſi quædam ſubticeat, per impoſſibilitatem abſolutam, vel moralem: aut per ignorantiam, obliuionemue inculpabilem,

317. Impoſſibilitatem abſolutam hic voco eam, quâ quis reuerâ non poteſt omnia ſua peccata confiteri; ob imminentem rationis deſtitutionem perpetuam, mortem, &c. Impoſſibilitatem moralem voco eam, quâ quis poteſt quidem confiteri, ſed cum confeſſarij, ſui, vel tertij graui detrimento animæ, vitæ, famæ, &c. Vbi autem hæc impedimenta ceſſarint, facienda erit confeſſio materialiter integra.

318. Ignorantiam, ſiue obliuionem inculpabilem voco eam, quæ non eſt peccatum mortale, neque nata eſt ex negligentiâ mortali.

319. Secundum Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7, confeſſionis integritas pendet à quatuor punctis: primò ab examine diligenti; ſecundò ab accuſatione peccatorum mortalium, quoad ſpeciem: tertiò quoad numerum: quartò quoad circûmſtantias: mutantes ſpeciem; & (iuxta probabiliorem ſententiam) quoad notabiliter aggrauantes in eâdem ſpecie. Nam pro eiuſmodi notabiliter aggrauantium confeſſione militat ratio, per præfatum Tridentinum cap. 5. allegata in fauorem mutantium ſpeciem: ſcilicet *quod ſine illis, peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant: & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poßint & pœnam, quam portet, pro illis, pœnitentibus imponere.*

320. *Examen diligens est accurata discussio conscientiæ propria, & recogitatio peccatorum*, quoad speciem, numerum, & circumstantias. ACCVRATA DISCVSSIO, id est talis, qualis in re magni momenti meritò adhibenda est, ab ipso pœnitente; attentâ ipsius capacitate, aliisque circumstantiis. v. g. peccandi consuetudine, negotiorum tractatione, confessionis dilatione, temporis affluentiâ, vel angustiâ; confessarij examinantis diligentiâ, &c. PECCATORVM commissorum ab vltimâ validâ absolutione.

Examen diligens dicitur à diligentiâ, quæ in eo debet adhiberi: & hæc

321. *Diligentia est intensa animi applicatio, ad aliquid cognoscendum, aut reminiscendum.* INTENSA, non remissa, perfunctoria, tepida, & oscitabunda; sed seria, studiosa, & feruens. ANIMI APPLICATIO, vehemens conatus intellectûs ad cognoscendum, phantasiæ ad imaginandum, memoriæ ad reminiscendum, &c. AD ALIQVID cognoscendum. v. g. peccatum, illius numerum, circumstantias, &c. Vide 2. 2. n. 1155.

De sigillo Confessionis.

322. SIgillum *confessionis est confessarij directa obligatio celandi confessionem sacramentalem pœnitentis.* SIGILLVM sic dictum, per similitudinem sigilli epistolici, quo litteræ obsignantur, vt ijs contenta, secreta habeantur. CONFESSARII, quia ipse solus habet per se obligationem secreti confessionis. Per se inquam, nam per accidens, & per participationem, habent secreti huius obligationem, quicunque licitè vel illicitè, mediatè vel immediatè habent participationem confessionis, cum onere suo transeuntis. v. g. interpres, auditor, &c. DIRECTA, immediatè resultans ex diuinâ institutione sacramenti pœnitentiæ, OBLIGATIO iuris naturalis positiuique diuini, & ecclesiastici, cap. *Omnis vtriusque*, & cap. *Sacerdos*, de pœnitentiâ, dist. 6. Obligatio inquam (quamdiu non subest pœnitentis rationabilis reuelandi consensus)

CELANDI, & tenendi secretam CONFESSIONEM, &c. accusationem peccatorum pœnitentis, ordinatam ad absolutionem sacramentalem: etiamsi eam non recipiat, ob sui indispositionem, confessarij inhabilitatem, similemue causam.

323. Sub sigillum confessionis, directè cadunt omnia confitentis peccata mortalia, & venialia; illorum circumstantiæ, & complices. Indirectè autem, & reductiuè cadunt ea, quæ nihil sunt horum; sed illorum occasione, dicta sunt in confessione; & quæ propalata cederent in iniuriam pœnitentis, vel sacramenti pœnitentiæ.

De ministro Confeßionis.

324. MInister sacramenti pœnitentiæ est solus Sacerdos, in pœnitentem habens potestatem iurisdictionis, ordinariam, vel delegatam.

325. *Potestas est legitima authoritas aliquid agendi.*

326. *Potestas soluendi & ligandi, est legitima authoritas remittendi retinendique peccata.* Iuxta illud Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Hæc est duplex, potestas Ordinis, & iurisdictionis. Absoluendi

327. *Potestas Ordinis est incompleta authoritas remittendi peccata, Sacerdoti in suâ ordinatione collata in actu primo.* INCOMPLETA, & impotens exire in actum secundum; nisi compleatur per potestatem iurisdictionis, collatam ab Ecclesiâ. Absoluendi

328. *Potestas iurisdictionis est authoritas superaddita potestati Ordinis, & completiua illius.* Siue, *est authoritas, quâ Sacerdos, tanquam iudex potest in actu secundo ferre sententiam absolutionis*, in pœnitentem, tanquam subditum. Hæc ligandi & soluendi potestas iurisdictionis, est duplex; ordinaria, & delegata. Absoluendi

329. *Potestas ordinaria iurisdictionis, est ea, quæ competit habenti ex officio curam animarum.* v. g. Parocho

in suâ parœciâ; Episcopo, cum suo Vicario generali, in suâ diœcesi; summo Pontifici, cum Pœnitentiario suo, in totâ Ecclesiâ. Absoluendi

330. *Potestas delegata est ea, qua Sacerdoti commissa est, abs habentè ordinariam.* SACERDOTI determinato, vti fit in delegatione particulari: vel indeterminato, vti fit in articulo mortis, & quando pœnitens habet potestatem eligendi confessarium. Præfata potestas delegata, subinde vocatur subdelegata; propriè tamen

331. *Potestas subdelegata est ea, quæ commissa est alicui, immediatè abs habente delegatam, cum iure subdelegandi*: non proprio nomine, sed nomine ordinarij delegantis.

332. In Sacerdote, non obtinente parochiale beneficium, audituro confessiones sæcularium, antequam possit ei delegari potestas iurisdictionis, abs habente ordinariam; requisita est episcopalis approbatio, expressa vel tacita: vti constat ex Tridentino sess. 23. cap. 15.

333. *Approbatio expressa est Episcopi testimonium explicitum, de Sacerdotis capacitate ad absoluendum*; quòdque possit ei tutò delegari iurisdictio, abs habentibus ordinariam.

Approbatio Episcopi est prævia delegationi iurisdictionis, & ab eâ distincta. Subinde tamen hæc est illi annexa; absolutè, vel conditionatè, dependenterque à veniâ parochorum, & eorum, quorum interest.

334. *Approbatio tacita est Episcopi testimonium implicitum, de Sacerdotis capacitate ad absoluendum.* IMPLICITVM, hoc ipso v. g. quo Sacerdoti sibi subdito mandat auditionem confessionum; eligit in suum confessarium; committit ei deseruituram pastoratûs; permittit pastori vt assumat eum, in subsidiarium administrationis sacramentorum, &c. In quibus tribus primis exemplis, est implicita approbatio; & insuper iurisdictionis delegatio: in quarto est mera approbatio.

335. In articulo, & periculo mortis, absente proprio moribundi Sacerdote, habente in eum ordinariam potestatem; alioque (probabiliter) priuilegiato, habente delegatam; eum à quibuslibet peccatis, & censuris absoluere potest quilibet Sacerdos, etiam censuratus & sententiatus, non toleratus, hæreticus, & degradatus. Vti patet ex cap. *Eos qui* 22. de sententiâ excommunicationis, in 6. & Trid. sess. 14. cap. 7. Si tamen eiusmodi moribundus fuerit à censuris reseruatis absolutus, ab eo, qui aliàs illum absoluere non poterat; iurare debebit ante absolutionem, quòd si conualuerit, quantocius se præsentabit superiori potestatem habenti, vt mandatis eius pareat: aliàs reincidet in præfatas censuras; vti decernitur citato cap. *Eos qui*. Ex quo insuper constat, quòd *Articulus, & periculum mortis*, confundantur in Iure. Quando autem accipiuntur, vt condistincta, tunc.

336. *Articulus mortis est tempus vitæ, parùm præcedens mortem actualem*

337. *Periculum mortis est moralis certitudo mortis imminentis*. In genere.

338. *Periculum est verisimilitudo mali imminentis*. Siue, iuxta Aristotelem Rethor. 5. *est timendæ rei appropinquatio*.

De Satisfactione.

SAcramenti pœnitentiæ materialis pars tertia, est *Satisfactio* pro pœnâ temporariâ, restante ex peccato dimisso quoad culpam, & pœnam æternam. Generaliter accepta

339. *Satisfactio est mitioris pœnæ toleratio, ad redimendam grauiorem promeritam*. Vna est actus virtutis pœnitentiæ, alia est pars integralis sacramenti pœnitentiæ. Prout est actus virtutis pœnitentiæ,

340. *Satisfactio est voluntaria pœnæ toleratio, ad compensandam iniuriam, Deo per peccatum illatam*. VOLVNTARIA, id est, propriâ sponte assumpta, non ex mandato confessarij. Prout est pars materialis integralis sacramenti pœnitentiæ,

341. *Satisfactio est voluntaria pœna, à confessario iniuncta toleratio*, ad compensandam iniuriam, Deo per peccatum illatam; & ad redimendam grauiorem pœnam promeritam. VOLVNTARIA, spontanea per acceptationem voluntatis: aliàs si esset inuita, & coacta; non foret Deo accepta, nec redemptiua pœnæ promeritæ. POENÆ, incõmodi afflictiui naturæ corruptæ, & vindicatiui culpæ. A CONFESSARIO INIVNCTÆ, per potestatem ligandi: vt enim satisfactio sit sacramentalis, debet à ministro sacramenti iniungi, & formâ absolutionis aliquatenus informari. TOLERATIO, perpessio pœnæ inflictæ. AD COMPENSANDAM, &c. Nam pœnitens sui punitione, ac vindicatione, intendit reparare læsam Dei authoritatem, iurisque diuini violationem, per peccatum suum irrogatam. ET AD REDIMENDAM, &c.

342. Nam * *Satisfactio est grauioris pœna promerita redemptio, per vicaria mitioris perpeßionem.* Siue, *est leuioris pœna perpeßio, ad redimendam grauiorem promeritam.* Hactenùs dicta, procedunt de satisfactione pro pœnâ, non autem de satisfactione in pœnâ, siue satispassione.

Pro opere satisfactorio sumpta

343. *Satisfactio est opus pœnale, patienter toleratum, ad placandum Deum, & exoluendum pœna reatum.* OPVS POENALE, afflictiuum & punitiuum: siue sit sponte assumptum, siue à Deo immissum, siue à Confessario iniunctum.

344. *Satispaßio est perpeßio pœna promerita, commensa ad aqualitatem culpa.* PERPESSIO spontanea, vel coacta, POENÆ assumptæ, vel impositæ.

345. Confessarij, extra casum impossibilitatis, debent pœnitentibus salutares & rationabiles satisfactiones iniungere. Quas pœnitentes tenentur acceptare, & in statu gratiæ, aut pœnitentiæ adimplere. *Debent*, inquam, per potestatem ligandi, & retinendi peccata; quoad culpam, negando absolutionem indispositis; quoad pœnam, obligando ad illius vicariæ tolerationem: vti patet ex Matthæi 16. & 18. &

Ioannis 20. & confirmatione Concilij Tridentini, sess. 14. cap. 8. & can. 3. & 15. adiunctâ insuper ratione, ne aliàs sacrilegè sacramentum mutiletur parte suâ integrali. *Salutares*, saluti pœnitentium proficuas: & quæ sint non tantùm præseruatiuæ futurorum peccatorum, sed & vindicatiuæ præteritorum. *Et rationabiles*, siue, vt loquitur Tridentinum, *conuenientes*, id est, iuxta dictamen rectæ rationis, congruas qualitati, & grauitati peccatorum, statuique pœnitentium. *Iniungere*, per modum præcepti, & sententiæ iudicialis. *Quas pœnitentes tenentur acceptare*, sub peccato mortali: aliàs enim sacrilegè mutilarent sacramentum; non parêrent suo iudici, vicario Christi, legitimè iudicanti, & imperanti: resisterent potestati, & Dei ordinationi, & consequenter damnationem sibi acquirerent. Rom. 13. *Et in statu gratiæ, aut pœnitentiæ adimplere*: quia satisfactio est actus pœnitentis, & pœnitentiæ. Vnde satisfactio peracta in statu peccati mortalis, non est materialis pars integralis sacramenti pœnitentiæ; sed repetenda est in statu gratiæ, aut saltem pœnitentiæ, id est deposito affectu peccati mortalis, per actum pœnitentiæ virtutis.

346. Pro cuius elucidatione notandum, quòd possit quis esse in peccato mortali, tribus modis: actu, affectu, reatu. *Actu* committendo peccatum mortale. *Affectu*, habituali complacentiâ inhærendo peccato commisso. *Reatu*, manendo in obligatione pœnæ æternæ, & culpæ mortalis, displicentis per pœnitentiam, necdum tamen remissæ per eam. Duo priores sunt in statu peccati mortalis: posterior est in peccato, & non in statu peccati: nam status dicit stabilitatem & permanentiam affectûs ad peccatum. Itaque

347. *Esse in statu peccati mortalis, est permanere in illius affectu actuali, vel habituali,*

348. *Esse in peccato mortali, & non in statu illius, est manere in reatu culpæ mortalis, per pœnitentiam displicentis*: necdùm tamen remissæ per eam; vtpote imperfectam, aut destitutam sacramento, culpæ mortalis remissiuo.

349. De mutatione satisfactionis sacramentalis, & pœnitentiæ iniunctæ, paucis dico. Ea, quæ in totum, vel in partem, absolutè vel moraliter est impossibilis, aut irrationabilis; ab initio, vel lapsu temporis; à quocunque confessario interpretanda est talis, & expers obligationis. Satis-factio iniuncta in meram punitionem præteritorum peccatorum, & non ad cautelam recidiui, euanescit (probabiliter) per subsequens lucrum Indulgentiæ de iniũctis pœnitentijs plenariæ, vel correspondentis quantitati eiusmodi satis-factionis. Idem esto iudicium, si confessarius habeat potestatem concedendi Indulgentiam similem: cuius concessione, poterit tollere obligationem eiusmodi satisfactionis. Cuius etiam mutatio fieri potest à confessario, qui eam iniunxit: modò moraliter adhuc duret idem iudicium pœnitentiale, & sententia non transierit in rem iudicatam. Durare autem dicitur tempore eiusdem diei, quinet multorum insequentium, si interea in confessione subsequtâ explicentur quædam, pertinentia ad præcedentem. Hoc autem tẽpore elapso, si pœnitens accedat ad eundem confessarium, & petat pœnitentiæ iniunctæ mutationem; non poterit ea fieri, nisi per iudicialem causæ cognitionem, & per nouam confessionem peccatorum, pro quibus iniuncta fuit. Sed hæc iterata confessio, facta eidem confessario, memori præteritorum peccatorum, poterit paucis expediri, si pœnitens animo contrito dicat, se eadem peccata confiteri; & petere iniunctæ pœnitentiæ commutationem in aliam. Si autem accedat ad alium confessarium, erit de integro repetenda confessio peccatorum: quorum si quædam sint aliàs reseruata, censebitur reseruatio sublata, per absolutionem confessarij præcedentis, ad hoc potestatem habentis. Cæterùm in mutatione pœnitentiæ, est impertinens, quòd confessarius eam mutaturus, sit superior eo, qui eandem iniunxit: quia nullus purus homo, est in hoc foro superior confessario; qui absoluit, & ligat vt vicarius Christi, illiusque authoritate.

De indulgentia.

350. *Indulgentia est remissio pœnæ, à Prælato facta per dispensationem thesauri Ecclesiæ.* INDVLGENTIA sic dicta, quia est rigoris cõmeriti, & seueritatis blanda remissio. EST REMISSIO, condonatio POENÆ restantis ex peccato, dimisso quoad culpam. *Pœna* inquam temporalis, id est durantis ad tempus tantùm, & non in æternùm. Nam remissio pœnæ æternæ non fit per indulgentiam; sed vnà cum culpâ, per sacramentum pœnitentiæ, in re, vel in voto. *Pœna* autem Deo debitæ, non iustitiæ ecclesiasticæ, aut ciuili. A PRÆLATO ecclesiastico, scilicet summo Pontifice, vel Episcopo: qui soli habent ordinariam potestatem dispensandi thesauri Ecclesiæ; tanquam bonorum Ecclesiæ communium dispensatores. FACTA extra sacrificium, & sacramentum. Nam in Missæ sacrificio, & in quocunque sacramento, ritè suscepto, fit aliqua pœnæ remissio, per applicationem satisfactionum Christi: sed eiusmodi remissio, non est indulgentia, ad sensum ordinarium. PER DISPENSATIONEM THESAVRI ECCLESIÆ, per applicationem superabundantium satisfactionum Christi, & sanctorum, in acceptatione diuinâ permanentium. Nam

351. *Thesaurus Ecclesiæ est valor satisfactionum Christi, & Sanctorum, permanens in acceptatione diuinâ:* applicabilis ijs, qui post remissam peccati culpam, obnoxij sunt pœnæ temporali luendæ. THESAVRVS ECCLESIÆ, sic dictus metaphoricè, & per similitudinem thesauri pecuniarij. EST VALOR, & precium SATISFACTIONVM, operum pœnalium, toleratorum ad Deum propiciandum; & redimendum pœnæ promeritæ reatum. Loco *satisfactionum*, quidam substituunt nomen *meritorum*, non tam congruè, nec tamen malè: restringendo nomen meritorum, ad merita remissionis pœnæ temporalis, & non æternæ beatitudinis Nam iusti opus bonum, quatenùs procedens à gratiâ habituali, & actuali, in honorem Dei; est de condigno me-

ritum beatudinis æternæ. Idem opus quatenùs pœnale, & sui punitiuum, est de condigno meritum remissionis pœnæ temporalis. Primo sensu acceptum meritum, nulli Sanctorum est superabundans: sed vnusquisque illorum, pro eo accepit beatitudinis præmium superabundans. Secundo autem sensu acceptum, plurimis Sanctorum fuit superabundans: quia peccata eorum non exigebant tantam pœnam, & satisfactionem, quantam subierunt. Vnde hæc, quæ superauerunt fragmenta, ne perirent, collecta sunt, & in gazophilacio Ecclesiæ reposita, egentibus minúsque habentibus communicanda, priuilegio communionis sanctorum. CHRISTI, qui nobis natus, nobis datus, nobis etiam meruit, ac satisfecit: eiusque satisfactiones sunt infinitæ intensiuè: & thesaurus ijs constans, est infinitus, nec vnquam potest exhauriri. ET SANCTORVM: quorum satisfactiones, sunt nobis communes, ratione communionis sanctorum; eæque addunt augmentum extensiuum thesauro intensiuè infinito satisfactionum Christi: in cuius laudem idipsum cedit, quòd tantæ virtutis sit, vt suarum satisfactionum vim, alienis communicet. Sicut magnetis efficaciam commendat, quòd per se possit ferrum attrahere; & attactu suo, eandem vim ferro communicare. PERMANENS IN ACCEPTATIONE DIVNA: licet enim satisfactiones sint actiones transeuntes, valor tamen earum manet in acceptatione Dei: qui depositum hoc fideliter custodit. APPLICABILIS IIS, &c. tanquam eiusdem corporis mystici membris, & communionis sanctorum participibus; *vt illorum abundantia nostram inopiam suppleat.* 2. Cor. 8.

Indulgentia vna est plenaria, alia non plenaria, &c.

352. *Indulgentia plenaria est remissio totius pœnæ, facta per applicationem thesauri Ecclesiæ.* Indulgentia per modum Iubilæi, siue

353. *Iubilæum est indulgentia plenaria, cum priuilegijs annexis*, absolutionis ab omnibus casibus, & censuris reseruatis; commutationis votorum, &c. IVBILÆVM sic dictum à *Iubal*, siue *Iobel*: vnde etiam fuit

formatum latinum *Iubilum* Teste

354. autem Augustino, * *Iubilum est ingens gaudium, expressum voce, eàque inexplicabile* 1 2. n. 113. Iubilæum Christianum habet similitudinem cum Iudaico: & illius priuilegia spiritualia, cum huius temporalibus. Vide Leuitici caput 25. & 17. & ibidem Interpretes.

355. *Indulgentia à culpâ, & pœnâ, est indulgentia plenaria totius pœnæ, cum priuilegio obtinendæ absolutionis omnis culpæ*; aliàs reseruatæ Sedi Apostolicæ, vel Episcopali. Quoad remissionem pœnæ, est propriè indulgentia: quoad remissionem culpæ, est indulgentiæ annexum priuilegium.

356. *Indulgentia non plenaria, est limitata remissio pœnæ, facta per applicationem thesauri Ecclesiæ.* LIMITATA ad definitum tempus, vel ad aliquotam pœnæ partem. Ad tempus v. g. quadraginta annorum, centum dierum, &c. Hæc per accidens potest esse plenaria; si eam lucrans, non sit reus maioris pœnæ luendæ, quàm totidem annorum, vel dierum. Ad aliquotam partem limitata, potest dici partialis: & hæc

357. *Indulgentia partialis est remissio aliquotæ partis pœnæ, factæ per applicationem thesauri Ecclesiæ.* ALIQVOTÆ, v. g. tertiæ, dimidiæ partis pœnæ restantis.

358 *Indulgentia quadragena ist remissio pœnitentiæ, quadraginta continuis diebus peragendæ.* REMISSIO, per applicationem thesauri Ecclesiæ. PERAGENDÆ, secundùm præscriptum canonum pœnitentialium, in ieiunijs, disciplinis, alijs-que operibus pœnalibus. Hæc quadragena, si erat rigorosior, vocabatur *Carena*: quia pœnitens, per quadraginta dies continuos, carebat omnibus alimentis; pane & aquâ exceptis.

359. Antiquitùs quando canones pœnitentiales erant in vsu, & vni peccato grauiori præscribebatur pœnitentia septem annorum; qui plura eiusmodi peccata commiserat, reus erat luendæ pœnæ aliquot centenis imò millenis annis. Ita tamen vt feruore pœnitentis, pœnam sibi multiplicantis & coaceruantis, tempus illud contraheretur; & ex centenario ad annu-

um, imò menſtruum redigeretur: vti conſtat ex vitâ B. Petri Damiani, qui cùm ſe abdicaſſet epiſcopatu & cardinalatu, ſtudio vitæ ſeuerioris, & ad eoſdem reſumendos vrgeretur à Nicolao Pontifice; ipſe autem obſtinatiùs reluctaretur: tandem aſſenſit Pontifex, conſtitutâ illi pœnitentiâ centenariâ: *quâ pœnitentiâ tenebatur ad recitandum per centum annos, quotidie centies, verberibus adiunctis, pſalmum quinquageſimum. Subiuit autem hanc pœnam libenter Petrus: tantuſque fuit in eo ardor pœnitendi, vt eam annuo ſpacio exhauſerit.* Conſtat iterum teſtimonio eiuſdem B. Petri Damiani, qui in vitâ S. Dominici Loricati, ita ait: *Centum annorum pœnitentia, ſicut ipſo authore didicimus, ſic expletur. Cùm tria ſcoparum* (virgeorum verberum) *millia, vnum pœnitentiæ annum, apud nos regulariter expleant: decem autem pſalmorum modulatio (vt ſæpè probatum eſt) mille ſcopas admittat; dum centum quinquaginta pſalmis conſtare Pſalterium non ambigitur; quinque annorum pœnitentia, in vnius Pſalterij diſciplinâ, rectè ſupputantibus inuenitur. Porrò ſiue quinquies vicies, ſiue viginti quinquies, centum faciunt. Conſequitur igitur vt qui viginti Pſalteria, cum diſciplinâ decantat, centum annorum pœnitentiam ſe peregiſſe confidat.*

Itaque tempore, quo canones pœnitentiales erant in vſu, centum, aut

360. *Mille annorum indulgentia eſt remiſſio totidem annorum pœnitentiæ, peragendæ ſecundùm rigorem canonum.* Hoc tempore, quo præfati canones non ſunt in vſu; centum, aut

361. *Mille annorum indulgentia eſt remiſſio tantæ pœnæ, quanta condonaretur per pœnitentiam canonicam totidem annorum.* POENÆ, huius vel futuræ vitæ. POENITENTIAM, in ratione meræ punitionis conſideratam, abſtrahendo à deuotione, & feruore peragentis illam.

362. Indulgentiæ conceduntur viuis, per modum ſolutionis, & abſolutionis iuridicæ: defunctis autem per modum meræ ſolutionis, ſiue per modum ſuffragij. *Per modum ſolutionis*, depromendo de theſauro

Ecclesiæ satisfactionem, exhibendoque eam Deo, acceptanti; tanquam creditori, & affecto iniuriâ. PER MODVM ABSOLVTIONIS, authoritate Dei, iuridicè eximendo subditum à personali perpessione pœnæ promeritæ. Nam reatus pœnæ est debitum personale: à quo reus viuus, tanquam subditus absoluitur à prælato ecclesiastico, vices Dei subeunte: & defunctus, tanquam exemptus, à Deo immediatè, potestate suâ fungente. Itaque

363. *Conferre indulgentiam, per modum absolutionis, est eximere reum, sibi subditum, à personali perpessione pœnæ, per applicationem thesauri Ecclesiæ.*

364. *Conferre indulgentiam per modum solutionis, est depromere de thesauro Ecclesiæ satisfactionem; eamque pœnæ reo applicare.* Similiter.

365. *Conferre indulgentiam per modum suffragij, est depromere de thesauro Ecclesiæ satisfactionem, eamque pœnæ reo applicare, per modum subsidij spiritualis*, non iuridicæ absolutionis: sed nudè in fauorem rei, exhibendo eiusmodi satisfactionem Deo, acceptanti; & reum à perpessione pœnæ promeritæ, immediatè per se liberanti

366. Generaliter, *Suffragium ecclesiasticum est opus bonum, animæ proximi salutare præstans auxilium.* v.g. ieiunium, eleemosyna, oratio, Missa, & similia, applicata animæ proximi, ad obtinendum ei augmentum gratiæ, & sanctitatis; victoriam tentationum; remissionem culpæ, aut pœnæ, &c, Strictè acceptum

367. *Suffragium ecclesiasticum est opus bonum satisfactorium, remissionis pœnæ proximi impetratorium.* Cuiusmodi est omne opus bonum pœnale, in subsidium animæ proximi factum; non mixtum iuridicâ absolutione.

368. Positis omnibus requisitis, certæ & infallibiles sunt indulgentiæ, concessæ non tantùm viuis, sed & defunctis. Vnde Leo decimus in suâ Bullâ, errorum Lutheri condemnatoriâ, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ decernit ab omnibus teneri, & prædicari debere, quòd indulgentiæ per Pontificem Ro-

manum concessæ, siue viuis, siue defunctis, valeant eis ad remissionem pœnæ. Eòdem facit Tridentinum sess. 25. in decreto de Indulgentijs.

369. Concessio indulgentiarum, defunctis indultarum, est actus potestatis clauium, latiùs patentis potestate iurisdictionis: quæ hic non exercetur in defunctos, cùm non sint subditi prælato Ecclesiæ: nec etiam in thesaurum, cum iurisdictio dicat necessariò respectum ad personam, non ad rem inanimem.

Ad sensum Euangelij, propriè loquendo,

370. *Potestas clauium est suprema potestas gubernandi Ecclesiam, vice Christi.* Ea soli Petro, eiusque legitimis in Pontificatu successoribus competit. Sed passim à Theologis accipitur generaliùs, & sic accepta

371. *Potestas clauium est spiritualis authoritas aperiendi regnum* Dei, *per sublationem impedimenti:* id est obstaculi, impedientis ingressum illius.

De Censuris.

372. CEnsuræ nomen à Romanis desumptum est: apud quos qui Censores erant, & Censuram exercebant; ex officio censebant, iudicabant, notabant, atque puniebant Senatûs Populique Romani mores: & pro modo criminum, Senatu Tribuue mouebant; equum publicum adimebant, infamiâ notabant, pœnamque imponebant.

373. *Censura est potestatis ecclesiasticæ pœna medicinalis, baptizatum priuans immediatè vsu communium bonorum spiritualium.* POTESTATIS ECCLESIASTICÆ, quia omnis censura est actus potestatis ecclesiasticæ (fundatæ in Scripturâ, Matth. c. 16. v. 19. & c. 18. v 17. & 18. Act. c. 8. v. 20. & 21. & 1. Cor. c. 5. v. 5. & 1. Timoth. 1 v. 20.) procedens à personis ecclesiasticis, iurisdictionem spiritualem habentibus in foro externo. POENA, malum punitiuum, ad hoc inflictum, vt vindicetur culpa, reo intrinseca. Quâ parte excluditur Irregularitas contracta absque culpâ: & Cessatio à diuinis, distincta contra Interdictum. MEDICI-

NALIS, inflicta vt reus emendetur, & eo emendato tollatur. Vnde excluditur Degradatio, Depositio, Irregularitas orta excrimine, Suspensio perpetua, vel ad tempus determinatum v. g. triennium, sexennium, &c. BAPTIZATVM: nam Ecclesia nequit exercere potestatem suam in eos, qui foris sunt. PRIVANS IMMEDIATE: primò, per se, & directè priuans fidelem vsu bonorum spiritualium communium; tanquam spiritualis pœna priuatiua eiusmodi bonorum: quorum Ecclesia est administratrix. Mediatè tamen, ac secundariò subinde priuat vsu bonorum temporalium. v. g. conuictu & conuersatione ciuili fidelium, &c. COMMVNIVM BONORVM SPRITVALIVM: non priuatorum, fidei, spei charitatis, gratiæ, &c. sed communiter toti Ecclesiæ indultorum v. g. sacramentorum, sacrificiorum, orationum, satisfactionum, &c. aut priuato concessorum ad bonum commune. v. g. iurisdictionis spiritualis, potestatis administrandi sacramenta, concionandi, &c.

Censura vna est à iure, alia ab homine: latæ sententiæ, ferendæ, &c.

374. *Censura à iure est ea, quæ per canonem, aut statutum fertur generaliter* in quoscumque, aliquid committentes, vel omittentes.

375. *Censura ab homine est ea, quæ fertur per iudicis ecclesiastici particularem sententiam* Inter præfatas censuras est triplex distinctio: primò censura à iure, est generalis; ab homine est specialis: secundò illa perpetuò durat; hæc euanescit morte latoris: nisi sit ante contracta: tertiò ante illam non est opus monitione, nec contumaciâ; ante hanc, est opus vtrâque.

376. *Censura lata sententia est ea, quæ actu inflicta est*, lege, statuto, sententiâue condemnatoriâ.

377. *Censura ferenda sententia est ea, quæ infligenda intentatur, vel infligi iubetur.* Censura latæ sententiæ incurritur ipso facto, ante iudicis sententiam; ferendæ non item.

378. *Sententia condemnatoria est decretum iudicis, pœnam mulctamue alicui irrogantis.*

Sententia

379. *Sententia declaratoria est decretum iudicis, declarantis aliquem reũ criminis, illiusque pœnæ obnoxium.*

380. *Sententia comminatoria est decretum iudicis, pœnam conditionatè intentantis*: ni fiat præceptum, aut si fiat prohibitum.

381. *Censura iusta est ea, quæ vndique legitimè lata est.* Scilicet à legitimâ potestate, ob causam sufficientem, seruatoque iuris ordine, substantiali & accidentali.

382. *Censura iniusta est ea, quæ non est vndique legitimè lata.* Scilicet à non legitimâ potestate, vel ex causâ insufficiente, vel non seruato iuris ordine substantiali, aut accidentali. Hæc est duplex: iniusta valida, & iniusta inualida.

383. *Censura iniusta valida, est ea, quæ solo iuris ordine accidentali est destituta* Siue, *est ea, quæ lata est à legitimâ potestate, ob causam sufficientem; non seruato iuris ordine accidentali*: quia scilicet sententia non fuit scripto lata, vel intimata: vel non præcessit trina monitio canonica; vnaue pro tribus, cum legitimis interuallis: extra casum vrgentis necessitatis, accelerationem requirentis.

384. *Censura iniusta inualida, est ea, quæ essentiali requisito est destituta.* Siue, *est ea, quæ à non legitimâ potestate lata est, vel ob causam insufficientem, vel substantiali iuris ordine non seruato.* A NON LEGITIMA POTESTATE, carente iurisdictione, illamue impeditam habente censurâ, aut priuilegio rei, illiusue legitimâ appellatione. OB CAVSAM INSVFFICIENTEM, qualis est etiam ea, quæ legitimè non est probata. SVBSTANTIALI, &c. sine vllâ monitione præmissâ.

385. Censuratorum, ac Sententiatorum quidam sunt tolerati, quidam non tolerati. Censuratorum nomine intelliguntur *excommunicati, suspensi, & interdicti.* Sententiatorum autem nomine intelliguntur ij, qui per iudicis ecclesiastici sententiam sunt *hæreseos condemnati, ob delictum irregulares, depositi, degradati.*

386. Post Concilij Constantiensis extrauagantem. *Insuper ad euitandum*, Bullâ Martini quinti ap-

probatam, tantùm sunt duo non tolerati: scilicet notorius percussor clerici, & nominatim censuratus sententiatusue denunciatus: sub quo comprehenditur hæreseos nominatim condemnatus, denunciatus. Quamuis autem hanc extrauagantem quidam restringant ad solos excommunicatos vitandos; tamen extendi debet ad alios censuratos, & sententiatos.

387. *Notorius percussor clerici est is, qui suadente diabolo, manus violentas in clericum iniecit, ita vt factum pluribus innotuerit*: nec possit aliquâ tergiuersatione celari, aut suffragio excusari. Eiusmodi clerici percussor, erit absolutè notorius, publicèque vitandus, si factum publicè innotuerit. Erit autem respectiuè notorius, priuatimque vitandus, si factum innotuerit maiori parti communitatis, cuius membrum est; in quâ non sunt pauciores, quàm decem. Hic

388. *Tolerati sunt censurati vel sententiati, quibuscum ex conniuentiâ Ecclesia, licet fidelibus communicare*, in diuinis, & ciuilibus; absque incursu minoris excommunicationis.

389. *Non tolerati sunt censurati vel sententiati, qui in diuinis & ciuilibus vitandi sunt à fidelibus, sub pœnâ minoris excommunicationis.*

De Excommunicatione.

390. ETymologicè *Excommunicatio est extra communionem positio.* COMMVNIONEM Sanctorum, priuando baptizatum bonis communibus fidelium. Itaque in genere

391. *Excommunicatio est censura ecclesiastica, priuans baptizatum communione sanctorum, ex toto, vel ex parte.* COMMVNIONE SANCTORVM, id est, participatione spiritualium Ecclesiæ bonorum, communium inter sanctos, id est Christianos, vocatos ad sanctitatem. EX TOTO, totali participatione sacramentorum, suffragiorum, & conuersationum: quod facit excommunicatio maior. VEL EX PARTE, partiali

communione passiuâ sacramentorum, & electione itidem passiuâ ad beneficium: quod facit excommunicatio minor. Vnde est duplex excommunicatio: maior, & minor.

392. *Excommunicatio maior est censura, priuans baptizatum ex toto communione sanctorum.* EX TOTO, totali participatione communium Ecclesiæ bonorum: scilicet sacramentorum, suffragiorum, & conuersationis fidelium. Participatione inquam sacramentorum actiuâ, & passiuâ: ita vt excommunicatus majori excommunicatione, non possit administrare, neque recipere sacramenta, extra necessitatis casum, similemue excipuum. Participatione etiam suffragiorum Ecclesiæ publicorum. v. g. sacrificiorum, orationum, ieiuniorum, processionum, & similium operum satisfactoriorum, quæ fiunt nomine publico Ecclesiæ; secùs est de priuatis; iuxta communem Theologorum sententiam. Item participatione conuersationis fidelium, sacrâ & ciuili: *sacrâ* in diuinis officijs, in sepulturâ, & iurisdictione ecclesiasticâ, in electione beneficiorum. *Ciuili*, in conuictu, contractu, testimonio, &c.

393. *Excommunicatio minor est censura, priuans baptizatum, communione sanctorum, ex parte:* id est, communione passiuâ sacramentorum, & electione passiuâ ad beneficium. Itaque minori excommunicatione irretitus, non potest recipere sacramenta, nec scienter eligi ad beneficium, iuxta cap. vltimum, *de clerico excommunicato:* & eiusmodi electio venit irritanda

Hæc minor excommunicatio, vnica est: & quamuis possit ferri ab homine, nunquam tamen fertur; sed à solo iure, propter illicitam conuersationem cum censurato, vel sententiato, non tolerato.

394. *Excommunicatio à iure est ea, quæ per canonem, aut statutum fertur generaliter,* in quoscunque aliquid committentes, aut omittentes.

395. *Excommunicatio ab homine est ea, qua fertur per iudicis ecclesiastici sententiam.* Inter hanc vtram-

que est distinctio, data n. 376.

396. *Excommunicatio latæ sententiæ, est ea, quæ actu inflicta est, per canonem, statutum, aut iudicis ecclesiastici sententiam.*

397. *Excommunicatio ferendæ sententiæ, est ea, quam iudex ecclesiasticus statuto, priuatoue decreto minatur se inflicturum, aut iubet infligi.* Vide n. 377. & 378.

398. Quandocunque dubium est, an excommunicatio, aliaue censura sit latæ, an ferendæ sententiæ; iudicandum est quòd sit ferendæ: quia odia sunt restringenda: & dubia, in mitiorem partem sunt interpretanda. Interim, excommunicationis nomen, absolutè positum, intelligendum est de maiori.

Quid sit excommunicatio iusta, iniusta; quid iniusta valida, & inualida, clarissimè colligi potest, ex n. 382. vsque ad 385.

399. Excommunicati non tolerati, vitandi sunt, sub pœnâ incurrendæ minoris excommunicationis; quin & majoris, in tribus casibus. Primò, communicando in excommunicati crimine criminoso: perpetrando illud cum eo, aut impendendo fauorem, consilium, vel auxilium. Secundò, communicando cum nominatim excommunicato, post particularem monitionem, sub pœnâ excommunicationis. Tertiò, scienter, & spontè ad diuina admittendo excommunicatum à Papâ.

400. Itaque excommunicati, alijque censurati, aut sententiati nominatim, denunciati, vitandi sunt in iis, quæ comprehenduntur hoc versiculo:

Os, orare, vale, communio, mensa negetur.

Per *Os*, prohibetur, colloquium verbis, litteris, nuncijs, auribus factum: item amplexus, oscula, acceptatio munerum, & quodcunque amicitiæ signum. *Orare*, communicatio in sacris, & diuinis. *Vale*, capitis apertio, salutatio etiam facta gestu, assurgendo, locum cedendo, &c. Quidam dicunt licitam resalutationem, tanquam debiti solutionem. *Communio*, conuersatio in ciuilibus negotijs, contubernio, cohabitatione, contractibus, &c. *Mensa*, societas in con-

uictu, etiam in diuersâ mensâ, ſpectante ad idem conuiuium.

401. Cum iiſdem excommunicatis, cenſuratis, ac ſententiatis communicare licet, quibuſdam caſibus, & perſonis, comprehenſis hoc verſiculo:
Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.
Per *Vtile* intelligitur vtilitas ſpiritualis cenſurati, aut ſententiati, & cum eo communicantis; huiuſque poſtremi vtilitas temporalis notabilis. *Lex* matrimonialis, quâ coniuges ſibi mutuo in actionibus, obſequiſque matrimonialibus obligantur. Item lex naturalis, quâ parentes liberis; & ciuilis, quâ domini ſubditis obligantur. *Humile*, obligatio liberorum erga parentes; ſeruorum, villicorum, ſubditorum, erga dominos, in rebus concernentibus obſequium ſuum. *Res ignorata*, inuincibilis ignorantia iuris, aut facti; & inaduertentia inculpabilis. *Neceſſe*, communicantis, vel cenſurati ſententiatiue neceſſitas; quâ non poteſt abſolutè, vel non abſque notabili incommodo alterutrius, vitari mutua communicatio.

402. Canon excommunicans percuſſorem clerici, ſic habet: *Si quis ſuadente diabolo, manus violentas in clericum, vel monachum iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat.* SI QVIS, cenſuræ capax; ſcilicet baptizatus vſu rationis præditus, habens ſuperiorem eccleſiaſticum. SVADENTE DIABOLO, peccando mortaliter, in ratione injuriæ, exteriùs illatæ. MANVS VIOLENTAS, &c. violentiam intulerit clerico immediatè; vel mediatè, ratione veſtis, quâ clericus operitur; rei, quam manu tenet; equi, quo vehitur; loci, quo includitur, &c. INIECERIT, cum iniuria percutiendo clericum; illiuſue percuſſionem efficaciter mandando; ad eam incitando; aut ſuo nomine factam, habendo ratam; aut eam non impediendo ex officio. CLERICVM, primâ tonſura inſignitum, priuilegio canonis gaudentem: qualem ſe ſi ipſemet percuſſerit grauiter, erit excommunicatus; excommunicandus autem, ſi in ſui percuſſionem conſenſerit. VEL MONACHVM, approbatæ religionis reli-

giosum, vel religiosam; nouitium, vel nouitiam; probabiliter etiam tertiarium, vel tertiariam ordinis Sanctorum Francisci, & Dominici, gestantem habitum. Eremitam quoque, ecclesiæ alicuius seruitio deputatum; vel religionis alicuius prælato adstrictum voto.

De Suspensione.

403. *SVspensio est censura, priuans clericum vsu ordinis, beneficij, & officij clericalis; ex toto, vel ex parte.* EST CENSVRA, propriè dicta. Vnde per hoc genus definiti, à definito degenerat suspensio perpetua, & ad tempus determinatum. v. g. triennium, sexennium, definita: quia neutra est censura, nec pœna medicinalis; sed pura pœna ecclesiastica. PRIVANS CLERICVM, prima tonsura insignitum. Qua parte distinguitur suspensio ab excommunicatione, & interdicto: quæ non soli clerico, sed cuicunque fideli infligi possunt. VSV ORDINIS, non ordine, sed illius vsu, id est exercitio maioris minorisue ordinis. Neque beneficio, officioue clericali, vti facit depositio, & degradatio: sed BENEFICII vsu, id est perceptione fructuum, beneficio annexorum. ET OFFICII CLERICALIS vsu: id est exercitio potestatis clericalis, iurisdictionis ecclesiasticæ, concionis sacræ, &c. EX TOTO, vsu ordinis, beneficij, & officij simul. VEL EX PARTE, vsu ordinis tantùm; vel beneficij, officijue tantùm.

Itaque Suspensio diuiditur in totalem, & partialem.

404. *Suspensio totalis est censura, priuans clericum vsu ordinis, beneficij, & officii clericalis simul.*

405. *Suspensio partialis est censura, priuans clericum vsu ordinis tantùm; vel beneficii, officiiue clericalis tantùm*

406. *Suspensio perpetua est pura pœna ecclesiastica, priuans clericum in perpetuum, vsu ordinis, beneficii, officiique clericalis.* PVRA POENA, non medicinalis, ad tempus correctionis imposita.

407. *Suspensio ad tempus determinatum, est pura pœ-*

na ecclesiastica, priuans clericum vsu ordinis, beneficij, officijue clericalis, ad tempus limitatum. v. g. triennium, sexennium; non in perpetuum.

408. Suspensus ab ordine superiore. v. g. sacerdotio, non censetur suspensus ab inferiore. v. g. diaconatu: quia ordo inferior non fundatur in superiore: sed è diuerso. Ideoque suspensus ab ordine inferiore, censetur etiam suspensus à superiore suscipiendo: aliàs videretur promoueri per saltum. Censetur etiam suspensus ab ordine superiore suscepto; si actus eiusmodi superioris ordinis, non possit exerceri, sine actu inferioris: secus probabiliter est, si possit. Vnde sacerdos suspensus à diaconatu, poterit sine irregularitate, audire confessiones, administrare solenniter Baptismum, Eucharistiam, Extremam vnctionem: quin & perficere Missam, productam ab alio, vsque ad consecrationem. Non poterit tamen integram Missam celebrare: quia legendo euangelium, exerceret actum diaconatûs.

De Interdicto.

409. I*Nterdictum est censura, quâ quibusdam personis, aut locis prohibetur sacramentorum, diuinorum officiorum, sepulturæque sacra celebratio.* EST CENSVRA, propriè dicta. Qua parte excluditur à definitione, Cessatio à diuinis, tempore interdicti, inuoluentis innocentes: quorum respectu non est censura, nec pœna; sed est mera substractio sacramentorum, officiique diuini. QVIBVSDAM PERSONIS, per interdictum personale: AVT LOCIS, per interdictum locale. PROHIBETVR SACRAMENTORVM administratio: non omnium, sed ordinis, extremæ vnctionis, eucharistiæ, non viaticæ; matrimonij solennis, id est cum benedictione solenni. DIVINORVM OFFICIORVM celebratio, & auditio; iuxta mitigatam ordinationem capituli *Alma*, De sententia excommunicationis, in sexto. SEPVLTVRÆQVE SACRÆ, factæ cum officio ecclesiastico, aut saltem loco sacro.

Interdictum vnum est personale, aliud locale, aliud mixtum.

410. *Interdictum personale est censura, quâ personis quibusdam prohibetur vbique participatio sacramentorum, officiorum diuinorum, & ecclesiastica scriptura.*

411. *Interdictum locale est censura, quâ immediatè in aliquo loco prohibetur administratio sacramentorum, diuinorum officiorum, & ecclesiastica sepultura.*

412. *Interdictum mixtum est censura, quâ certo loco, locique personis immediatè prohibetur administratio sacramentorum, diuinorum officiorum, & ecclesiastica sepultura.*

413. *Interdictum personale generale est illud, quod fertur in personarum communitatem*, quatenùs constituit vnum corpus. v.g. in Capitulum, Vniuersitatem, Ciuitatem.

414. *Interdictum personale particulare est illud, quod fertur in vnam, pluresuè personas, quà particulares sunt.* v.g. in Ioannem, Paulum; in omnes, qui crimen aliquod commiserunt.

415. *Interdictum locale generale est illud, quod fertur in locum, comprehendentem plura, celebrandis diuinis destinata* v.g. in oppidum, diœcesim, prouinciam, regnum

416. *Interdictum locale particulare est illud, quod fertur in locum sacrum specialem.* v.g. in Ecclesiam Cathedralem Eboracensem, in Collegiatam S. Gaugerici, in Pastoralem S. Georgij.

417. Interdictum locale immediatè afficit certum locum: personale immediatè afficit personas, vbique locorum existentes: mixtum immediatè afficit locum, locique personas. In quouis interdicto locali, illi censentur personaliter interdicti, qui dederunt causam interdicto locali.

De cessatione à diuinis.

418. AB Interdicto locali distincta *Cessatio à diuinis est legitima desistentia ab officiis di-*

uinis, & administratione sacramentorum. EST, non censura, quia non est pœna ecclesiastica; cum subinde assumatur ab inferiore contra superiorem, per modum iustæ defensionis, aut in signum doloris. Sed EST LEGITIMA; indicta à legitimâ potestate, ob iustam causam, & secundùm præscriptum iuris, cap. *Canonici*, & *Quamuis*, De officio Ordinario, in sexto, DESISTENTIA AB OFFICIIS DIVINIS: nam tempore cessationis, non licet celebrare vlla officia diuina, excepto vnico per hebdomadam sacro: vti constat ex cap. *Non est nobis* II. De sponsalibus. ET ADMINISTRATIONE SACRAMENTORVM, Ordinis, Extremæ vnctionis, & Eucharistiæ, aliter quàm per modum viatici.

De depositione, & degradatione.

419. D*Epositio est pœna ecclesiastica, quâ clericus in perpetuum priuatur omni beneficio, officioque clericali*, sine spe restitutionis, retento tamen priuilegio canonis, & fori. Priuilegio, inquam, canonis. *Si quis suadente*, quo redditur immunis à percussione, sub pœnâ excommunicationis Retento etiam priuilegio fori, quo redditur immunis à tribunali sæculari. IN PERPETVVM PRIVATVR: si eiusmodi perpetua priuatio fiat sine intentione procedendi ad degradationem, vocatur propriè Depositio: si autem fiat præuiè ad realem degradationem, vocatur verbalis Degradatio. Ista autem.

420. D*egradatio est priuatio totalis gradûs & statûs clericalis.* Siue, *est pœna ecclesiastica, quâ depositus clericus, solenniter priuatur omni gradu clericali, ordinum, insignium, & priuilegiorum.* DEGRADATIO realis, condistincta contra verbalem. EST POENA mera; inflicta reo, ad puniendam culpam, ipsi intrinsecam. Non est autem pœna medicinalis, ad tempus emendationis imposita, & consequenter non est censura ECCLESIASTICA, per potestatem ecclesiasticam imposita, priuansque bonis ecclesiasticis. QVA

DEPOSITVS CLERICVS, per depositionem definitam n. 420. SOLENNITER, per adhibitos solennes ritus, iure antiquo requisitos, & nouissimo moderatos per Trident. sess. 13. cap. 4. de reformatione. PRIVATVR, & exauthoratur OMNI GRADV, & statu CLERICALI. Omni, inquam, gradu, honore, præeminentiâ, & dignitate ORDINVM majorum, & minorum: non autem ordinibus, qui sunt inamissibiles; neque characteribus, qui sunt indelebiles, Mouetur etiam gradu INSIGNIVM clericalium, & priuatur iure gestandæ casulæ, stolæ, manipuli, cinguli, albæ, amictus, & tonsuræ clericalis. Priuatur insuper iure priuilegiorum clericalium canonis, & fori.

De irregularitate.

421. *Irregularitas est impedimentum canonicum, quo quis prohibetur ad tonsuram ordinesque promoueri, & ministrare in iisdem.* IMPEDIMENTVM CANONICVM, iure diuino, vel ecclesiastico introductum; ex facto, vel defectu proueniens. QVO QVIS directè PROHIBETVR tonsurari, ordinarique; indirectè autem, & ex consequenti prohibetur vti ordine suscepto. Itaque

422. *Irregularitas est inhabilitas, iure diuino, vel ecclesiastico introducta; directè impediens susceptionem tonsuræ, & ordinum; & indirectè vsum susceptorum.* Non est censura, quia non est pœna medicinalis, ad tempus emendationis imposita.

Irregularitas vna est iuris diuini, alia ecclesiastici: vna totalis, alia partialis, &c.

423. *Irregularitas iuris diuini, est inhabilitas, ordinatione diuinâ reddens personam incapacem ordinis ecclesiastici.* Eiusmodi est sexus femineus, & Baptismi defectus.

424. *Irregularitas iuris ecclesiastici est inhabilitas, ordinatione Ecclesia, impediens directè susceptionem tonsura, & ordinum; indirectè vsum susceptorum.* Eiusmodi est mutilatio, illegitimitas, &c.

425. *Irregularitas totalis est inhabilitas, perpetuò impediens ordinis cuiuscunque susceptionem, susceptique vsum omnem.* Eiusmodi est abscissio linguæ, &c.

426. *Irregularitas partialis est inhabilitas, impediens ad tempus, ordinis susceptionem, susceptiue vsum aliquem.* Prioris exemplum est, minor ætas in puero; & nouiciatus fidei in neophyto. Posterioris exemplum est, inculpabilis mutilatio pollicis sinistri in Sacerdote, impediens illum à solâ Missæ celebratione, non ab aliis functionibus sacerdotalibus.

427. Irregularitas vna oritur, sine proprio incurrentis actu v.g. ob defectum corporis, aut natalium; alia ex actu proprio, eoque culpabili. v.g ex rebaptizatione voluntaria, violatione censuræ, procuratione aborsûs animati fœtus, mutilatione, homicidio: vel ex proprio actu inculpabili. v. g. digamiâ, defectu omnimodæ lenitatis, &c. Hic autem

428. *Homicidium est voluntaria, & iniusta hominis occisio.* VOLVNTARIA, & deliberata; vt excludatur indeliberata, casualis, & fortuita. INIVSTA & iniuriosa; vt excludatur occisio iustè facta per iudicem, executorem publicæ potestatis, & sui defensorem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et hoc

429. *Moderamen inculpatæ tutelæ est obseruatio modi debiti, in sui suorumque defensione, contra iniustum inuasorem:* ita vt non fiat plus quàm sit opus, secundùm rectam rationem, ad propulsandam iniuriam. *Moderamen*, obseruatio modi debiti, ita vt non peccetur excessu. *Inculpata*, carentis culpâ, *tutela*, tuitionis, defensionis, & propugnationis sui, & suorum. Itidem

430 hic * *Mutilatio est voluntaria & iniusta abscissio membri*

431. *humani.* Quod * *Membrum est corporis humani pars distincta, spectans ad illius integritatem:* ita vt eâ sublatâ, desinat

432. esse integrum. v.g. auris, digitus, &c. Vel * *Membrum est corporis humani pars organica, habens in eo distinctum officium*, siue actum, vt loquitur Apostolus 1. Cor. 12. Eiusmodi membrum est pes, manus, &c.

non autem digitus, similesue partes: quæ iuxta hanc acceptionem, non sunt membra, sed membrorum partes. Vocatur autem

433. *Membrana cutis continens membra.*

434 *Digamia est matrimonium, contractum cum duabus coniugibus.* Est triplex digamia: vera, interpretatiua, & similitudinaria.

435. *Digamia vera est matrimonium, cum duabus coniugibus successiuè contractum, & consummatum.*

436. *Digamia interpretatiua est matrimonium vnicum, æquiualens duobus.* MATRIMONIVM verè & validè contractum; vel inualidè attentatum, consummatum. VNICVM in se, morali æstimatione duplex, & AEQVIVALENS DVOBVS matrimonijs. Eiusmodi matrimonium interpretatiuè digamum, est triplex: primò matrimonium validè contractum, & consummatum cum non virgine. Secundò matrimonium inualidè attentatum, & consummatum, ab ordinato sacris ordinibus, cum viduâ: vel cum virgine quidem, sed ab eodem quondàm ante ordines coniugato. Tertiò, copula mariti cum propriâ coniuge adulterâ.

437. *Digamia similitudinaria est matrimonium, solenni voto castitatis obstricti.* Matrimonium, inquam, inualidè attentatum, & consummatum, etiam cum virgine.

De extrema vnctione.

438. EXtrema *Vnctio est sacramentum, quo per sacerdotalem orationem, oleique vnctionem, infirmo gratia confertur.* EXTREMA VNCTIO, sic dicta, quia post sacras vnctiones Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, extrema adhibetur, in extremo vitæ. EST SACRAMENTVM, vti constat ex Iacobi 5. adiuncto communi sensu Ecclesiæ, & Conciliorum Constantiensis, Florentini, & Tridentini definitione. SACERDOTALEM ORATIONEM, in Sacramenti formâ contentam. ET OLEI oliuarum ab Episcopo benedicti VNCTIONEM; periclitanti de vitâ INFIRMO, GRATIA habitualis, saluatiua, alleuiatiua, & conditionatè

remiſſiua peccatorum, CONFERTVR ex opere operato,

439. Extremæ Vnctionis materia proxima eſt vnctio olei oliuarum : remota eſt oleum oliuarum, ab Epiſcopo benedictum propriâ benedictione, accommodatâ ad vſum, & effectum huius ſacramenti. Ideoque foret extrema vnctio inualida, collata chriſmate, vel oleo catechumenorum benedicto diuersâ benedictione epiſcopali

Hæc vnctio debet fieri per modum crucis, non de neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti : debetque eſſe gemina, cum duplici formatione crucis, vbi duplicia ſunt organa oculorum, aurium, manuum : ſed ſub vnicâ partiali formâ.

440. Extremæ Vnctionis forma, ſunt hæc verba, ijſue æquiualentia : Per *iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum; in nomine* Patris, *& Filij, & Spiritûs-Sancti.*, Quibus verbis, expreſsè petitur remiſſio peccatorum particularium, commiſſorum per vnum ſenſum ; cum implicitâ petitione remiſſionis omnium aliorum : quia primariò petitur à Deo dari infirmo gratia habitualis, huic ſacramento propria ; quæ non compatitur ſecum vllum peccatum

Debet autem hæc forma eſſe deprecatoria, ex Chriſti inſtituto ; ita vt ſi adhibeatur indicatiua, & affirmatiua, futura ſit inualida. Quod conſtat ex Iacobo c. 5. dicente : *Orent ſuper eum :* & , *Oratio fidei ſaluabit infirmum*, ſecundùm explicationem Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1.

441. Quando oleo infirmorum, alteriue benedictæ rei miſcetur materia profana, eiuſdem ſpeciei, ſatagendum eſt ne eiuſmodi rei profanæ ſit maior quantitas ſimul, aut ſucceſſiuè : & vt totum ita inter ſe permiſceatur, vt nihil profani ad vnctionem poſſit accipi, quin accipiatur ſimul aliquid benedicti. Aliàs euidenter exponitur ſacramentum periculo nullitatis : vti monuimus ſupra n. 218. Nam per eiuſmodi mixtionem, quod eſt profanum, non fit reuerà benedictum, nec

sacrum; cum non subiaceat actuali benedictioni, vel consecrationi: sed totum illud mixtum censetur benedictum, aut sacrum, morali duntaxat æstimatione; quia vnum non potest ab alio discerni, nec separari: quia etiam supponitur nihil profani ad vsum posse applicari, quin sit semper benedicto sacroque permixtum.

442. Quemadmodum medicina corporalis applicatur corporis membris, vbi est origo mali; ita huius sacramenti medicina spiritualis applicatur organis quinque sensuum vnde omnia peccata oriuntur. Quibus ex præscripto quarundam Ecclesiarum, superaddenda est vnctio pectoris, renum, & pedum.

443. Probabile est, quòd vnctiones quinque sensuum formæque ijs respondentes, quæ sunt de necessitate præcepti; non sint de essentiali necessitate sacramenti, sed tantùm de integritate illius: & consequenter quòd sacramentum essentialiter compleatur vnicâ vnctione organi vnius (quæcunque tandem prima adhibeatur) cum formâ correspondente. Et quòd tunc causet effectum, vtpote essentialiter completum: & per subsequentes vnctiones, integraliter tantùm complendum. Item probabile est, quòd essentialiter compleatur, per vnici membri vnctionem; sed informatam formâ implicitè quintuplici, dicendo: P*er istam sanctam vnionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum: in nomine* Patris, *& Filij, & Spiritûs-Sancti.* Quin & dicendo: P*er istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per quinque sensus tuos,* &c. Probabilius tamen est, quòd vnctiones quinque sensuum sint de necessitate præcepti, & sacramenti: & quòd illud essentialiter compleatur demùm in vltimæ vnctionis, formæque complemento: siue fiant vnctiones quinque sensuum, cum quinque particularibus formis, integrè prolatis: siue cum vnicâ generali, implicitè quintuplici, vti modò diximus.

444. Extremæ vnctionis effectus primarius, &

absolutus, est infirmi *saluatio*, & *alleuiatio* per gratiam: siue, est gratia habitualis, per se, & gratias actuales annexas, animæ infirmi *saluatiua*, & *alleuiatiua*. Patet ex verbis Iacobi c. 5. dicentis, *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*: adiunctâ explicatione Conciliorum Florentini, & Tridentini. Oratio inquam Presbyteri vngentis, subnixa fide Ecclesiæ, & informans ipsam olei vnctionem, saluabit infirmum.

445. Gratia autem *saluatiua* est gratia habitualis, per se, sibique annexas gratias actuales, dans salutem animæ, & sanationem mentis, vi morbi languentis, Et *alleuiatiua* est eadem gratia, dans spirituale leuamen animæ; ægritudine corporis, quod corrumpitur, aggrauatæ; tentationibusque depressæ; vt assurgat in Deum; erigatur in spem, morbique incommoda leuiùs ferat.

446. Eiusdem sacramenti secundarius, & conditionatus effectus, est *remissio peccatorum*: de quibus ait Iacobus conditionatè, *Si in peccatis sit, remittentur ei*. Peccatorum, inquam, non tantùm venialium, sed & mortalium: quæ propter suscipientis obliuionem, sensuum priuationem, vel perturbationem, similemue impotentiam, non possunt Pœnitentiæ sacramento, aliove, directè nec indirectè ipsi remitti. Hoc autem sacramento remittuntur quoad culpam, & pœnam totam, vel partem; pro dispositione suscipientis.

447. Alter secundarius, & conditionatus effectus, est infirmi sanitas corporis, morbiue leuamen. Hic non confertur absolutè, nec semper; sed interdum tantùm: quando hoc est conforme prouidentiæ diuinæ, & expediens saluti animæ infirmi: vti expressè dicunt Concilia Florentinum, & Tridentinum sess. 14. cap. 2.

448. Quia verò hoc sacramentum (iuxta eiusdem Concilij Tridentini doctrinam) *peccati reliquias abstergit*; si reliquiarum nomine intelligatur restans peccatum irremissum, ad sensum n. 447. tunc eiusmodi reliquiarum peccati remissio spectat ad secundarium

Extremæ vnctionis effectum. Si autem per peccati reliquias intelligatur torpor, & deiectio animi, acedia, pusillanimitas, diffidentia, pronitas ad terrena, difficultas ad cœlestia, & eiusmodi miseria restans ex peccato originali actualique remisso; quâ fit vt infirmus non habeat vigorem ad actus vitæ spiritualis; nec robur ad morbi molestias, & incommoda æquanimiter ferenda, & repellendas tentationes dæmonis, calcaneo insidiantis; tunc peccati reliquiarum remissio, accensenda est primario effectui, n. 445. & 446. explicato.

449. Extremæ vnctionis minister est solus Sacerdos: vti constat ex Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*, &c. Accedente definitione Conciliorum Florentini, & Tridentini sess. 14. cap 3. & can. 4. *Presbyteros* inquam, id est aliquem Presbyterorum, per enallagen numeri. Vndè quamuis diuersorum sensuum vnctiones, cum suis formis, possint validè à diuersis ministris Presbyteris fieri; tamen singulæ vnctiones, cum suis partialibus formis, debent ab eodem plenè administrari. Quia dum materia proxima sacramenti, est actio ministri, vti est ablutio, chrismatio, vnctio; illa debet ab eodem determinari per formam.

450. D. Iacobi verbum imperatiuum *Inducat*, præter consilium, & hortationem Apostoli, videtur insuper importare præceptum diuinum, per Apostolum promulgatum. Quod etiam videtur innuere Tridentinum sess. 14. cap. 3. dicens: *Nullâ ratione audiendi sunt, qui contra apertam, & dilucidam Apostoli Iacobi sententiam docent hanc vnctionem, vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem. Et denique, qui hanc Extremam vnctionem, à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant.*

451. Vt quis sit capax sacramenti extremæ vnctionis, & effectus illius, debet esse baptizatus, infirmus periclitans de vitâ, vsu rationis aliquando præditus, ita

ita vt actualiter peccasse credatur, pœnitens, & habens suscipiendi huius sacramenti intentionem, saltem habitualem, iuxta n. 163.

De Ordine.

452. ORdo est sacramentum, quo gratia, spiritualisque potestas confertur Clerico, ad Eucharistiam, muniaque ad eam ordinata ritè peragenda. CLERICO, tonsurâ clericali insignito: nam Ordo præsupponit clericatum, & hic Baptismum. AD EVCHARISTIAM consecrandam, & administrandam, per Presbyterium. MVNIAQVE AD EAM ORDINATA, per Diaconatum, ordinesque inferiores; quorum munia sunt ad Eucharistiam ordinata quin & Episcopatûs munia v. g. collatio Ordinum, consecratio templorum, altarium, vasorum,

453. &c. * CLERICVS sic dictus à clero, id est forte: quia sortitus est sortem ministerij dominici: quia in sortem sanctorum vocatus est: quia pertinet ad sortem Domini: quia Dominus est sors, & pars hæreditatis ipsius. Itaque

454. *Clericus est baptizatus, à statu laico ad ecclesiasticum translatus*: & è plebeiâ ac sæculari conditione, insertus ecclesiasticæ. Siue, *est baptizatus, tonsurâ clericali insignitus.*

455. *Clerus est status vitæ ecclesiasticæ.* Item, *est congregatio ecclesiasticorum, à iurisdictione laicâ exemptorum.* ECCLESIASTICORVM, tam sæcularium, quàm regularium.

456. Clericatus, siue tonsura clericalis non est ordo, sed præuia dispositio ad illum: nec est sacramentum, sed quid sacramentale.

457. Tonsura autem clericalis non est ipsa corona verticalis, rasuraque orbicularis: sed propriè clericalis.

Tonsura est rotunda decurtatio capillorum aurium tenùs, & circumcisura comæ promissioris; ad deponendam ignominiam habitùs sæcularis: qui maximè spectabilis

est, in virorum laciniosis cincinnis, iubisque militaribus. Itaque clericalis tonsuratio, siue

Tonsura est cæremonia sacra, quâ per capillitij circumcisuram, baptizatus laicus allegitur in clerum.

458. Sunt septem ordines: scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Sub-diaconatus, Acolutatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus: quorum tres primi dicuntur *maiores*, & *sacri*: quatuor posteriores dicuntur *minores*, & *non sacri*.

459. *Ordo sacer est ille qui versatur propinquè circa sacerrimam Eucharistiam*, vasa, ornamentaque sacra; & habet annexam legem continentiæ, & horarum. VERSATVR PROPINQVE: Sub-diaconatus propè, Diaconatus propiùs, Presbyteratus proximè. CIRCA EVCHARISTIAM: sub-diaconatus, ad illius consecrandæ præuiam actionem: Diaconatus, insuper ad illius consecratæ, sub specie vini dispensationem; Presbyteratus, ad illius sub vtrâque specie actualem consecrationem.

460. *Ordo maior est ille, qui respectu minorum habet excellentiam particularem.*

461. *Ordo minor, & non sacer est ille, qui remotè versatur circa Eucharistiam*, aliasque res sacras; & non habet annexam legem continentiæ, & horarum. NON SACER, tamen reuera sacramentum, imprimens characterem: vti insinuant Concilia Florentinum, & Tridentinum: quia definiunt Ordinem esse legis nouæ sacramentum; & enumerant septem ordines, non faciendo vllam distinctionem inter eos, quoad sacramenti rationem. Et catechismus Romanus apertè tradit hanc sententiam, tanquam conformem doctrinæ Conciliorum,

462. Presbyteratus, siue Sacerdotium diuiditur in minus, & magnum, siue Episcopatum: qui confert gratiam, imprimit characterem, dat potestatem Ordinis, ad confirmandum, ordinandum; chrisma, oleaque catechumenorum, & infirmorum benedicendum; templa & altaria consecrandum. Insuper dat potestatem iurisdictionis approbandi confessarios, ex-

communicandi, & dandi indulgentias. Cæterùm Archiepiſcopatus, Primatus, Patriarchatus, & Papatus ſunt pares cum Epiſcopatu, quoad poteſtatem ordinis; maiores quoad poteſtatem iuriſdictionis.

463. Epiſcopatûs eſt duplex materia, & forma. Vna materia eſt impoſitio manuum Epiſcopi conſecrantis, & aliorum duorum Epiſcoporum, ipſi aſſiſtentium, ſupra caput ordinandi: forma ſunt verba, quæ illi tres dicunt, *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. Alia materia eſt chriſmatica vnctio manuum ordinandi: forma eſt, *Vngantur manus iſta*. &c.

464. Presbyteratûs eſt duplex materia, & forma. Vna eſt traditio calicis, cum vino; & patenæ; cum pane triticeo: forma eſt, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo* &c. Altera materia eſt impoſitio manuum ordinantis, ſupra caput ordinandi: forma eſt, *Accipe Spiritum-Sanctum: quorum remiſeris peccata*, &c. Itaque ſunt duæ materiæ, & formæ partiales Presbyteratûs; duo characteres, duæ poteſtates, integrantes vnum totale ſacramentum. Et quidem poteſtas conſecrandi confertur independenter à poteſtate remittendi peccata; non è conuerſo.

465. Diaconatûs videtur eſſe itidem duplex materia, & forma. Vna eſt impoſitio manuum Epiſcopi ordinantis ſupra caput ordinandi: forma eſt, *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur*, &c. Altera materia eſt traditio libri Euangeliorum: forma eſt, *Accipe poteſtatem legendi euangelium*, &c.

466. Sub-diaconatûs etiam videtur eſſe duplex materia, & forma. Vna eſt calicis vacui, cum patenâ vacuâ traditio, per Epiſcopum facta ordinando: forma eſt, *Videte cuius miniſterium vobis traditur*, &c. Altera materia eſt traditio libri epiſtolarum: forma eſt, *Accipe librum epiſtolarum*, &c.

467. Sub-diaconatûs & Diaconatûs hanc ſecundam materiam, quidam putant non eſſe eſſentialem: probabilius tamen eſt, & conformius concilio Florentino (dicenti materiam remotam ſacramenti Ordinis generaliter eſſe illud, per cuius traditionem Or-

do confertur: formam autem esse verba ordinantis) quòd pro materia partiali Sub-diaconatûs, & Diaconatûs, Christus instituerit traditionem alicuius rei, significantis potestatem spiritualem, munusque inseruiendi Sacerdoti in ijs, quæ spectant Eucharistiæ consecrationem, & administrationem. Et quòd reliquerit determinationi Ecclesiæ specificationem rei tradendæ: quæ etiam postea specificauerit librum epistolarum, & euangeliorum. Quo sensu, Christus instituit hanc Sub-diaconatûs, & Diaconatûs materiam determinatam, secundùm rationem formalem; indeterminatam autem, secundùm esse materiale.

468. Acolutatûs materia sunt vrceoli vacui, per Episcopum ordinantem traditi: forma est, *Accipe vrceolum, ad suggerendum vinum, & aquam*, &c.
Exorcistatûs materia est liber exorcismorum, per Episcopum ordinantem traditus: forma est, *Accipe, & commenda memoria*, &c.
Lectoratûs materia est codex diuinarum lectionum per Episcopum ordinantem traditus: forma est, *Accipe, & esto relator verbi Dei*, &c.
Ostiariatûs materia sunt claues Ecclesiæ, per Episcopum ordinantem traditæ: forma est, *Sic agito, quasi redditurus Deo rationem*, &c.

469. Ordinarius minister sacramenti Ordinis, est solus Episcopus: vti constat ex conc. Florentino, & Tridentino sess. 23. cap. 4. & can. 7. & ibidem de reformatione cap. 10. Extraordinarius minister ordinum minorum, & Sub-diaconatûs, est simplex Sacerdos, habens commissionem Pontificis, Christus enim videtur instituisse, vt simplex Sacerdos habeat inchoatam potestatem conferendi præfatos Ordines: quæ per commissionem Pontificis compleatur, non accessione entis realis, sed potestatis moralis: vti in Confirmatione fieri diximus n. 219.

470. Sacramenti Ordinis primarius effectus est gratia habitualis, habens annexam perpetuam potestatem, ordinatam ad Eucharistiam; & ius ad auxilia actualia. Secundarius effectus est character, præsup-

ponens necessariò characterem Baptismi: quin & Confirmationis, necessitate præcepti: quo Trident. sess. 23. cap. 4. de reformatione, prohibet ne non confirmatus initietur tonsurâ.

471. Natus in vnâ Diœcesi fixæ parentum habitationis, nam ipse habens in secundâ, & in tertiâ possidens beneficium requirens residentiam; imò probabiliter eam non requirens; poterit à quouis trium Episcoporum licitè ordinari, & petere dimissorias. Quia ad hoc sufficit titulus originis, aut domicilij fixi, aut beneficij: vti constat ex cap. *Cum nullus* 3. de temporibus ordinationum in 6.

De Matrimonio.

472. MAtrimonium accipitur duobus modis: primò pro contractu, secundò pro contractûs vinculo, resultante ex eo. Primo modo acceptum

473. *Matrimonium est contractus, quo legitimæ personæ, corporum suorum dominium mutuò tradunt, & accipiunt.* LEGITIMÆ, personæ quæ secundùm leges diuinas, & humanas, possunt tradere, & acceptare mutuum corporum suorum dominium, ad vsum coniugalem.

474. Secundo modo acceptum *Matrimonium est legitima maris, & feminæ coniunctio, indiuiduam vitæ societatem retinens.*

Pro contractu sacramentali acceptum

475. *Matrimonium est nona legis sacramentum, quo vir & mulier baptizati, corporum suorum dominium mutuò tradunt, & accipiunt.* DOMINIVM ad vsum coniugalem, sibi mutuo tradunt legitimè, secundùm præscriptum legum diuinarum, & humanarum. Hoc matrimonium est duplex: ratum, & consummatum.

476. *Matrimonium ratum est illud, quod completum est legitimo contrahentium consensu, non copulâ coniugali.*

477. *Matrimonium consummatum est illud, quod completum est legitimo contrahentium consensu, copulâque coniugali.*

478. Mutuus contrahentium consensus de præsenti, verbis aliisue signis sensibilibus expressus, est sacramenti Matrimonij materia, & forma. Materia, quatenus significat mutuam traditionem corporum, ad vsum coniugalem: forma, quatenùs significat mutuam acceptationem. Nam traditio, ante acceptationem, est indeterminata ad esse ratum: acceptatio autem determinat eam ad illud; ideoque habet rationem formæ, quæ dat esse rei, & determinat materiam.

479 Sacramenti Matrimonij minister, non est parochus, aliusuè sacerdos assistens; sed ipsi fideles contrahentes: quia ipsi sunt, qui applicant formam materiæ, Quod etiam innuit Conc. Florentinum, dicens contrahentium consensum de præsenti, esse causam efficientem matrimonij: quem cùm eliciant contrahentes, consequenter sunt causæ ministeriales efficientes sacramenti Matrimonij. Vnde si contrahant in statu peccati mortalis, peccant duplici peccato mortali; primò indignè ministrando sacramentum, secundò indignè suscipiendo illud.

480. Sacramenti Matrimonij proprius effectus, est gratia habitualis, moderatiua concupiscentiæ, in prolis generatione. Moderatiua inquam, per se, sibique annexas gratias actuales: quibus iuuantur coniuges, ad se mutuo sanctè fideliterque diligendum, castè conueniendum, prolemque christianè educandum.

481. *Sponsalia sunt futuri matrimonij mutua promißio acceptata, inter personas habiles.* SPONSALIA sic dicta à spondendo,

482. id est sponte promittendo. Vnde * *Sponsus est mas, in matrimonium femina promissus*: & *Sponsa est femina, mari promissa*, à se, sibi mutuo: quin & à parentibus, amicis, vel tutoribus. FVTVRI, non præsentis Matrimonij, nec per verba de præsenti: aliàs foret contractus matrimonialis. MVTVA PRO-

MISSIO, vtrimque data, & ACCEPTATA. Inter personas HABILES: quæ primò debent esse septennes: secundò sufficienti ratione vtentes: tertiò non habentes inter se impedimentum dirimens, aut impediens perpetuum; quod scilicet non potest tolli, sine dispensatione.

483. In genere *Impedimentum matrimonij est quid praexistens, iure reddens illud inualidum, aut illicitum.* EST QVID positiuum. v.g. crimen, votum, raptus, &c. vel negatiuum. v g. amentia, impotentia, absentia parochi. ILLI matrimonio PRÆEXISTENS, quia cum omne impedimentum matrimonij, reddat illud ab initio inualidum, aut illicitum, necessariò debet illi præexistere. Si autem superueniat matrimonio valido, v.g. affinitas, impediet tantum vsum illius: aut rati vinculum dissoluet quidem. v.g. votum solenne religionis; sed non dirimet propriè, quia non efficiet, vt ab initio validum non fuerit. IVRE diuino naturali. v.g. error personæ, consanguinitas primi gradûs lineæ rectæ. Vel diuino positiuo; vt olim consanguinitas gradûs secundi, & inferiorum, lineæ collateralis, &c. iuxta Leuitici 18. Vel humano v.g. crimen, raptus, &c. REDDENS matrimonium, ab initio sui INVALIDVM: quod facit impedimentum dirimens: AVT ILLICITVM: quod facit impedimentum impediens tantùm.

Impedimentum matrimonij est duplex: impediens tantùm, & dirimens.

484. *Impedimentum impediens tantùm est illud, quod impedit contrahendum matrimonium, sed non inualidat contractum.*

485. *Impedimentum dirimens est illud, quod impedit contrahendum matrimonium, & inualidat contractum.*

Ordinariè numerantur duodecim impedimenta impedientia

486. tantùm: quorum primum est * *Ecclesia vetitum*, siue prohibitio superioris ecclesiastici, episcopi, officialis, vel parochi ob causam rationabilem

inhibentis personæ particulari, ne contrahat matrimonium, donec constet non subesse impedimentum. Ad hoc ecclesiæ vetitum reuocatur excommunicatio maior, & minor: quâ irretitus priuatur participatione sacramentorum; & quidem licitâ matrimonij. Vide n. 393. & 394. Reuocatur etiam interdictum, cuius tempore illicitum est matrimonium, cum solenni benedictione. n. 410. Item omissio ternæ proclamationis bannorum, iuxta Tridentinum sess. 24. De reformatione matrimonij cap. 1.

487. Secundum est, *Tempus feriatum*, à Dominicâ primâ Aduentus, vsque ad Epiphaniam: & à feriâ quartâ cinerum, vsque ad Dominicam in albis inclusiuè. Quo tempore antiquas solennium nuptiarum prohibitiones, diligenter ab omnibus obseruari, sancta Synodus Tridentina præcepit, sess. 24. in decreto de reformatione matrimonij cap. 9.
Solennitas autem nuptiarum consistit in tribus: primò, in sponsæ benedictione: secundò, in eiusdem pompaticâ traductione in domum sponsi: tertiò in conuiuio nuptiali, facto cum strepitu instrumentorum musicorum, aut tripudiorum. Præfato tempore, quarundam Diœcescon (inter cæteras, Cameracensis) iure particulari prohibetur ipsum matrimonium.

488 Tertium est *Votum simplex castitatis*: ad quod reuocatur votum non contrahendi matrimonij, ingrediendæ religionis, suscipiendi Ordinis sacri. Quæ duo postrema habent implicitè annexum votum castitatis vouendæ, & dependenter ab ingressu religionis, & à susceptione ordinis.

489. Quartum sunt *Sponsalia valida*, non dissoluta legitimè,

490. Quintum est *Susceptio alicuius, in catechismo*, & cæremonijs præcedentibus Baptismum; vel subsequentibus illum, collatum absque solennitate. Est autem hoc impedimentum tantùm respectu suscipientis, & suscepti, parentumque ipsius.

491. Sextum est *Incestus* cum consanguineâ con-

iugis, in primo, & ſecundo gradu. Item fornicatio habita cum matre, & filiâ. Hoc autem impedimentum intelligendum eſt de aliis perſonis, quàm ijs, inter quas inde nata eſt affinitatis impedimentum dirimens. Item adulterium impedit ne quis eam ducat in vxorem, quam priùs polluit per adulterium.

492. Septimum eſt *Raptus alienæ ſponſæ*, libidinis explendæ causâ: & ſi ipſa conſentiat, incurrit idem impedimentum. Quod intelligendum eſt de alijs, quam de raptore, & raptâ: nam inter eos eſt impedimentum dirimens

493. Octauum eſt *occiſio propriæ coniugis*, ſimpliciter conſiderata, ſine circumſtantijs criminis: aliàs foret dirimens. n. 558.

494. Nonum eſt *iniuſta occiſio presbyteri.*

495. Decimum eſt *Suſceptio propriæ prolis*, ad impediendam redditionem debiti coniugalis. n. 545.

496. Vndecimum eſt *Publica pœnitentia*, quamdiu durat.

467. Duodecimum eſt *Matrimonium attentatum cum moniali.*

498. Ex præfatis duodecim impedimentis, impedientibus tantùm, quatuor prima perſiſtunt in viridi obſeruantiâ. Quintum probabiliter eſt ſublatum per decretum Conc. Tridentini ſeſſ. 24. cap. 2. quo hæc cognatio ſpiritualis reſtringitur ad ſuſceptorem Baptiſmi de ſacro fonte. Septem alia videntur abolita conſuetudine contrariâ.

499. Scienter contrahere matrimonium, cum impedimento, verè impediente, aut dirimente, ex parte ſuâ, vel complicis, eſt peccatum mortale: quia eſt in re graui, contra obedientiam Eccleſiæ debitam, & reuerentiam debitam ſacramento.

500. Matrimonij impedimenta dirimentia ſunt quindecim comprehenſa ſequentibus verſiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen:
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos:
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.

Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

501. Prædictorum impedimentorum quædam dirimunt tantùm cum certis personis. v. g. cognatio affinitas, crimen, &c. quædam absolutè cum quacumque personâ. v. g. votum solenne, ordo, ligamen, amentia, impotentia absoluta.

Primum impedimentum dirimens est *Error* personæ: qui

502. *Error personæ est iudicium, quo quis iudicat personam cum quâ contrahit matrimonium, esse aliam, quam sit.* Hic error dans causam contractui, dirimit matrimonium, iure naturæ: quia tollit consensum, essentialiter requisitum. Dans, inquam, causam contractui: id est, efficiens vt quis contrahat, qui absque eiusmodi errore, nullatenùs vellet contrahere. Aliàs si errans intendat actualiter contrahere cum personâ præsente, quæcunque tandem illa sit, validum foret matrimonium.

503. *Error qualitatis est iudicium, quo quis iudicat personam, cum quâ contrahit, habere inhærentem qualitatem, quam non habet,* v. g. fidem catholicam, virginitatem, probitatem, aut similem qualitatem, condistinctam contra seruitutem, & diuitias. *Seruitutem,* inquam, quia seruitus partis, ignorata à libero contrahente, dirimit matrimonium: non item alia qualitas communis. Contra *diuitias,* siue fortunam; quia fortunæ qualitas habet hic particularem considerationem.

504. *Error fortunæ est iudicium, quo quis iudicat personam, cum quâ contrahit, habere diuitias, quas non habet.*

505. Error solius qualitatis, aut fortunæ, per se non dirimit matrimonium: quia non tollit consensum essentialem. Error, inquam, solius qualitatis, aut fortunæ; quia si inuoluat errorem personæ, dirimit matrimonium, vtpote tollens consensum. Tunc autem error qualitatis, aut fortunæ, inuoluit errorem personæ, quando contrahentis consensus directè fertur in personam, non aliam, quàm determinatam cer-

tâ qualitate; quâ caret persona, cum quâ contrahitur. Exempli gratiâ, quando quis vult contrahere cum primogenitâ principis, &c non cum aliâ. Inquiebam *per se non dirimit*, quia ratione alterius impedimenti, error qualitatis personæ dirimit matrimonium. v. g. quando falsò iudicatur libera à seruitute, voto solenni, cognatione, affinitate, ordine, ligamine, honestate, cultûs disparitate. Item *per se*, quia per accidens potest dirimere, ratione consensûs expressè conditionati. v. g. Consentio in te, Caia; si sis catholica, virgo, &c. non aliter, nec aliàs. Vnde si præfata qualitas desit, consensus non est.

506. Secundum impedimentum dirimens est ***Conditio:*** quæ triplex est: prima, suspensiua consensûs: secunda, contraria matrimonio: tertia, status seruilis. Dirimens matrimonium

507. ***Conditio suspensiua est particula Si, vel æquipollens, consensui matrimoniali apposita; eumque tollens non impleta.*** SI: quæ propriè est particula conditionalis, & suspensiua consensus; donec constet de conditionis positione. ÆQVIPOLLENS, particula habens vim suspensiuam. v. g. ***modò, dummodò, vbi, quando***, &c. CONSENSVI APPOSITA, ita vt ille sit ratus, vel irritus, dependenter à positione conditionis; siue illa sit de præterito, præsenti, vel futuro. EVMQVE TOLLENS: nam consensus tantùm ponitur, conditione impleta; tollitur autem, non impleta.

508. ***Conditio contraria matrimonio est additio illi opposita, directè euertens substantiam, bonaue illius.*** ADDITIO, suspensiua, vel modificatiua consensus præsentis. SVBSTANTIAM, mutuam translationem & acceptationem dominij corporum, ad vsum conjugalem. BONAVE matrimonij: quæ tria sunt; sacramentum, fides, proles. ***Sacramentum***, inquam, id est sacrum signum; siue, insollubilitas matrimonij, significans sacram & insollubilem coniunctionem Christi cum Ecclesia. Scilicet absoluta insollubilitas matrimonij consummati; rati autem, nisi coniux pro-

fiteatur in religione approbata. *Fides*, id est fidelitas mutua coniugum, in vitando adulterio; & reddendo coniugali debito, legitimè petito. *Proles*, id est, generatio educatione prolis.

509. Conditio euertens substantiam matrimonij, est hæc v.g. Contraho tecum, ea lege, quòd non habebis corporis mei dominium. Euertens sacramentum, est hæc v.g. Accipio te in meam, ad annum tantùm: vel, donec inuenero aliam, ditiorem te. Euertens fidem, est hæc v.g. Contraho tecum, ea lege, quod adulteria impunè mihi permittes, Euertens prolem, est hæc v.g. Accipio te in meam, si in copula euitaueris generationem; prolemue natam enecaueris.

510. Conditiones contrariæ substantiæ matrimonii, bonisue illius, irritant illud: non contrariæ autem, sed turpes, & impossibiles appositæ, habentur pro non appositis: & relinquunt matrimonij contractum omninò purum, ex dispositione iuris: quod præsumit adfuisse consensum; idque tam certò, vt non admittat vllam probationem contrariam. Interim si contrahentes intenderent non consentire, ante impletionem eiusmodi conditionum; deesset reuera præsens consensus, qui à Iure suppleri non potest.

511. *Conditio seruilis est status persona, qua non est sui iuris.* Sed est sub potestate domini, tanquam possessio eius: & non tantùm sub iurisdictione eius, tanquam subdita; aut sub regimine œconomico, tanquam famula.

512. *Seruitus est iuris gentium constitutio, qua quis alieno dominio subijcitur*, contra naturalem humanæ naturæ conditio-

513. nem. Siue, *est priuatio libertatis.* Quæ * *Libertas est vt libet viuendi potestas.* Siue, *est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet:* nisi quod vi, aut iure facere prohibetur.

514 Mancipium, Seruus, *Serua est non sui iuris persona*, libertate propriâ priuata. Qualis censebatur

olim, quisquis erat damnatus ad metalla, bestias, mortem: & hic vocabatur *pœnæ seruus*: talisque seruitus dirimebat matrimonium: sed per Authenticam primam de nuptijs cap. 8. sublatum est hoc impedimentum.

515. *Error conditionis est iudicium, quo liber iudicat personam, cum quâ contrahit, esse liberam, cùm serua sit.* Hic error conditionis dirimit matrimonium iure humano positiuo, *cap. 2. & finali, De coniugio seruorum.* Idem error conditionis purgatur, quando liber cognitâ seruitute coniugis, renouat consensum, & ratificat matrimonium. Purgatur itidem (aiunt quidam, sed non ego) quando coniux seruus, est ita statu liber: vt intra tempus semestri breuius, concessa sit ei libertas. Seruus

516. autem * *Statu liber est is, qui statutam in tempus, vel conditionem, habet libertatem.* Seruus enim, cui sic data est libertas, interim dum dies, vel conditio expectatur, statu liber dicitur.

517. Tertium impedimentum dirimens est *Votum solenne castitatis*: quod est duplex, vnum expressum in professione religionis approbatæ, alterum implicitum in susceptione ordinis sacri.

518. *Votum castitatis est* Deo *facta promissio abstinentiæ voluptatum carnalium.*

519. *Votum solemne castitatis est illud, quod fit in professione religionis approbatæ, vel in susceptione ordinis sacri.* QVOD FIT expressè, vel tacitè. Dicitur votum solenne, à cæremoniâ, & solennitate professionis religionis, & susceptionis ordinis sacri.

520. *Votum simplex castitatis est illud, quod fit extra professionem religionis, susceptionemque ordinis sacri.* Hoc votum simplex non dirimit matrimonium, excepto eo, quod post biennium probationis, emissum est in Sociate IESV, iuxta constitutionem Gregorij XIII.

521. Contrahens cum impedimento voti castitatis, etiam simplicis, ex parte suâ, vel complicis; peccat mortaliter. Eiusmodi autem voto simplici obstrictus

contracto matrimonio, nunquam potest petere debitum; potest tamen reddere: etiam, probabiliter, primâ vice, consummando matrimonium: nisi durante primo bimestri, velit ingredi religionem: ad quam inducendus est, non tamen obligandus; vti colligitur ex Ioannis vigesimi secundi Extrauagante *Antiquæ*, de voto. Quod si coniux consentiat in voti obseruationem, vel adulteretur, vel moriatur; obligabitur seruare castitatem.

522. Qui vouit religionis ingressum, peccat mortaliter contrahens matrimonium, animo consummandi: item consummans illud, etiam per meram debiti redditionem; quia sic efficit sibi impossibilem voti impletionem. Interim matrimonio consummato, potest reddere debitum, & probabiliter petere; donec coniux consentiat in religionis ingressum, vel moriatur, vel adulteretur. Quo postremo casu, non potest ei, quantumcunque pœnitenti reconciliari.

523. Qui vouit sacri ordinis susceptionem, peccat mortaliter contrahens matrimonium, animo consummandi: quia vult se reddere impotentem ad voti impletionem. Nihilominus contracto matrimonio, potest probabiliter absque obligatione ingrediendæ religionis; reddere petereque debitum Consentiente tamen coniuge, vel adulterante, vel mortuâ, tenetur implere votum suum.

524. Qui vouit non contrahere matrimonium, peccat contrahendo: eo tamen contracto, potest reddere & petere debitum; & adulteranti reconciliari. Mortuâ tamen coniuge, tenetur abstinere à secundo matrimonio.

525. Quartum impedimentum dirimens est *Cognatio*: quæ triplex est: prima naturalis, siue consanguinitas: secunda spiritualis, orta ex Baptismo, Confirmatione, & Pœnitentiâ: tertia legalis, orta ex adoptione.

526. *Consanguinitas est vinculum personarum, carnali generatione à se mutuo, communi ne stipite descendentium.* VINCVLVM morale, quo diuersæ personæ inter

ſe colligantur, ſibique deuinciuntur. CARNALI, communicatiuâ eiuſdem carnis, & ſanguinis. GENERATIONE, productione viuentis à viuente coniuncto, ſecundùm ſimilitudinem in naturâ. Quâ parte excluditur formatio Euæ, ex coſtâ Adami. A SE MVTVO, reſpectiuè; ità vt in lineâ rectâ inferior deſcendat à ſuperiore. A ſe mutuo, inquam; vt includatur Adami cum poſteris conſanguinitas, aliás excludenda. COMMVNIVE STIPITE, vt comprehendatur conſanguinitas lineæ tranſuerſæ, ſiue collateralis. Hic autem communis.

527. *Stipes eſt perſona paterna, aut materna, à quâ deſcendentes ducunt originem*: & quidem originem propinquam; vt excludantur perſonæ paternæ, & maternæ remotiores, & remotiſſimæ: quæ conformiter ad ſcripturam, potiùs habent rationem radicis, è quâ prodit ſtipes, & ex eo rami. Aliàs foret propriè dicta conſanguinitas inter omnes omninò homines totius mundi, ab Adamo deſcendentes.

528. Etymologicè *Conſanguinitas eſt communio ſanguinis eiuſdem*, & carnis. *Conſanguinei ſunt coniuncti ſanguine*: ſiue, *perſonæ communem ſanguinem habentes*. In iure ciuili, Conſanguinei per patrem, vocantur propriè *Agnati*; per matrem, *Cognati*.
Conſanguinitas habet lineas ſuas, & gradus.

529. *Conſanguinitatis linea eſt ordinata ſeries perſonarum, ſanguine iunctarum, continens diuerſos gradus*. Hæc linea eſt duplex: recta, & tranſuerſa, ſiue collateralis.

530. *Linea recta eſt ordinata ſeries conſanguineorum, à ſe mutuo deſcendentium*. A SE MVTVO, ita vt inferiores deſcendant à ſuperioribus, non è diuerſo. Eiuſmodi eſt ſeries, & continuata propagatio patrum, cum filijs, nepotibus, pronepotibus, abnepotibus, atnepotibus, trinepotibus, alijſque minoribus: qui dicuntur deſcendentes. Item ſeries filiorum, cum patribus, auis, proauis, abauis, atauis, tritauis, alijſque maioribus: qui dicuntur aſcendentes.

531. *Linea collateralis, ſiue tranſuerſa eſt ordinata*

series consanguineorum, ab eodem communi stipite descendentium; & non à se mutuo. Eiusmodi est series fratrum, & sororum inter se, patruorum cum nepotibus, &c.

532. *Gradus est generationis progressus vnus.* Siue, *est distantia consanguineorum inter se*, per progressum vnum generationis.

533. In lineâ rectâ tot sunt gradus, quot sunt personæ, vnâ demptâ. Siue, Tot gradibus, vnus consanguineorum distat ab altero : quot generationibus inferior descendit à superiore.

534. In lineâ transuersâ, consanguinei distantes æqualiter à communi stipite, tot gradibus distant inter se, quot à stipite. Distantes autem inæqualiter, eo gradu distant inter se, quo remotior eorum distat à stipite. Vnde si vnus distet v. g. in secundo gradu, alter in quinto, non videntur habere opus dispensatione, ad contrahendum inter se matrimonium.

535. Iure diuino naturali consanguinitas dirimit matrimonium, in primo gradu lineæ rectæ : quin & collateralis, inter fratrem, & sororem (extra casum grauissimæ necessitatis, qualis fuit initio mundi, inter filios & filias Adami) ex vtroque, alteroue parente. Iure autem canonico consanguinitas dirimit matrimonium, vsque ad quartum gradum inclusiuè, & non vltra; saltem in lineâ collaterali. De rectâ meritò ambigitur : nam probabiliter dirimit in infinitum.

536. Duo infideles qui contraxerunt matrimonium, in gradibus, solo iure ecclesiastico prohibitis; possunt conuersi manere in eiusmodi matrimonio: vti constat ex cap. *Gaudemus*, tit. De diuortijs.

537. *Cognatio spiritualis est propinquitas, proueniens, ex collatione sacramentorum Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ.* COLLATIONE actiuâ & passiuâ. POENITENTIÆ, iuxta cap. *Omnes*, & sequens, Causâ 30. q. 1. Vnde congressus carnalis confessarij, cum feminâ pœnitente, est sacrilegus; incestus continens specialem malitiam, in confessione necessariò explicandam. Imò priuat confessarium potestate iurisdictio-

nis

tis ad absoluendum validè complicem : saltem in
538. diœcesi Cameracensi. Hæc autem particularis * *Cognatio spiritualis est propinquitas confessarij, tanquam patris, cum pœnitentibus, tanquam filijs*, non est propriè diremptiua matrimonij, iuxta Tridentinum sess. 24. cap 2. de reformatione matrimonij; & cap. finale, de cognatione spirituali, in sexto: subest enim impedimentum ordinis, aliàs dirimens.

539. Matrimonij autem diremptiua *Cognatio spiritualis est propinquitas, proueniens ex Baptismi, & Confirmationis collatione vel assistentiâ patrinali.* Hæc est duplex : vna est paternitas, altera compaternitas.

540. *Paternitas spiritualis est propinquitas baptizantis, confirmantisque ac suscipientis, cum baptizato, confirmatoque*, tanquam filio spirituali, siue filiastro.

541. Correspondens *Filiatio spiritualis est propinquitas baptizati confirmatique, cum baptizante, confirmanteque, ac suscipiente*, tanquam patre spirituali.

542. *Compaternitas est propinquitas baptizantis, confirmantisque, ac suscipientis, cum parentibus baptizati, ac confirmati.*

Olim erat etiam fraternitas spiritualis; quæ iam sublata est.

543. Hæc autem * *Fraternitas spiritualis est propinquitas baptizati, & confirmati, cum naturalibus filijs baptizantis, confirmantis, ac suscipientis*.

544. Supradicta cognatio spiritualis, ex Baptismo, aut Confirmatione, etiam per necessitatem, vel ignorantiam orta, antecedens matrimonium, dirimit illud, inter personas, aliàs habiles. Matrimonio autem contracto superueniens, per coniugum ignorantiam, aut necessitatem, excusatur à peccato, & à priuatione iuris petendi debiti. Extra præfatos verò casus necessitatis, & ignorantiæ, non excusatur à peccato mortali : quia coniuges in re graui faciunt contra Ecclesiæ prohibitionem, *Causa* 30. q. 1. & secundùm multos excidunt iure petendi debiti, saltem culpabiles: qui tamen tenentur reddere debitum inculpabilibus petentibus. Verùm secundùm Glosam *cap. 2. de cogna-*

tione spirituali, verbo *Debitum*, & saniorem Theologorum sententiam, non excidunt iure petendi debiti; sed ad illius abstinentiam hortandi sunt: si autem nolint abstinere, graui pœnitentiâ iniunctâ, permittendi sunt vti iure suo. Nam *cap. De eo. 30. q. 1.* dicitur, *Si autem coniuges legitimi, vnus aut ambo, ex industriâ fecerint, vt filium suum de fonte susciperent; si innupti permanere voluerint, bonum est: sin autem, grauis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant.* Et cap. *Si vir; de cognatione spirituali*, Pontifex ita statuit. *Ideo nobis videtur, quòd siue ex ignorantiâ, siue ex malitiâ id fecerint, non sunt ab inuicem separandi; nec alter alteri debitum debet subtrahere: nisi ad continentiam seruandam possint induci. Quia si ex ignorantiâ id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitiâ, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.*

545. *Cognatio legalis est propinquitas, ex adoptione proueniens.*

546. *Adoptio est persona extranea, in filium & hæredem gratuita assumptio.* EXTRANEÆ, carentis gradu filiationis, ad quem assumitur. Non enim requiritur, quòd persona adoptanda sit planè extranea adoptanti: nam potest auus adoptare nepotem, in filium; & patruus neptem, in filiam; vti Mardochæus Estherem. *Gratuita*? liberalis, & non onerosa: aliàs degeneraret in contractum onerosum.

Adoptandi adulti consensus requiritur; in paruulo autem, consensus eorum, quorum potestati subest.

547. Adoptio est naturalis generationis imitatio, inuenta ad illiberorum solatium; vt naturæ infœcunditatem, familiæue orbitatem illa suppleret.

Adoptio diuidetur in Arrogationem, & Adoptionem ciuilem.

548. *Arrogatio est persona sui iuris, in familiam assumptio.*

549. *Adoptio ciuilis est filij familias, in alienam familiam assumptio.* Inter has duas adoptionis species, est hoc discrimen; quòd arrogatio sit personæ, quæ est sui iuris, & non sub patriâ potestate, assumptio; adop-

tio autem, est filij familias; & personæ existentis sub patriâ potestate. Arrogatio non soluitur emancipatione, nec per eam priuatur spe successionis, arrogatus: adoptio autem soluitur emancipatione; ante quã, si adoptans moriatur, adoptatus retinet ius iustorum liberorum, aditque hæreditatem.

550. *Emancipatio est solennis patria potestatis dissolutio.* Imò generaliùs, *Emancipatio est extra dominium, & potestatem positio*; eum quem in mancipio, dominio, & potestate habemus, efficiendo sui iuris: aut saltem illius dominium alienando à nobis.

Cognatio legalis est triplex: prima lineæ rectæ, secunda lineæ transuersæ, tertia est affinitati similis.

551. *Cognatio legalis linea recta est propinquitas inter adoptantem, & adoptatum*; huiusque filios, & nepotes.

552. *Cognatio legalis linea transuersa est propinquitas inter adoptantis filios naturales, & adoptatum.*

553. *Cognatio legalis, affinitati similis, est propinquitas inter adoptatum, & adoptantis vxorem; interque adoptati vxorem, & adoptantem.*

554. Quælibet præfatarum cognationum legalium dirimit matrimonium; hoc tamen discrimine, quòd prima & tertia semper, & in perpetuum dirimat; etiamsi adoptio dissoluatur, per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati. Secunda autem tantùm dirimit, quamdiu adoptatus, & filij naturales adoptantis manent in potestate patriâ.

555. Quintum impedimentum dirimens est *Crimen*: dirimens inquam matrimonium, inter criminosos attentatum. Hoc autem

556. *Crimen est machinatio in mortem coniugis, aut adulterium, cum attentato promissoue matrimonio.* MACHINATIO efficax, siue occisio CONIVGIS alterutrius criminosorum. Secùs est de inefficace, quâ *imminet exitio vir coniugis, illa mariti.* Occisio inquam, per se, vel alios efficaciter impulsos. ADVLTERIVM formale, quod scilicet à committentibus scitur, aut sciri debet esse tale. CVM ATTENTATO matrimonio secundo;

durante primo. PROMISSOVE matrimonio contrahendo, post dissolutionem primi. Promisso inquam, per promissionem acceptatam, saltem tacitè.

557. Generaliter loquendo, crimen dirimens matrimonium, est duplex: machinatio efficax, & adulterium: vtrumque subdiuiditur in diuersa. Vnde partitè, & distinctè loquendo, possunt assignari quinque crimina. *Primum* est machinatio efficax vtriusque criminosi, iuncta formali adulterio. *Secundùm* est machinatio vnius tantùm, iuncta adulterio vtriusque, cap. *Significasti 6. de eo, qui duxit.* Talis fuit machinatio Dauidis in Vriam, insciâ Bethsabee, adulterij complice. *Tertium* est machinatio efficax vtriusque criminosi: absque adulterio: cap. *Laudabilem* 1. *De conuersione infidelium*: & cap. *Si quis viuente.* 32. q. 1: & cap. *Significasti* 6. *De eo, qui duxit.* Et hæc tria crimina procedunt, etiamsi alteruter machinantium sit infidelis: vti constat ex allegato cap. 1. *De conuersione infidelium.* An hæc criminosa machinatio debeat expresse fieri intentione contrahendi matrimonij inter criminosos, ambigitur: probabile est, quòd non; & probabilius est, quòd sic. *Quartum* est adulterium formale, præcedens aut subsequens matrimonium secundum, attentatum inter adulteros, durante primo. cap. *Significasti* 6. *De eo, qui duxit* Hoc quarti criminis impedimentum distinguitur ab impedimento ligaminis, vt pote requirens adulterium adiunctum; non autem ligamen. Deinde ligamen dirimit matrimonium, cum quocunque attentatum: crimen autem tantùm cum complice criminoso; verùm sublato etiam ligamine, per mortem naturalem coniugis. *Quintum* est adulterium formale, cum promissione datâ, & expresse tacitéue acceptatâ, de contrahendo matrimonio, post mortem coniugis, naturaliter defuncti. cap. *Significasti* 6. *De eo, qui duxit.*

558. Sextum impedimentum dirimens est *Cultûs, disparitas*, quâ matrimonio iungendorum vnus baptizatus colit Deum verum, altera non baptizata colit Deum falsum. Itaque hîc

559. *Cultûs disparitas est diuersitas religionis baptizati, matrimonium contrahentis cum non baptizatâ* : vel è diuerso. Hæc cultûs disparitas in nouâ lege, iure diuino positiuo dirimit matrimonij sacramentum. Illo enim iure diuino positiuo, character Baptismi prærequiritur omni alteri sacramento. Quo charactere, quia caret non baptizatus, ideo est incapax sacramenti matrimonij : quod essentialiter est contractus, & quidem vnus numero inter duos : qui cum non sit sacramentalis, ex parte non baptizati ; non est itidem ex parte baptizati, cum eo contrahentis.
Interim fidelis cum infideli matrimonium non dirimitur iure diuino, quatenùs est contractus. Vnde catenùs fuit validum matrimonium Sanctarum Cæciliæ, Monicæ, & Clotildis ; cum Valeriano Patricio, & Clodouæo infidelibus. Postea tamen introducto iure ecclesiastico, cultûs disparitas cœpit dirimere matrimonium, etiam quà contractus est.

560. Infidelium cum pluribus coniugibus matrimonia omnia sunt irrita, excepto primo. Vnde si quis eorum poligamus conuertatur, debet omnes vxores dimittere, exceptâ primâ, quantumuis ante repudiatâ. Quæ si nolit conuerti, consentit tamen habitare cum conuerso, absque contumeliâ creatoris, & sine sollicitatione ad peccatum ; non poterit conuersus eam dimittere, iuxta præceptum Apostoli 1. Cor. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Quòd si autem infidelis discedit, discedat : non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi* : sed potest de nouo contrahere matrimonium, cum vnâ coniugum conuersarum, vel quâcunque aliâ fidele. Quo contracto, tum demùm soluetur prius, quoad vinculum ; licebitque infideli aliud etiam contrahere.

561. Septimum impedimentum dirimens est *Vis*, atque metus. Quamuis autem passìm accipiantur vt synonima *vis*, *violentia*, *coactio* ; tamen duo prima competunt etiam insensibilibus, tertium autem tantùm præditis cognitione: vti constat ex ijs, quæ dixi-

mus; 1. 2. n. 167. vsque ad 172. & ibidem de timore, & metu. n. 125. & 178. Qui metus propriè infertur animo; vis, violentia, coactio corpori hominis per malum, præsens, renitente planè voluntate, & sublato omni voluntario. Metus autem infertur per malum absens imminens, voluntate non absolutè renitente, sed efficiente voluntarium absolutum.

562. Dirimit matrimonium omnis & solus metus grauis, ab homine, iniustè incussus, ad extorquendum matrimonium, aliàs omninò displicens. Primò, *metus, grauis*, absolutè, vel respectiuè grauis (1. 2. n. 184. 185. 186.) vti constat ex cap. *Veniens*, & *Consultationi. tit. De sponsalibus.* Signanter autem de respectiuè graui constat ex lege *Metus autem.* 3 tit. *Ex quibus causis maiores:* vbi dicitur iustum metum intelligi ex affectu eius, qui illum patitur: id est, metum æstimari iustè meritóque conceptum; prout constans, aut timidus diuersimodè afficitur; metuque difficiliùs faciliusue percellitur. Non habetur autem hic ratio metûs leuis (1. 2. n. 180. & 181.) vti constat ex lege. *Nec timorem* 7. *De eo, quod metûs causâ.* & cap. *Cùm dilectus.* 6. *de his quæ vi.* Secundò, *ab homine*, quia si metus incutiatur à causâ merè naturali, vel supernaturali, non dirimet matrimonium. A causâ naturali, inquam. v. g. tempestate, fulmine, morbo, naufragio, &c. Vel supernaturali. v g. Deo, Angelo comminante infernum, &c. Eiusmodi enim metus habet se merè per accidens ad matrimonium; nec tollit consensum, aut voluntarium absolutum. Tertiò, *iniustè incussus:* quia si metus iustè incutiatur, nulla fit iniuria metuenti: qui sibi imputare debet, quod spontè dederit causam incussionis metus. Incussus inquam ab exigente matrimonium, vel ipso inscio incussus ab alio: vtrouis enim modo tollitur spontaneum (1. 2. n. 146. & 147.) quòd ius ecclesiasticum vult saluare. Quartò, *ad extorquendum matrimonium*: quia si metus incussus sit, ad alium finem; intimidatus contrahens, vt metum euadat, validè contrahet: etiamsi aliàs contrahere nollet, Nam eiusmodi metus habet se

merè per accidens, ad matrimonium. Quintò, *aliàs omninò, displicens* contrahenti, secluso metu. Nam si matrimonium placeat secluso metu, eiusmodi metus incussio, erit potius occasio, quàm causa matrimonij: quod tanquam spontaneum, ius non intendit irritare: vti expresse constat ex cap. *Cùm locum*, *de sponsalibus*.

563. Præfatus metus, quinque circumstantiis comitatus, dirimit matrimonium, non iure diuino naturali, aut positiuo, sed solo ecclesiastico. Non, inquam, iure diuino naturali, quia hoc foret ratione sublati per metum consensûs, & voluntarij: quod tamen non fit, vtpote manente voluntario absoluto; & consensu, tanquam actu elicito voluntatis, numquam patiente violentiam. Non etiam iure diuino positiuo, quia nullum tale extat. Itaque solo iure ecclesiastico, sed fundato in iure naturali, dictante posse ab initio irritari contractum, cui deest spontaneum plenum, & adest inuoluntarium secundùm quid, coniunctum injuriæ.

564. Quòd si metus foret tantus, vt tolleret iudicium rationis, redderetque intimidatum, sui impotem; tunc irritaret matrimonium, iure naturæ: quia tolleret consensum, essentialiter requisitum.

565. Si iniuste intimidatus voluerit, tenetur intimidans reualidare matrimonium, per nouum vtrimque consensum, si antè non subfuerit ex parte intimidati: à quo si metu extortus fuerit, tunc reualidabitur matrimonium, si renouet spontaneum consensum, etiam per copulam affectu maritali; etiam vbi publicatum est Concilium Tridentinum: modò antea externus consensus fuerit expressus coràm parocho, & testibus, metûs incussi ignaris.

566. Octauum impedimentum dirimens est *Ordo* maior, & sacer: id est, habens annexam legem continentiæ, & implicitum votum solenne castitatis. Eiusmodi est Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus: vti constat ex diuersis canonibus, annectentibus cœlibatum, & legem continentiæ præfatis ordi-

nibus : & signanter Subdiaconatui, cap. *Nullus in Episcopum. Dist.* 60. & cap. *A multis.* 9. *De ætate, & qualitate ordinandorum.* Insuper annectentibus votum solenne castitatis : vti constat ex cap. *Cùm olim.* 6. *De clericis coniugatis:* & cap. vnico, *de voto, & voti redemptione*, in 6. Ideoque ordo sacer dirimit matrimonium mediatè, ratione impliciti solennis voti castitatis annexi : & immediatè per se, ratione legis ecclesiasticæ de seruandâ continentiâ : saltem in Ecclesiâ Latinâ : nam in Græcâ permittitur ordinatis, Episcopo inferioribus, vsus matrimonij, ante ordinationem contracti, cum prohibitione contrahendi.

567. Ordo sacer susceptus ante vsum rationis; aut post eum, metu graui, iniustè incusso; non foret impedimentum dirimens matrimonium, neque obligatorius Horarum: nisi postea accessisset liber consensus in sui ordinationem.

568. Ordo idem legitimè superueniens matrimonio, impedit vsum illius. Legitimè inquam, vxore scilicet consentiente, & continentiam vouente : quin & eâ inuitâ, dante causam diuortij perpetui. Aliter ordinatus peccabit mortaliter, carebitque executione ordinis suscepti, & potestate altioris suscipiendi ; debebitque vxori cohabitare, & petenti debitum reddere ; non poterit tamen petere.

569. Nonum impedimentum dirimens est *ligamen* : quod *Ligamen est indissolubile vinculum matrimonij, quo coniux obligatus est coniugi, durante vitâ ipsius*, ità vt non possit validè contrahere cum alio. Quod intelligendum est de fidelium matrimonio consummato; nam ratum soluitur quoad vinculum, per professionem alterutrius coniugum, in religione approbatâ, vti constat ex canonibus, & Concilio Trid. sess. 24. de sacramento matrimonij can. 6.

570. Iuxta cap. *Ex publico.* 7. *De conuersione coniugatorum*, possunt noui coniuges differre matrimonij consummationem, ad bimestre; vt intereà deliberent num velint ingredi religionem. Et quantumcumque temporis sit elapsum, à matrimonio contracto; iure

vel iniuriâ non consummato, vterque coniugum retinet ius ingrediendæ & profitendæ religionis. Quod si deliberationis bimestri durante, matrimonij consummatio fuerit obtenta vi, vel metu; probabile est quòd vim passa possit ingredi religionem, altero inuito. Quo casu, per professionem non soluetur vinculum matrimonij consummati: sed relictus in sæculo debebit manere cœlebs, durante vitâ coniugis religiosæ.

571. *Poligamia est simultanea pluralitas vxorum.* Hæc in nouâ lege est illicita, successiua autem pluralitas est licita, contra Montanistas, & Nouatianos.

Decimum impedimentum dirimens est *Honestas*: quæ

572. *Honestas est apparens propinquitas, orta ex matrimonio rato, non consummato; & ex sponsalibus validis.* HONESTAS, quæ etiam vocatur *Iustitia publicæ honestatis*, quia fundatur in iustitiâ, & æquitate decori publici, & in communi honestate, decentiâque humanâ. APPARENS PROPINQVITAS, quia præ se fert aliquam speciem affinitatis.

573. Hæc honestas, orta ex matrimonio rato, non consummato, dirimit matrimonium inter maritum, & consanguineas vxoris; & inter vxorem, consanguineosque mariti, vsque ad quartum gradum inclusiuè: vti constat ex cap. *Si quis vxorem*, & *Si quis desponsauerit* 27. q. 2. & ex bullâ Pii quinti *Ad Romanum*, editâ anno 1568. Si autem orta sit ex sponsalibus validis, dirimit tantùm, vsque ad primum gradum, inter sponsam & consanguineos sponsi; & inter sponsum consanguineasque sponsæ: vti constat ex Trident. sess. 24. de reformatione matrimonij cap. 3.

Vndecimum impedimentum dirimens est *amentia*. Hæc autem

574. *Amentia est mentis alienatio, visusque rationis priuatio, ex defectu naturali prouenient*; non ex somno, aut ebrietate.

Amentia, siue sit perpetua, siue temporalis, dirimit matrimonium, eâ durante, contractum: idque

iure naturali, quia tollit consensum.

Duodecimum impedimentum est *affinitas*. Hæc autem

575. *Affinitas est diuersarum personarum propinquitas, quarum vna copulam carnalem habuit cum consanguineâ alterius. Siue, est propinquitas vnius personæ, cum consanguineis alterius, à se carnaliter cognitæ.*

576. Affinitatis fundamentum est copula carnalis duarum personarum, quâ factæ vna caro, ad fines mutuos accedunt, mutuasque necessitudines vicissim participant; ita vt omnes consanguinei vnius, fiant alteri propinqui, & affines, in lineâ, & gradu, quo sunt eidem consanguinei.

577. Affinitas orta ex copulâ licitâ, siue coniugali, præcedens matrimonium, dirimit illud vsque ad quartum gradum inclusiuè: orta ex copulâ illicitâ, vsque ad secundum inclusiuè: vti constat ex cap. *Non debet.* 8. *De consanguinitate*: & ex Tridentino sess. 14. cap. 4. De reformatione matrimonij. Si autem intra præfatos gradus, affinitas superueniat matrimonio, vsum illius impedit, id est debiti coniugalis petitionem, ex parte culpabilis.

578. Probabile est quòd affinitas primi gradûs, in lineâ rectâ, dirimat matrimonium iure naturæ, insinuato 1. Cor. 5. & Leuitici 18.

Cæterùm affinitas non generat affinitatem: vnde affines mariti non sunt affines vxori, neque è diuerso.

Decimumtertium impedimentum dirimens est *absentia parochi, & testium*. Hæc autem

579. *Absentia est defectus præsentiæ humanæ parochi, duorumque testium, quando contrahitur matrimonium.*
DEFECTVS PRÆSENTIÆ parochi, & testium, qui debent adesse. HVMANÆ præsentiæ, non merè physicæ, sed moralis, quâ humano modo parochus & testes animaduertant, quòd contrahatur matrimonium. PAROCHI, pastoris contrahentium, seu alterius sacerdotis, de licentiâ ipsius parochi (etiam non Sacerdotis) seu ordinarii. DVORVMQVE, vt minimùm

TESTIVM. Trid. sess. 24. De reform. mat. cap. 1. Qui testes non debent esse omni exceptione maiores. QVANDO CONTRAHITVR parochianorum MATRIMONIVM.

580. *Parochiani sunt ij, qui in parochiâ habent domicilium, vel quasi domicilium.*

581. *Domicilium habent in parochiâ, qui in eâ habitant, animo ibidem perpetuò manendi:* etiamsi primùm aduenerint.

582. *Quasi domicilium habent in parochiâ, qui in eâ habitant maiore parte anni.* v. g. studiosi in Vniuersitate, milites in præsidiis, tyrones opificiorum, in oppidis, &c.

583. *Vagi sunt qui nullibi fixerunt domicilium:* ij sortiuntur parochum loci, in quo diuersantur.

Decimumquartum impedimentum dirimens est *impotentia*: quæ

584. *Impotentia est inhabilitas habendæ copulæ carnalis:* quâ vir & mulier congredientes, fiunt vna caro. INHABILITAS orta ex causâ naturali, vel liberâ: ex defectu, vel constitutione membrorum: ex frigiditate corporali, vel maleficio. COPVLÆ: quæ

585. *Copula carnalis est emißio seminis virilis, in vas muliebre.* Impotentia vna est absoluta, alia respectiua: item vna perpetua, alia temporaria.

586. *Impotentia perpetua est inhabilitas habendæ copulæ, quæ nunquam tolli potest;* absque vitæ periculo, peccato, vel miraculo. Quòd si aliquo horum trium modorum tollatur; nihilominus matrimonium fuerit inualidum: & vterque poterit inire aliud matrimonium; vel potiùs de nouo inter se contrahere. PERPETVA: qualis in iure censetur ea, quæ triennio durauit, post attentationem copulæ, bonâ fide. Eiusmodi impotentiâ laborantes, sunt ab inuicem separandi: nisi velint cohabitare simul, vti frater & soror; quando abest periculum incontinentiæ, & neuter petit separationem.

587. *Impotentia temporaria est inhabilitas habendæ*

copula, quæ potest tolli, successu temporis, prouectu ætatis, vel ordinarijs Ecclesiæ remedijs, arte humanâ, absque periculo vitæ.

588. *Impotentia absoluta est inhabilitas habendæ copulæ, cum quacunque diuersi sexûs personâ.*

589. *Impotentia respectiua est inhabilitas habendæ copulæ, cum certâ tantùm personâ.*

590. Impotentia absoluta & perpetua dirimit matrimonium, iure ecclesiastico, & naturali. De iure ecclesiastico constat ex toto titulo *De frigidis, & maleficiatis*. De iure naturali constat, quia matrimonium essentialiter consistit in mutuâ traditione dominij corporum, ad vsum coniugalem potentium. Impotentia respectiua perpetua dirimit matrimonium cum ijs, respectu quorum est; non autem cum alijs. Si detegatur postea, etiam separatione factà, quòd impotentia non fuerit perpetua; coniuges erunt sibi restituendi.

591. Impotentia temporaria aliorum, quàm impuberum, non dirimit matrimonium: vti constat ex cap. *Fraternitatis. De frigidis*. Impotentia impuberum dirimit iure ecclesiastico; id est, masculorum non complentium annum decimum-quartum; & puellarum, duodecimum.

Decimumquintum impedimentum dirimens est *raptus*: qui

592. *Raptus est feminæ inuitæ abductio, matrimonij contrahendi, libidinisue explendæ causâ.* FEMINÆ: licet enim ad speciem luxuriæ, raptum, (definitum 2. 2. n. 1125.) sit indifferens an mas, an femina inuiti abducantur, libidinis explendæ causâ; tamen ad raptum dirimentem matrimonium, requiritur vt femina inuita abducatur: vti constat ex Tridentino, sess. 24. cap. 6. de refor. matrimonij. INVITÆ, & renitentis: cuius libertati, spontaneoque matrimonio vult consulere Ecclesia: ad quod solius contrahentis liber & spontaneus consensus requiritur: non autem parentum, tutorum, aut aliorum. ABDVCTIO violenta de vno loco ad alium, ita vt maneat in potesta-

te raptoris, secundùm ius, & Tridentinum citatum. MATRIMONII CONTRAHENDI, LIBIDINISVE EXPLENDÆ CAVSA: etiamsi contingat eam non expleri. Cùm ergò raptus ordinariè fiat ratione alterutrius horum finium; ideo Ecclesia instituit hoc impedimentum, vt raptorem ab eiusmodi attentatione deterreat. Si autem deductio fieret animo sibi vindicandi abductam, foret furtum hominis, siue *plagium* definitum 2.2. n. 486.

De diuortio, & repudio.

593. *Diuortium est coniugum separatio, quoad thorum*, siue debiti coniugalis redditionem. QVOAD THORVM solum, vel insuper quoad cohabitationem; in perpetuum, vel ad tempus.

Christus Dominus Matth. 5. & 19. allegat vnicam diuortij causam, coniugum fornicationem, id est voluntarium adulterium; tanquam contrarium naturæ matrimonij, fideique conjugali; & tanquam fundamentum perpetui diuortij. Sub adulterio autem comprehenditur sodomia, bestialitas, & quæcunque copula carnalis, voluntariè habita cum alià; quàm coniuge.

594. Ex Concilio Trid. sess. 24. can. 8. constat esse multas iusti diuortij causas: & vniuersaliter quandocunque vnus coniugum non potest alteri cohabitare, sine graui animæ, corporisue periculo, censetur esse iusta causa diuortij. Verùm hæc arbitranda est per Iudicem ecclesiasticum: maximè quando agitur de diuortio quoad cohabitationem. Nisi fiat de mutuo coniugum consensu, ad seruandam castitatem, aut ingrediendam religionem. Nisi etiam fiat quoad solum thorum, à coniuge innocente, cui constat de alterius dissentientis adulterio: per quod, licet ipso facto probabiliter non excidat iure petendi debiti, potest tamen eo priuari, ante sententiam iudicis.

595. *Repudium est coniugis dimißio, & vinculi ma-*

trimonialis dissolutio. Huius repudij libellus, per diuinam concessionem, in lege Mosaïca fuit permissus; eoque soluebatur matrimonium, quoad vinculum: vti constat ex Deut. 24. Malachiæ 2. & Matth. 19. Sed hæc permissio sublata est in lege nouâ.

Iurisconsulti accipiunt repudium lato modo: & secundùm eos,

596. *Repudium est coniugis, sponsæue reiectio, & matrimonij sponsaliumue diremptio.*

De dispensatione impedimentorum Matrimonij.

IN hac materiâ matrimoniali,

597. *Dispensatio est impedimenti matrimonialis sublatio.* IMPEDIMENTI dirimentis; aut impedientis tantùm. SVBLATIO, facta abs habente potestatem, indulta personæ particulari, propter causam legitimam,

598. *Dispensare est tollere impedimentum dirimens, aut impediens.*

599. Summus Pontifex potest dispensare in omnibus impedimentis, solo iure ecclesiastico dirimentibus, & impedientibus. Episcopus per potestatem delegatam potest dispensare in temporario voto castitatis, non nubendi, &c.

600. Matrimonium contractum coràm parocho, & testibus, sed inualidè ratione occulti impedimenti dirimentis; eo per dispensationem sublatò, potest validari, per iteratum coràm parocho & testibus consensum: vel per eundem clandestinè inter coniuges renouatum verbis, signisue exterioribus; etiam copulâ habitâ animo coniugali. Quod postremum fieri non potest, quando impedimentum non fuit occultum.

De copula coniugali.

601. COpula coniugalis licita est, cum debitis circumstantijs; illis destituta, est illicita. Quod à confessarijs, valde inculcandum est coniugibus: qui ab Asmodæo decepti, & à propriâ concupiscentiâ illecti, prætextu matrimonij putant sibi licere nefanda.

602. Copula coniugalis habita ad generationem prolis, vel ad vitandam incontinentiam coniugis, vel ad ei reddendum debitum, licita est: aliàs illicita, saltem venialiter. Qualis proinde est, habita ob solam voluptatem: quin & ex præcipuo motiuo illius; adiuncto aliquo trium præfatorum, tanquam secundario. Item habita ad vitandam in se incontinentiam, & solo intuitu medendi propriæ concupiscentiæ; iuxta constantem sententiam Sanctorum Bonauenturæ, Thomæ, Gregorij, Fulgentij, & Augustini explicantis eo sensu locum Apostoli. 1. Cor. 7. v. 6. Item petita, & habita cum prægnante: imò si sit coniuncta periculo aborsûs, aut debilitationis fœtûs, erit mortalis: vti & (iudicio Augustini, & grauissimorum Theologorum) habita cum menstruatâ. Indubiè autem talis est, habita extra vas naturale: in eo autem, aliter quàm modo naturali, est venialis: imò mortalis, si modus sit impeditiuus conceptionis.

603. Inter coniuges quoque oscula, aspectus, & tactus impudici, sunt mortales, si habeant annexam pollutionem, illiusue euidens periculum: quo secluso, ordinariè excusantur à mortali.

604. Vterque coniugum tenetur alteri, etiam implicitè petenti, ad redditionem debiti, vti constat ex 1. Cor. 7. Vnde negatio illius est peccatum mortale: nisi rationabile quid subsit excusans à toto, vel tanto.

De iudicio diuino particulari, ac vniuersali.

605. DEus habet supremam, independentem, & absolutam potestatem iudiciariam: quam

delegauit Christo homini, ratione vnionis hypostaticæ, & passionis suæ. Nam *omne iudicium dedit filio: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ioan. 5. Itaque Christus, quà Deus habet iudiciariam potestatem independentem; quà homo, dependentem delegatam.

606. *Iudicium est potestatis publicæ decretum, definiens quid cuique debitum sit.* POTESTATIS PVBLICÆ, Iudicis legitimi, potestatem publicam habentis, DECRETVM, per sententiam statuens, & DEFINIENS ex præscripto legum; QVID CVIQVE DEBITVM SIT, stricto iure, ita vt violatio illius, constituat iniuriam: vel *debitum* secundum exigentiam meritorum: quo posteriori modo pœna debita est, non priori.

607. *Iudicium diuinum est independentis potestatis decretum, definiens quid cuique debitum sit.* Hoc est duplex: particulare, & generale.

608. *Iudicium particulare est decretum diuinum, intimatum priuato, addicens eum gloria, vel pœna.* EST DECRETVM DIVINVM, statim à morte cuiusque hominis (nisi extraordinariè differatur) latum, in eodem loco, vbi anima excedit è corpore. INTIMATVM, per Christi iudicis apparentis sententiam, PRIVATO vnicuique sigillatim. ADDICENS EVM, iuxta meritorum suorum exigentiam, GLORIÆ æternæ, immediatè, vel mediatè: VEL POENÆ temporali purgatorij, aut æternæ inferni,

Hoc iudicium, vnum est discussionis, aliud retributionis.

609. *Iudicium discussionis est examen rationum, num quis sit premiandus, an puniendus*; absoluendus, an damnandus. Quia causa habetur dubia, ob permixtionem operum bonorum cum malis.

610. *Iudicium retributionis est decretum iudicis, præmium, vel pœnam reddentis adæquatam meritis.*

611. Iudicio retributionis omnes iudicantur: iudicio discussionis non iudicantur ij, quorum est euidens saluatio, vel damnatio. *Saluatio* inquam. v.g. B Mariæ, & infantium post Baptismum defunctorum.

Damnatio.

Damnatio v. g. infidelium, & notoriè impiorum. Quo sensu dicitur psalmo 1. *Impij non resurgent in iudicio.* & Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est.*

612. In iudicio particulari, per internam illuminationem vnusquisque priuatim accipiet in momento propriæ conscientiæ denudationem, & omnium actionum suarum exactissimam cognitionem: imò in iudicio generali vnusquisque habebit insuper alienarum conscientiarum manifestationem, actionumque notitiam perfectam,

Cunctaque, cunctorum cunctis arcana patebunt.

Postea sequetur vocalis sententia Christi iudicis, expressa Matthæi 25. *Venite benedicti* Patris *mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi, &c.* Et, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius, &c.* Vnde versus, complectens carmen, & væ:

Mortis, vel vitæ, breuis est vox, Ite, *Venite.*

De Antichristo, & Resurrectione.

613. IVdicij generalis præcursor erit Antichristus: de quo latè & fusè agimus in nostris Miscellaneis sacro-profanis.

Generali notione, quisquis Christo aduersatur doctrinâ, moribus, vel vitâ, est antichristus, siue aduersarius Christi: iuxta illud 1. Ioan. 2. *Antichristi multi facti sunt.*

Nihilominùs orietur quidam singularis homo, qui erit antonomasticè antichristus.

614. *Antichristus est aduersarius Christi*: eique in omnibus contrarius; personæ ipsius, vitæ, moribus, doctrinæ, Ecclesiæ, fidei, sacrificio, sacramentis, &c.

Iudicio generali itidem prodroma erit resurrectio vniuersalis.

615. *Resurrectio est reünio animæ ad corpus.* Siue, *est iterata surrectio corporis, quod morte cecidit.*

De beatitudine accidentali, & aureola.

616. *Beatitudo essentialis est visio fruitioque Dei.*

617. *Beatitudo accidentalis est auctarium, essentiali beatitudini superadditum.* Siue, *est gaudium nouum, superueniens gaudio essentiali*, resultanti ex visione beatificâ. Eiusmodi est gaudium Angelorum, super vno peccatore, pœnitentiam agente: super salute clientum suorum; suique ministerij fructu. Item gaudium beatorum, proueniens ex reuelationibus diuinis: ex beatitudine proximorum: ex visione humanitatis Christi. B. Mariæ, &c.

618. Coronæ aureolæ nomen desumptum est ex cap. 25 Exodi, vbi de mensâ Domini dicitur: *Facies que illi coronam interrasilem, altam quatuor digitos: & super illam, alteram coronam aureolam.* Vnde beatitudinis gaudium essentiale, est corona aurea; accidentale, est aureola. Itaque

619. *Aureola est animæ beatæ gaudium accidentale, de excellenti victoriâ suâ, redundans in corpus, speciali fulgore* ACCIDENTALE, superadditum essentiali gaudio visionis beatificæ. DE EXCELLENTI VICTORIA, siue de operibus proprijs, continentibus excellentem victoriam; eamque triplicem, ratione trium hostium, (dæmonis, carnis, mundi) quibuscum luctamur: & quos excellenter vincimus, per zelosam salutarem doctrinam, virginitatem, & martyrium. SPECIALI FVLGORE, indicante qualitatem doctoratûs, virginitatis, & martyrij. Nam hæc corona aureola datur doctoribus, virginibus, & martyribus. Hic autem

620. *Doctor est vtriusque sexûs persona, docens alios salutarem doctrinam.* VTRIVSQVE SEXVS, mas, vel femina. DOCENS ALIOS, scripto vel verbo; ex rectâ intentione, & zelo honoris Dei, & salutis animarum. SALVTAREM, fidei & morum DOCTRINAM, adferentem salutem.

621. *Virgo est persona, firmo proposito seruans carnis*

integritatem, voluntariæ libidinis expertem. PERSONA vtriusque sexûs, mas vel femina. FIRMO PROPOSITO: quod si interruptum fuerit consensu mentali in licitas illicitasue voluptates carnis; non amittetur equidem aureola virginitatis, si per pœnitentiam, propositum resumatur, & perseueranter continuetur: quia reparabilis est virginitas mentis, non carnis voluntariè amissa. Vide 2. 2. n. 1108, vsque ad 1112.

622. *Martyr est persona, mortem passa, in testimoniam fidei, alteriusue veræ virtutis.* Vide 2. 2. 1064. vsque ad 1067.

De viatore, via, comprehensione, damnatione.

623. *Viator est creatura intellectualis, tendens ad beatitudinem æternam*, tanquam terminum, finemque suum

624. *Homo viator est, homo viuens in corpore mortali, conditione mortali, tendens ad æternitatem.* Vide 1. 2. n. 703. circa medium.

625. *Via est tendentia ad beatitudinem æternam*, tanquam terminum, finemque vltimum creaturæ intellectualis; illius proprijs actibus assequendum.

626. *Comprehensio est assecutio, & possessio æternæ beatitudinis.* Est ipsamet visio beatifica, quatenùs est possessio Dei sperati.

627. *Comprehensor est creatura intellectualis, adepta æternam beatitudinem*; eamque tenens, & possidens.

628. Damnatio *essentialis est priuatio diuinæ visionis, pœnaque sensibilis, ad certum gradum intensa*, æternùmque inuariata. GRADVM tantum, quantum adæquatè peccata merentur, sine diminutione.

629. Damnatio *accidentalis est auctarium, essentiali damnationi superadditum.* Siue, *est specialis tristitia, supra ordinariam pœnam damni, & sensûs.* SPECIALIS TRISTITIA, concepta ex confusione propalationis propriorum peccatorum, & complicum; ex consortio omnium impiorum; ex infernali æternâ incarceratione, &c.

630. *Pœna damni est priuatio visionis* Dei, in vindictam peccati.

631. Pœna *sensûs est cruciatus ignis, & tormentorum, sensu perceptus.* SENSV, interno, & externo; tactu, visu, & quocunque alio.

632. *Vermis damnatorum est conscientia remorsus*, ex corruptione peccati ortus, affligens animum, in æternum.

De receptaculis animarum, post hanc vitam.

POst vitam præsentem, agnoscenda sunt animarum quinque receptacula: paradisus beatorum, infernus damnatorum, purgatorium animarum, limbus patrum, limbus infantium.

633. *Paradisus est vniuersi supremus locus cœlestis, in quo Deus se sanctosque suos beat*, per essentiæ suæ visionem intuitiuam.

634. *Infernus damnatorum est locus subterraneus, in quo dæmones, hominesque impij, æternùm cruciantur* pœnâ damni, & sensûs. SVBTERRANEVS, circa centrum terræ.

635 *Purgatorium est locus subterraneus, in quo animæ iustorum satispatiuntur* restantes pœnas peccatorum. IVSTORVM, pœnæ reliquatorum; id est, qui totam pœnam, peccatis promeritam non exsoluerunt: sed aliquid illius adhuc luendum habent. SATISPATIVNTVR, id est, ipsam pœnam promeritam, ad æqualitatem, iustitiæque rigorem patiuntur: saltem sub hac exceptione, nisi per Dei misericordiam, Ecclesiæ indulgentiam, aut suffragia, illis succurratur. Sinus Abrahæ, siue


636. *Limbus patrum est locus subterraneus, in quo olim detinebantur expiatæ animæ iustorum.* SVBTERRANEVS, superior inferno damnatorum, ab eoque seiunctus, per chaos magnum. OLIM, ante passionem Christi, eiusque infernalem descensum. EXPIATÆ, nam animæ expiandæ adibant priùs purgatorium.

637. *Limbus puerorum est locus infernalis, in quo ani-*

me, solo peccato originali infecta, cruciantur pœnâ damni, & sensûs. LOCVS INFERNALIS, & pars superior inferni damnatorum. ET SENSVS, vti probamus in 1. 2. n. 448. Vnde post diem iudicij extremi, ex quinque animarum receptaculis præfatis, remanebunt tantùm duo, scilicet paradisus, & infernus : ab hoc nos præseruet, & ad illum perducat misericors Deus. Ita mihi, tibique Lector, medullitùs opto : & in hoc votorum voto, desino.

Ad Majorem Dei gloriam.

Lector amice, *Si quid nouisti rectius istis,*
Candidus imperti: Si non, his vtere mecum.





INDEX.

A.

B.

C.

Conceptio

D.

E.

F.

H.

I.

L.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

Q.

R.

V.

FINIS.

Priuilege du Roy.

LOVIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre, A nos amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & tous autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra: Salut. Nostre bien amé GEORGES IOSSE, Marchand Libraire en nostre bonne Ville de Paris, Nous a fait remontrer, que ne se trouuant à present que tres-rarement, quoy que necessaire au public, vn Liure cy-deuant imprimé à Cambray, intitulé, *Breuiarium Theologicum, continens Definitiones, Descriptiones, & Explicationes terminorum Theologicorum, Authore IOANNE POLMANO:* l'Exposant desireroit le faire reimprimer; mais comme la despence en est grande, il craint que quelqu'autre faisant le semblable, il n'en receust du prejudice: C'est pourquoy il Nous a tres humblement fait supplier luy vouloir accorder nos Lettres sur ce necessaires. A CES CAVSES, Voulant fauorablement traitter ledit Exposant, Nous luy auons permis & permettons par ces presentes, de reimprimer ou faire reimprimer ledit Liure cy-dessus, en tel volume & ca-

ractere qu'il aduisera bon estre: iceluy vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeïssance, durant le temps de Dix ans, à compter du iour qu'il sera acheué d'imprimer pour la premiere fois: Faisant deffences pendant ledit temps, à tous autres Marchands Libraires & Imprimeurs, & autres personnes de quelque qualité qu'elles soient, d'imprimer ou faire imprimer ledit Liure, ny iceluy vendre ny debiter en quelque sorte & maniere que ce soit, si ce n'est du consentement dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de quinze cens liures d'amende, applicable vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hospital general, & l'autre tiers audit Exposant, confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous despens, dommages & interests: A condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque publique: vn en celle prés de nostre Personne, au Cabinet de nos Liures, en nostre Chasteau du Louure: & vn en celle de nostre tres cher & feal le Sieur Seguier, Cheualier, Chancelier de France, auant de l'exposer en vente, à peine d'estre descheu des presentes. Voulons que du contenu en icelles, vous fassiez ioüir & vser ledit Exposant, & ceux qui auront droit de luy, pleinement & paisiblement, & qu'en mettant au commencement, ou à la fin dudit Liure vn Extrait d'icelles, elles soient tenuës pour deuëment signifiées. Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour leur entiere execution tous exploits necessaires, sans demander autre permission, nonobstant oppositions ou appellations quelconques, & sans prejudice d'icelles, Clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires. CAR TEL est nostre plaisir. DONNÉ à Paris, le vingtiesme iour de Feurier, l'an de grace, mil six cens cinquante neuf: Et de nostre Regne le seiziesme.

Par le Roy en son Conseil,

OLIER.

Registré sur le Liure de la Communauté, suiuant l'Arrest de la Cour de Parlement, du 8. Avril 1653. Fait à Paris, le 27i Feurier 1659. Signé, D. BECHET, Syndic.

Ledit Georges Iosse a fait part dudit Priuilege à Charles Angot, suiuant & conformément l'accord fait entre eux.

Acheué d'Imprimer pour la premiere fois le 6. Septembre, 1659.

Les Exemplaires ont esté fournis.





